9.h.164

Digitized by Google

Digitized by Google

VETERA
HUMILIATORUM
MONUMENTA

ANNOTATIONIBUS,
AC DISSERTATIONIBUS PRODROMIS ILLUSTRATA,

Quibus multa Sacræ, Civilis, ac Literariæ Medii Ævi
Hiſtoriæ capita explicantur

AUCTORE

HIERONYMO TIRABOSCHIO SOC. JESU
In Braidensi Universitate Rhetoricæ Professore.

VOL. I.

DISSERTATIONES PRODROMAS CONTINENS

DE HUMILIATORUM
ORIGINE, VICIBUS, EXITU.

MEDIOLANI. MDCCLXVI.
Excudebat Joseph Galeatius Regius Typographus.
Superiorum permiſſu, ac Privilegio.

Digitized by Google

JOANNI ARCHINTO

PRÆSULI AMPLISSIMO

PROTONOTARIO APOSTOLICO

AC BRAIDENSIS PRÆPOSITURÆ COMMENDATARIO.

Hieronymus Tiraboschius Soc. Jesu.

QUod ii plerumque præſtare conſueverunt, qui libros ſuos Principibus Viris inſcribunt, ut & in illorum laudes excurrant, & res ab illis eorumque majoribus ſtrenue feliciterque geſtas re-

Digitized by Google

cenſeant , minime id mihi præſtandum eſſe , qui meas has qualeſcumque lucubrationes nomini Tuo dicandas cenſuerim , prorſus intelligo. Etenim (ut illud omittam , graviſſime id ſcilicet Te laturum , qui Tibi modeſtiſſimus eſt & a laudibus abhorrens animus) ſi de Tuis Tuorumque virtutibus dicere aggrederer , & multo amplius pateret dicendi argumentum , quam epiſtolæ modus ac brevitas patiatur ; ſimulque actum agere viderer , qui ea oratione explicanda ſuſciperem , quæ ſunt cuique notiſſima. Ipſa enim ARCHINTÆI nominis commemoratio Clariſſimorum Virorum memoriam revocat , qui genus ne magis , an patriam , an Eccleſiam illuſtrarint , haud facile definias. JOSEPHOS loquor , ALBERICOS , PHILIPPOS , CHRISTOPHOROS , AURELIOS , HIERONYMOS , ROMULOS , alios Romana Purpura , alios Pontificiis Legationibus , alios Mediolanenſibus , Novocomenſibus , Novarienſibus , Salutienſibus , Viglevanenſibus infulis ornatos ; FRANCISCOS loquor , OCTAVIOS , BAPTISTAS , PHILIPPOS , LUDOVICOS , CAROLOS , Regiis Legationibus ,

Pro-

Provinciarum adminiſtratione, copiarum ductu, patriæ Præfectura, ampliſſimiſque muneribus inſignitos; alios denique quamplurimos loquor, qui quamvis ad Rempublicam non acceſſerint, tamen aut literis ſtudiiſque, aut eximiis, quotquot nobiliſſimum Civem decent, virtutibus excolendis, acceptum a majoribus decus egregie amplificarunt. Quid vero, ſi ad Tuorum laudes deſcenderem, quibus adhuc viventibus fruimur, quoſque ſalvos diutiſſime incolumeſque optamus? Nihil ſane mihi jucundius foret, quam uberrimum hoc orationis genus perſequi, quod quamvis latiſſime excurreret, nemini tamen non ab omni aſſentatione alienum videretur. De Te autem ipſo, deque Tuis laudibus eo facilius certiuſque diſſererem, quo plures jam rerum, quaſcumque afferrem, luculentiſſimos teſtes appellare poſſem. Sive enim adoleſcentiæ Tuæ ætatem dicendo commemorarem, Parmenſe Nobilium Collegium, quod te primum excepit, ac literis erudivit, quibus jam tum virtutibus, qua morum innocentia ac ſuavitate, qua ingenii alacritate floreres, ſatis teſtaretur. Sive geſtorum hactenus a Te

mu-

munerum memoriam repeterem, Gallos, quos, dum Romanæ purpuræ inſignia ad ampliſſimum Cardinalem BERNISIUM deferres, adiiſti; Bononienſes, qui Te Pontificii apud ipſos Legati vices gerentem diu viderunt; Romanos denique, in quorum oculis aſpectuque in præſens verſaris, teſtes haberem, qui ſcilicet ſingularem Tuam in rebus gerendis conficiendiſque prudentiam extollerent, eximiam in omnes humanitatem, miram animi moderationem, atque egregium in primis Religionis Divinique cultus ſtudium, virtuteſque ceteras omnes, quibus illum ornari neceſſe eſt, quem ad præcipuas aliquando dignitates evectum iri geſtiunt omnes ac gratulantur. Sed maximus ipſe lateque diffuſus Tuæ Tuorumque virtutis ſplendor facit, ut, quæ me cauſſæ impulerint, ut Te Operis hujuſce Patronum atque Auſpicem appellarim, nemo futurus ſit, qui requirat; nemo, qui Tua Tuique generis decora, ut conſilii mei ratio innoteſcat, fuſe a me recenſeri atque explicari exoptet. At illud forte non ita omnibus notum, quod quæcumque ad Humiliatos pertinent, peculiari quodam jure

Tibi

Tibi ipſe vindicas. Braidenſem enim Præpoſituram, quæ antiquitate omnibus, dignitate pleriſque Humiliatorum domibus præſtabat, jamdudum obtines, poſtquam ſcilicet & HIERONYMUS magnus Patruus, Tarſenſis Archiepiſcopus, atque Etruſca, Colonienſi, Polonica Legationibus illuſtris, ac Patruus ALBERICUS honoribus quibuſque ampliſſimis egregie functus, ac Romana Purpura ornatus, eamdem obtinuerunt. Itaque cum ad Humiliatorum monumenta edenda animum admoviſſem, cumque illa ad Braidenſem Præpoſituram magna ex parte pertinerent, ac multa præſertim de Braidenſibus Humiliatis diſſerenda eſſent, quidquid id eſſet laboris ac diligentiæ meæ, Tibi omnino inſcribendum videbatur. Porro nihil auſpicatius mihi feliciuſque contingere poterat, quam ut, cum Humiliatorum hæc monumenta illi nuncupanda ſtatuiſſem, cui potiſſimum convenirent, Tu ſcilicet occurreres, quem, etſi Humiliatorum res nihil ad Te pertinerent, digniſſimum tamen arbitrabar, cui qualecumque hoc obſervantiæ meæ indicium præberem. Habes itaque opus, quod ſive ejuſdem argumen-

mentum, ſive Scriptoris animum ſpectes, Tuum jure optimo appelles. Utinam illud ita eruditorum oculos ſubeat, ut Te Patrono ac Mœcenate indignum minime videatur.

Dabam Mediol. ex Collegio Braidenſi Soc. Jeſu XIII. Cal. Majas MDCCLXVI.

Præ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

ANtequam de Humiliatorum rebus differere aggredior, pauca mihi de totius Operis inſtituto præfari liceat. Pauca, inquam: quid enim multa neceſſe eſt? Profecto quamvis ſuſcepti a te laboris utilitatem atque præſtantiam uberrime explices, operam prorſus perdes, ſi aut ſecus res ipſa teſtetur, aut Lectores offendas, qui hujuſmodi utilitate ac præſtantia parum commoveantur. Præclaram ac nondum editam veterum monumentorum a XII. ad XVI. ſæculum copiam in lucem emittimus. Qui ſtudiis hiſce delectantur, conſilium facile probabunt. Qui eadem contemnunt, fruſtra illos in meam ſententiam adducere præfando coner. Itaque de operis utilitate, uniuſcujuſque, prout illius ingenium ac conſuetudo fert, judicium eſto. Sed de ipſis, quæ edituri ſumus, monumentis, breviter dicendum.

Ad Humiliatos ſcilicet illa pertinent, quorum, neſcio quo fato, corruptos ultimæ ætatis mores funeſtumque exitum omnes norunt, priora decora ac veterem dignitatem omnino pauci. Horum monumenta colligere ac res illuſtrare, Friderico Cardinali Borromeo Mediolanenſi Archiepiſcopo auctore, circa annum MDCXXVIII. Joannes

Petrus Puricellius aggreſſus fuerat ; vir de Mediolanenſi hiſtoria , de re diplomatica , deque univerſa antiquitate , prout tempora ferebant , egregie meritus . Hic itaque Mediolanenſia primum tabularia excutere , tum ex aliis etiam Italiæ urbibus , quæ ſupereſſent Humiliatorum monumenta exquirere diligentiſſime cœpit . Jamque uberem monumentorum hujuſmodi copiam compararat , deque illa edenda cogitans totius operis formam animo conceperat , eamdem ſcilicet , quam Præfationi ad Humiliatarum Sanctimonialium leges anno MDCLVII. editas inſeruit . Atque id fortaſſe in cauſſa fuit , cur nonnulli , ac Papebrochius præſertim (a) *, Humiliatorum hiſtoriam ab illo conſcriptam fuiſſe affirmarent . Atqui illa in MSS. Puricellii Codicibus , qui in Ambroſiana Bibliotheca ſervantur , nuſquam apparet ; ſed nonnulla tantum ipſius fragmenta , quæ plerumque ad Humiliatos vitæ ſanctitate illuſtres , atque ad eorumdem extinctionem pertinent . Sed monumenta a Puricellio collecta ibidem nacti ſumus . Ea porro ſunt , plurimæ Romanorum Pontificum , aliorumque literæ ac diplomata , quæ in Braidenſi Codice mox memorando deſiderantur , atque Humiliatorum Conſtitutiones in Generalibus*

eorum

(a) *Acta SS. Apr. T. III. pag. 467. edit. Antuerp.*

Digitized by Google

eorum Comitiis editæ; quæ omnia Puricellius ex vetuſtis Bibliothecæ Metropolitani hujuſce Canonicorum Collegii aliiſque Codicibus deſcripſit: multorum præterea ad Puricellium Epiſtolæ, de quibus ille exquiſierat, numquid de Humiliatorum rebus cognoſcerent: plurima denique, quæ ex rebus hac illac inſpectis acceptiſve Puricellius in adverſaria digeſſerat. Itaque doctiſſimo Ambroſianæ Bibliothecæ Pro-præfecto Balthaſſari Oltrocchio, ceteriſque Bibliothecæ ejuſdem Moderatoribus plurimum me debere fateor, quorum egregia humanitate ac ſingulari in literarum ſtudiis fovendis benevolentia factum eſt, ut quæcumque Puricellius de Humiliatorum rebus diligentiſſime inquirendo collegerat, & quæcumque in eadem Bibliotheca ad Humiliatos pertinent, in rem meam transferrem.

Braidenſis autem, quem memorabam, Codex, plurima alia Humiliatorum monumenta complectitur, Romanorum ſcilicet Pontificum, S. R. E. Cardinalium, Epiſcoporum, Dynaſtarum aliorumque literas ad Humiliatos, ſive Humiliatorum cauſſa datas, autographas plerumque, ſigilliſque adhuc appoſitis diſtinctas. Has jamdiu ignoratas Cl. P. Joſephus Hartzheim Soc. Jeſu plurimis libris in lucem editis, ac Germaniæ Conciliorum collectione præſertim celeberrimus, cum in Braidenſi hoc Collegio circa

Digitized by Google

annum MDCCXX. Theologiæ operam daret, diligenter collegit, atque in Seriem Chronologicam accurate digeſſit.

Ex his itaque Ambroſianæ & Braidenſis Bibliothecæ Codicibus amplam jam monumentorum ſegetem collegeram. Verum ut uberior adhuc utiliorque fieret, plura & ipſe tabularia diligenter rimari, Humiliatorum monumenta undique exquirere, atque Eruditos præſertim Viros per literas excitare aggreſſus ſum, ut quæcumque poſſent Humiliatorum monumenta ſubmitterent. Qua in re quam felix fuerit conſilii mei exitus, in ipſo operis decurſu facile patebit.

Ad hæc tribus MSS. Humiliatorum Chronicis uſi ſumus, de quibus nunc fuſius aliquanto eſt agendum. Primum ceteriſque antiquius Chronicon anno MCCCCXIX. conſcriptum fuit; quod ex ipſa ejuſdem fronte patet: Chronica Ordinis Humiliatorum compilata de anno 1419. *Illius auctor hactenus latuerat. Sed pervetuſtum ejuſdem fragmentum ac forte autographum in Braidenſi hac noſtra Bibliotheca nactus ſum, quo extrema quidem tantummodo Chronici verba continentur; ſed hæc adduntur, quæ in recentioribus exemplaribus omiſſa ſunt:* Explicit cronica, qualiter devote principiatus, & augmentatus, atque confirmatus fuit ordo humiliatorum compilata per fratrem

trem joannem de brera anno anteſcripto [*nempe in Chronici initio*], quod fuit anno precedenti, quo major pars vitium ducatus Mediolani morierunt, & fichus; & in quo principiatum fuit cœnobium ſanƈti angeli extra foſſum portæ cumane Mediolani. [*Quibus verbis Joannes indicat, quamvis obſcure, ſe uno anno ſcripſiſſe poſtquam S. Angeli cœnobium conſtructum fuerat. Id porro anno MCCCCXVIII. contigit* (a)]. Qui ſcripſit ſcribat, ſemper cum domino vivat. *Additur deinde domorum omnium, quotquot anno MCCXCVIII. Humiliati numerabant, Catalogus, Guidotti Riboldi Generalis Magiſtri juſſu confectus*; *cujus boc unicum hactenus exemplar vidimus. Habes itaque Chronici auctorem Joannem de Brera, Braidenſis ſcilicet domus incolam, qui quidem ſatis ſe Latinæ linguæ rudem teſtatur, ut ex allatis verbis facile patet. Recentiora nihilominus, quæ ſuperſunt hujus Chronici exemplaria [exſtant porro ſimul cum duobus aliis mox memorandis tum in Ambroſiana, tum in Braidenſi, tum etiam in ſpectatiſſimi Mediolanenſis Equitis, Annonæque boc ipſo anno Præfecti Franciſci Comitis de Abdua*

Bi-

(a) *Latuada Deſcriz. di Mil. T. V. pag.* 312. Wading. *Ann. Min. ad bunc an.*

Bibliotheca], *quamvis non elegantem*, *multo tamen minus rudem incultumque ſtilum præſeferunt*. *At animadvertendum eſt aliena manu deinde Chronicon illud interpolatum auctumque*, *ac forte etiam emendatum fuiſſe*, *Georgii ſcilicet Luraſchi Vicoboldonenſis Humiliatorum domus circa annum MDXXIV. Præpoſiti*, *ut ex iis præſertim conſtabit*, *quæ Diſſertatione II. num. XI. proferemus*. *Huic ipſi Chronico demum Octavianus Picius appendicem adjecit*, *qua Humiliatorum hiſtoriam ad annum MDLXVII. perduxit*. *Hoc porro Chronico ſæpiſſime utemur*, *illudque nunc Braidenſe*, *nunc antiquius Chronicon*, *nunc ex auctoris nomine appellabimus*.

Brevius eſt Chronicon alterum, *duobus poſt primum annis*, *anno ſcilicet MCCCCXXI. conſcriptum*, *ut ex ejuſdem fronte patet*. *Bina ac ſatis vetuſta hujus exemplaria*, *alterum in Ambroſiana*, *alterum in memorata Franciſci Comitis de Abdua Bibliotheca vidimus*, *quorum ſingulis capitibus picturæ lepidiſſimis coloribus expreſſæ præfiguntur*, *rem ſingulis Capitibus expoſitam indicantes*. *Horum alterutrum*, *Puricellio teſte*, *apud Hieronymum Torchium fuit*, *Generalem Humiliatorum Magiſtrum ab anno MDXXXIII. ad annum MDLII. Quod cum nonnulli in MSS. Puricellii ſchedis*, *ubi de hoc Chronico loquitur*,

curſim,

curſim, ut ſolet, legiſſent, arbitrati ſunt Torchium ejuſdem auctorem fuiſſe; quem in errorem P. Helyottus præſertim, quem ſæpe commemorabimus, & Argelatus, lapſi ſunt. At Chronici hujuſce auctorem ignoramus; niſi forte Joanni Braidenſi hoc etiam tribuendum dicamus. Enimvero fuſius aliud Chronicon anno MCCCCXIX. ſcripſiſſe ſe auctor indicat. Duos tamen Chronicorum Auctores Puricellius diſtinguendos contendit in Præfatione, quam hiſce Chronicis Italice a ſe redditis præfixit. Sed hac de re ſermo erit, cum antiquius ipſum Chronicon tertio Volumine edemus. Tertium denique Chronicon habemus a Marco Boſſio Florentinæ Humiliatorum domus Præpoſito anno MCCCCXCIII. conſcriptum, qui narrationem ſuam ſolum ad annum MCCX., fuſius tamen quam ceteri, deduxit.

His fere monumentis innixi Humiliatorum res illuſtrare aggredimur. Ac primum hoc Volumen octo Diſſertationibus abſolvetur, quibus, quæcumque ad Humiliatorum hiſtoriam pertinent, quam diligentiſſime fieri poterit, inveſtigabimus; cujus laboris is erit, arbitror, fructus, ut hanc hiſtoriæ partem digniſſimam fuiſſe, quæ aliquando e tenebris educeretur, eruditi homines intelligant. Reliqua duo Volumina, Humiliatorum, quæ diximus, monumenta, eorumdem Conſtitutiones in Generalibus Comitiis latas, ac

Joan-

Joannis Braidenſis Chronicon complectentur ; quæ omnia annotationibus explicabuntur , ut & hiſtoriæ ex monumentis , & monumentis ipſis ex hiſtoria lux accedat . Qua in re multas tum Civilis , tum Sacræ Hiſtoriæ quæſtiones , auctoreſque non paucos , atque Ughellium præcipue , Ciaconium , Oldoinum , aliosque hujuſmodi non raro illuſtratum iri confidimus .

Hæc erant , quæ primo huic Volumini præfari me oportebat . Hoc unice addendum ſupereſt . Equidem quidquid laboris ac diligentiæ conferri in hoc opus potuit , contuliſſe me fateor . Multa nihilominus fortaſſe erunt , in quibus eruditi homines lapſum me animadvertent . Sed veniam illi , opinor , facile tribuent , qui me in obſcuriſſimis plerumque incertiſque rebus , ac nemini fere hactenus tentatis , verſatum eſſe intelligant .

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIONUM SYNOPSIS.

DISSERTATIO I.

De primis Humiliatorum initiis.

I. Auctorum in hac quæſtione diſſenſio, ejuſque cauſſæ. II. Nonnulli Friderico I. Cæſare Humiliatos exortos contendunt. III. Hæc opinio impugnatur. IV. Cavitellii ſententia rejicitur. V. VI. Probabilius alii Humiliatorum originem Conradi I. Imp. ætati attribuunt. VII. Videtur tamen ad Henrici I. imperium revocanda illa eſſe. VIII. IX. X. Helyotti in hanc ſententiam objecta diluuntur. Plures illius in hac ſuæ hiſtoriæ parte errores. XI. Ejuſdem opinio de Humiliatorum initiis refellitur. XII. Quibus rationum momentis opinio noſtra confirmetur. Bellum ab Henrico in Inſubria geſtum. XIII. Mediolanenſes nonnulli Henrico infenſi. XIV. P. Tatti objectis reſpondetur. XV. Quo potiſſimum anno Humiliatorum exordia conſignanda ſint. XVI. XVII. XVIII. XIX. Monumentorum & Scriptorum auctoritas, ad opinionem noſtram confirmandam allata. XX. XXI. Qua ratione Humiliatorum cœtus initium duxerit. XXII. Primi ejuſdem auctores ignoti.

DISSERTATIO II.

De alterius tertiique Humiliatorum Ordinis initiis.

I. II. Humiliatorum in patriam reducum vivendi ratio. III. An S. Bernardus leges iiſdem ſcripſerit. IV. V. Id Flamma multique ex antiquis Scriptoribus ſtatuunt. VI. Multi etiam ex recentioribus, Cl.

Digitized by Google

Saxio unice diſſentiente. Rationes hinc inde allatæ expenduntur. VII. Flammæ narratio multis erroribus ſcatet. VIII. Reliqui autem auctores Flammam videntur deſcripſiſſe. IX. Quænam difficultati huic diluendæ reponi poſſint. X. XI. Auctorum, qui de Bernardo ſcripſerunt, & Humiliatorum hac in re ſilentium. XII. Satis ne id ad communem ſententiam evertendam valeat. XIII. Innocentii III. literæ, quibus Humiliatorum leges approbat, videntur communi opinioni adverſari. XIV. Quanam ratione conciliari omnia quoquomodo poſſint. XV. XVI. XVII. Quæ de Guidone Portæ orientalis Capitaneo ab Humiliatis aliiſque Scriptoribus narrantur, ejuſque in Humiliatos beneficia expenduntur. XVIII. Ex Humiliatis nonnulli Clauſtralem vitam amplectuntur. Helyotti errores. XIX. Clauſtralium Humiliatorum cœtum, circa an. MXXXVI. exortum Humiliatorum Chronica ſtatuunt. XX. Hinc Braidenſem domum, omnium antiquiſſimam, per id tempus conditam duorum veterum monumentorum auctoritate confirmant. XXI. Monumenta hujuſmodi tamen incertæ omnino fidei eſſe facile conſtat. XXII. XXIII. XXIV. Braidenſis charta an. MCLXXVIII. diligenter expenſa; ex qua Braidenſem domum ac proinde Clauſtrales Humiliatos circa an. MCXXXVI. initium habuiſſe diſcimus. XXV. XXVI. Plura alia in eodem monumento animadverſione digna. XXVII. Petrus de Puteo primus Clauſtralium Humiliatorum auctor fuiſſe videtur. XXVIII. Eorum veſtes. XXIX. Mulieres eamdem vitæ rationem amplectuntur. XXX. S. Joannes Medenſis, primus inter Humiliatos Sacerdos, novum Sacerdotum Humiliatorum cœtum cogit, qui deinde primus Ordo eſt appellatus. XXXI. An Deiparæ juſſu ſe ille Humiliatis adjunxerit. XXXII. An antequam cœtum ſuum inſtitueret, Ordini ſecundo nomen dederit. XXXIII. Novus hic cœtus circa an. MCXL. coactus. XXXIV. XXXV. Illius initia in Rondenarienſi ſolitudine in Novocomenſi ſuburbio poſita. Hujuſmodi Humiliatorum veſtes. XXXVI. Novus pariter Humiliatarum mulierum cœtus.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

De Humiliatorum Legibus, deque tertii eorumdem Ordinis progreſſu, vicibus, exitu.

I. Quibus olim legibus Humiliati viverent. II. Eorum ſententia rejicitur, qui S. Benedicti leges a S. Joanne Medenſi Humiliatis impoſitas narrant. III. Humiliati apud Innocentium III. multiplici nomine accuſantur. IV. Cauſſæ cognitio quibuſnam ab Innocentio commiſſa. V. Num Humiliatorum cœtus ante Innocentium a Romanis Pontificibus, aut a Mediolanenſibus Archiepiſcopis approbatus umquam fuerit. VI. Innocentius triplicem Humiliatorum cœtum, eorumque leges confirmat. VII. Legum hujuſmodi ſpecimen. VIII. Qua ratione Humiliati ad S. Benedicti Ordinem pertinerent. IX. Utrum Canonicorum nomine illi appellarentur. X. S. Benedicti leges ſæculo XV. amplexi ſunt. XI. Peculiarem tamen ritum in Sacris peragendis uſurpabant. XII. Quo etiam Mediolanenſes Humiliati utebantur, quamvis olim Ambroſianum amplexi eſſent. XIII. Sacri eorum Codices ſæpius editi. XIV. Nonnulla in iis animadvertenda. Quo ſtemmate Humiliati uterentur. XV. XVI. Quodnam eſſet inter primum & alterum Humiliatorum Ordinem diſcrimen. XVII. Nonnulla, quæ ad Humiliatas Virgines pertinent, expenduntur. XVIII. XIX. Tertii Humiliatorum Ordinis leges, habitus, jura. XX. Videtur eorum colonia Tyrum deducta fuiſſe. Eorumdem exitus.

DISSERTATIO IV.

De Generalibus Humiliatorum Magiſtris.

I. Regiminis forma apud Humiliatos ante an. MCCXLVI. II. Beltramus I. Generalis Humiliatorum Magiſter eodem anno renunciatur. III. IV. Illius res geſtæ & obitus. V. Petrus anno MCCLVII. ſucceſſor Beltramo datus, anno MCCLXXII. ſponte ſe munere abdicat. VI. Loderengus tertius Humiliatorum Magiſter. VII. VIII. IX. Humiliati ab Epiſcoporum jure ſolvuntur. Tota hujus controverſiæ ſeries evolvitur. X. Turbæ in Loderengum excitatæ. XI. Loderengo circa an. MCCXC. obeunti Brignanus ſufficitur. Pauca de Montis Luparii, vulgo Monlovè, *domo. XII. Guidottus Riboldus an. MCCXCIV. quintus Humiliatorum Magiſter. XIII. Guidotto an. MCCCVIII. dignitatem abdicanti, Beltramus II. ſuccedit: qua patria, qua gente ille eſſet: graviſſimæ in illum turbæ a Matthæo Vicecomite Mediolanenſium Domino concitatæ XIV. XV. Jacobus I. de Lemine an. MCCCXVII., tum Benedictus de Alzate an. MCCCXXI. Humiliatorum Magiſtri. XVI. Guillelmus Faba an. MCCCXXXVI. Benedicto ſuccedit; at duobus poſt annis dignitate excedere cogitur. Jacobus II. illi ſufficitur. XVII. XVIII. Graviſſimæ inter Guillelmum & Jacobum ſimultates: earum origo & exitus. XIX. Guillelmus de Corbetta an. MCCL. Ubertus de Regibus an. MCCLII. Humiliatorum Magiſtri. XX. B. Tiberii Parmenſis ab an. MCCLV. ad an. MCCCLXXI. Humiliatorum Magiſtri res geſtæ. XXI. Chriſtophorus Tiberio ſuccedit. XXII. XXIII. XXIV. Chriſtophoro adhuc viventi Petrus Botta Ciſtercienſis Abbas an. MCCCXCVIII. ſufficitur. Tota facti ſeries & cauſſæ diligenter explicantur; ac nonnulla in Mediolanenſi illius ævi hiſtoria illuſtrantur. XXV. XXVI. Petro an. MCCCCI. Andreas Vicecomes ſuccedit. Illius genus, ac res geſtæ. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. Joannes Vicecomes quondam Mediolanenſis Archiepiſcopus a Baſileenſi Synodo Humiliatis*

tis

tis præficitur an. MCCCCXXXII. Quæcumque ad illum pertinent accurate expenduntur. XXXI. Stephanus de Arzago an. MCCCCXXXV. Generalis Humiliatorum Magiſter. XXXII. XXXIII. Huic poſt tres annos Philippus Cribellus ſuccedit. Egregia Philippi adminiſtratio. XXXIV. Jacobus de Landriano an. MCCCCLXIX. Generalis Magiſter. XXXV. Wionii in Humiliatorum Magiſtris recenſendis errores. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL. Hieronymus de Landriano ab an. MCCCCLXXXVI. ad an. MDXXV. Humiliatis præeſt. Hujus res geſtæ, publica munera, vitia ac vices explicantur. XLI. Carolus de Advocatis Auguſtinianus Humiliatis Præpoſitus; deinde ob ejuſdem crimina dignitate exutus, ac carceri addictus. XLII. Hieronymus Torchius an. MDXXXIII. Carolo ſuffectus. XLIII. Jacobus Gaddius an. MDLII Hieronymo ſuccedit. XLIV. Nonnulli in Magiſtrorum Generalium ſeriem perperam a Scriptoribus intruſi.

DISSERTATIO V.

De diverſis Humiliatorum muneribus.

I. II. Humiliati id ſibi propoſuerant, ut ex manuum labore viverent. III. IV. V. Sed lanæ præſertim pannorumque opificio ſtudebant. VI. VII. Braidenſium Humiliatorum ad obſignandos pannos ſigillum. Cl. Irici de hujus ſigilli ætate ſententia refellitur. VIII. IX. X. Humiliati lanæ faciendæ cau ſa ad diverſas urbes evocati. XI. XII. An umquam illi hac de cauſſa in Siciliam penetrarint. XIII. Circa annum MCCCXXX. a lanæ opificio Humiliati ceſſant. XIV. Publica alia munera, quæ præſertim ad commercium pertinent, Humiliatis impoſita. XV. XVI. XVII. Humiliati etiam exercitum interdum ſequebantur, ut ſumptuum & annonæ rationem haberent. Hujuſmodi munus in multis urbibus Humiliatis creditum. XVIII. XIX. Innocentius IV. publicis hiſce muneribus Humiliatos defungi vetat; ſed tandem rem omnem Magiſtri Generalis arbitrio permittit. XX. XXI. Nova

adhuc

Digitized by Google

adhuc munera Humiliatis impoſita. XXII. Hoſpitalium Domorum cura tertii Ordinis Humiliatis commiſſa, ubi nonnulla de Modoetienſi Convenio. XXIII. De Senenſi & Bononienſi hoſpitali domo. XXIV. XXV. Alterius etiam primique Ordinis Humiliatis Hoſpitalium domorum cura demandata. XXVI. XXVII. Concionandi munus ſtrenue ab Humiliatis ſuſceptum. Eorumdem in hæreticis oppugnandis ardor. XXVIII. XXXI. Parœciarum etiam adminiſtratio iis interdum commiſſa.

DISSERTATIO VI.

De Viris inter Humiliatos illuſtribus.

PARS I. DE HUMILIATIS VITÆ SANCTITATE ILLUSTRIBUS.

I. II. III. Romanorum Pontificum veterumque Scriptorum egregia de veterum Humiliatorum pietate teſtimonia. IV. SS. & BB., qui ad Humiliatos pertinuiſſe exiſtimantur, Tabula. V. &c. Singulorum res geſtæ diligenter evolvuntur, & quo jure ſinguli ad Humiliatos pertineant, inquiritur.

PARS II. DE HUMILIATIS PRÆCIPUA ALIQUA DIGNITATE ILLUSTRIBUS.

I. Quot Cardinales atque Epiſcopos Humiliati numerarint. II. B. Jacobus Paſqualius Cardin. III. IV. V. VI. B. Lucæ Manzolii Cardin. res geſtæ. VII. Jacobus Calzinarius Dertonenſis Epiſcopus. VIII. Petrus Spelta Papienſis Epiſcopus. IX. X. Petrus Craſſus Cremonenſis, tum Papienſis Epiſcopus. XI. Scipio Rotarius Aſtenſis Epiſcopus. XII. Bartholomæus Averoldus Spalatenſis Archiepiſcopus. XIII. Bartholomæus Averoldus alter Calamonenſis Epiſcopus. XIV. Generales Epiſcoporum Vicarii nonnulli. XV. Ludovicus Landrianus publico Ærario Mediolani præfectus. XVI. Num ad Humiliatos pertinuerit Jacobus Buſſolarius.

PARS III. DE HUMILIATIS LITERARUM STUDIO ILLUSTRIBUS.

I. II. III. IV. Quæ ab Humiliatis de ſtudiorum ratione ſtatuta fuerint. V. Humiliatorum Scriptorum Bibliotheca ordine alphabetico digeſta. Argelatus ſæpe, Quadrius interdum, emendatus. DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VII.

De Humiliatorum Domibus.

I. Hujus Diſſertationis utilitas. II. Quæ eſſet domorum apud Humiliatos ratio. III. IV. V. Duplicibus cœnobiis, quæ ſcilicet viris ac mulieribus communia eſſent, plerumque utebantur. Quæ ad hanc duplicium cœnobiorum naturam ſpectant, evolvuntur. VI. De Humiliatarum clauſura. VII. VIII. De miro domorum apud Humiliatos numero, deque diverſis earumdem nominibus. IX. Quibus domorum Catalogis hæc Diſſertatio innitatur.

PARS I. DE MEDIOLANENSIBUS HUMILIATORUM DOMIBUS.

Singularum nomina proferuntur; origo, locus, vices, exitus, quoad fieri poteſt, inquiruntur. Plura præſertim de Braidenſi, de Viceboldonenſi, de Glaxiatenſi domo; ac de Braidenſi S. Catharinæ Humiliatarum Cœnobio, quo loco Guillelmæ Bohemæ, ejuſque aſſeclarum errores ac deliramenta accurate explicantur. Poſt urbanas domos, domus in Mediolanenſi agro poſitæ, ac Modoetienſes præſertim illuſtrantur. Cl. Comitis Julinii ad Auctorem epiſtola.

PARS II. DE RELIQUIS HUMILIATORUM DOMIBUS.

Hæc altero Volumine edetur, cujus conſilii rationem attulimus pag. 401.

DISSERTATIO VIII.

De Humiliatorum Extinctione.

I. II. III. Peſſima Humiliatorum conditio medio circiter ſæculo XVI. IV. Eorum vitia a Mario Picio acriter reprehenſa. V. Cardin. Moronus, tum S. Carolus Borromeus Protector Humiliatis datus. Vetonenſia eorum Comitia an. MDLXII. VI. Nicolaus Ormanetus, Caroli nomine, Humiliatorum emendationem fruſtra aggreditur. VII. Validius

Digitized by Google

dius in Cremonenſibus Comitiis an. MDLXVIII. illam urget Carolus. Aloyſius a Baſilica Petri Humiliatis præficitur. VIII. IX. Multa ab Humiliatis ad emendationis conſilium evertendum, multa a S. Carolo ad illos ad meliora conſilia revocandos tentata. X. XI. XII. XIII. Hieronymus Donatus, vulgo Farina, aliique ex Humiliatis nonnulli de Caroli nece cogitant. Rei totius ſeries & exitus exponitur. XIV. Conjurationis auctores debitis pœnis mulctantur. XV. Humiliatorum Cœtus per Pium V. deletur. XVI. Multa ad eumdem reſtituendam fruſtra tentata.

				ERRATA	CORRIGE.
pag.	94.	lin.	21.	eligendi	eligendorum
pag.	120	lin.	13.	VicIhodonenſi	Vicoboldonenſi
pag.	196.	lin.	9.	idemque	ideoque
pag.	198.	lin.	22.	Coradus	Conradus
pag.	221.	lin	ult.	epſcopum	epiſcopum
pag.	266.	lin.	26.	rectam	ratam
pag.	337.	lin.	18.	ædes S	ædes a S.
pag.	358.	lin.	25.	exprimens	exprimentem
pag.	367.	lin.	22.	Charta	chartam
		lin.	17.	ſæve	ſive
pag.	429.	lin.	7.	Mediolanenſium & Humiliatorum	Mediolanenſium Humiliatorum

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO I.

DE PRIMIS HUMILIATORUM INITIIS.

I. QUI primam Humiliatorum originem attentius inquirunt, ii plerumque mirantur, cum auctores in diverſa adeo abire animadvertunt, ut alii undecimo ſæculo ineunti, alii duodecimo exeunti illam aſſignent. Sic enim videmus, nonnullos jam ab anno MXVII. eorum initia repetere, alios vero nonniſi ante annum MCXCVIII. Humiliatos exortos fuiſſe contendere. Diſcrepantium vero hujuſmodi opinionum quamnam potiſſimum eſſe cauſſam dicemus? Duplicem nempe ſtatui poſſe arbitror. Primo enim Humiliatorum initia nihil habuere, unde omnium oculi, ut ſæpe ſolet, in illos converterentur. Ponamus enim, quod deinde erit a nobis comprobandum, ſub undecimi ſæculi initium Humiliatorum ſocietatem coaluiſſe. Jacuit ſane illa diu anguſtis definita limitibus, ut videbimus; nec antea omnium ſermone celebrari cæpit, quam novum illi decus S. Joannes Medenſis medio circiter duodecimo ſæculo adderet; multo autem illuſtrior evaſit, ac tota paſſim Italia diffuſa eſt, poſtquam illius inſtitutum legeſque Innocentius III. anno MCCI. Pontificiis litteris comprobavit. Tunc ſcilicet primam hujuſce cœtus originem, qui vix antea innoteſceret, inquirere homines aggreſſi ſunt. Sed nimis jam illa aberat; nec facile ſtatui poterat, quo potiſſimum tempore ea contigiſſent, quæ hactenus nemo fere contigiſſe cognoverat. Humiliati autem, qui uni poſſent ſuæ ipſi originis tempus poſterorum memoriæ commendare, a ſtudiis, prioribus præſertim temporibus, fere alieni [quam ego alteram hujuſce obſcuritatis cauſſam ſtatuo] nihil per quattuor ſæcula, quod ad ſuorum Patrum hiſtoriam pertineret, litteris conſignaſſe videntur. Nullos enim ante XV. ſæculum

Digitized by Google

Humiliatorum annales conſcriptos extare in præfatione vidimus, qui etiam inediti, ac neglecti ſemper jacuere, donec ſuperiore ætate iiſdem uti Puricellius cœpit. Hinc factum eſt, ut qui Humiliatorum originem inquirere aggreſſi ſunt, cum certa illis, quibus inniterentur, monumenta deeſſent, alii alios vulgi rumores adoptarent, eamque ſinguli ſententiam amplecterentur, quam minus a veritate alienam exiſtimarent.

II. Sed jam ſingulas Auctorum opiniones proferamus, ut quæ ceteris ſit anteferenda conſtet. Quod ut clarius præſtemus, quæ de Humiliatorum origine unanimi omnes conſenſu ſtatuunt, ab iis ſecernamus neceſſe eſt, quæ in dubium revocantur. Humiliatorum igitur cœtum a quibuſdam nobilibus Inſubriæ civibus conflatum, qui, quod Imperatoris iram offendiſſent, patria extorres atque in Germaniam traducti, poſt exilii calamitates aliquandiu toleratas, prioris tandem vitæ pertæſi, aſperum vivendi genus, Deo inſpirante, amplexi fuerant, ac deinde ad Imperatoris pedes abjecti reditum in patriam impetraverant, id fere omnes conſentiunt. At quo tempore, quove Imperatore hæc contigerint, in diſputationem adducitur. Ac ſane ſi auctorum numero definienda res eſſet, illorum, ut arbitror, ſententia præſtaret, qui hæc Friderici Ahenobarbi temporibus tribuunt. Qui primi opinionem hanc ſequuti fuerunt, ii ſunt, ni fallor, Philippus Bergomenſis [a], & Marcus Antonius Sabellicus [b]. Hujus ego verba deſcribam, tum quod rem explicat brevius, tum quod iiſdem fere ad verbum Theodorus Zwingerius [c], & Polydorus Virgilius [d] uſi ſunt. *Per id tempus*, ait, *Humiliatorum Ordo in Germania oritur: exordium rei triſte, ſed læti ſucceſſus. Multi mortales aut bello capti, aut quia fides eorum ſuſpecta eſſet,*

fuerant

(a) Supplem. Chronic ad an. 1189

(b) Ennead IX. Lib. V. pag: 69. edit. Venet. 1504.

(c) Theatrum Vitæ humanæ vol. XXVII. Lib. III. & vol. XIII. Lib. I.

(d) De Inventor. Rer. Lib. VII. Cap. II.

fuerant ex Ciſalpina Gallia in Germaniam traducti, Federici Imperatoris ſævitia .... Hi longiorem moram pertæſi, aliquando albis veſtibus amicti viri fæminæque humiliter ad Federici pedes proſtrati jacuere, veniam implorantes. Horum lacrimis veſtituque motus Imperator poteſtatem fecit omnibus in patriam abeundi; qui poſtliminio reverſi ſunt; voto, ut credere par eſt, in eo habitu perſeveraſſe dicuntur &c. Hæc Sabellicus, quem deinde Thuanus [*a*], Maurolycus [*b*], P. D. Aſcanius Tamburinus [*c*], Ripamontius [*d*], & Ciacconius [*e*] ſecuti ſunt; qui duo tamen cum Friderico Imperatore hæc contigiſſe narrant, ſe eadem Conradi Imperatoris temporibus jam conſignaſſe, obliviſcuntur [*f*]. His etiam Paullus Morigia [*g*], Gabriel Bucelinus [*h*], P.D.Franciſcus Aloyſius Barelli [*i*] ceterique plurimi addendi, ut Sethum Calviſium [*k*] & Philippum Cluverium omittam [*l*], qui quamvis Humiliatos Friderico imperante initium habuiſſe affirment, illos tamen non in Germania exules, ſed in Italia Imperatoris iram placaturos ad ejuſdem pedes jacuiſſe ſupplices, narrant. Hi porro omnes quamquam in Humiliatorum exordiis Friderici ætati tribuendis conſentiant, mirum tamen, quantum in anno ipſo deſignando diſcrepent. Alii enim annum MCLXX. adnotant, vel MCLXXI., alii MCLXII., alii MCLXXX. alii etiam MCLXXXIX., alii denique, gravi ſane, ut Græce di-

(*a*) Hiſtor. Lib. XLVIII. ad an. 1571.
(*b*) Mare Oceano di tutte le Religioni Lib. IIII.
(*c*) De Jure Abbatum T. II. Diſput. XXIV. Qu. V. Num. 37.
(*d*) Hiſtor. Eccleſ. Mediol. Decad. III. Lib. III.
(*e*) Vitæ Pontif in Alexandro III.
(*f*) Ripam. Decad. I. pag. 626., Ciacon. in Gregor. VI. ad an. 1046.
(*g*) Iſtoria delle Religioni Cap. XXIX., e Sommario Cronologico Lib. VI.
(*h*) Menolog. Benedict. ad 26 Sept.
(*i*) Memorie de' Chierici Regol. di S. Paolo T. I. Lib. VI. Cap. IV.
(*k*) Op. Chronol ad an. 1162.
(*l*) Epitome Hiſtor. in Friderico I.

cimus, anachroniſmo, MCXCVI., aut MCXCVIII., cum Fridericus jam ab anno MCXC. obiiſſet.

III. Jamvero, ſi quod hujuſce opinionis fundamentum laudati auctores proferrent, quibus tandem momentis eadem innitatur, conſtaret. Sed hæc fruſtra apud illos requiras. Veronenſis unus hiſtoricus Hieronymus Curtius, ſententiis omnibus de Humiliatorum origine commemoratis, hanc, quam recitabamus, ceteris probabiliorem dicit [a]; quin etiam privilegiis nonnullis a ſe inſpectis eamdem confirmari addit; nec vero hæc ille privilegia profert, quidve iiſdem contineatur, exponit; ut de eorumdem auctoritate judicium ferre, quidve ponderis huic ſententiæ concilient, dignoſcere liceat. Nobis itaque integrum erit, donec monumenta hujuſmodi proferantur, a Curtii ceterorumque ſententia diſcedere, ſi firmiſſimis rationum momentis oppugnari illam intelligamus. Ac ſane nullam ineſſe huic ſententiæ probabilitatem, ſatis illa docebunt, quæ ſequente Diſſertatione oſtendemus; nam & Humiliatorum extructas domos, eorumque numerum ſatis auctum ante ipſa Friderici tempora videbimus. Nec vero quiſquam miretur, tot, quos protulimus, Auctores in errorem prolapſos; video enim, quid illos feſellerit. Friderici ſcilicet ætate illuſtrior fieri cœpit Humiliatorum ſocietas, latiuſque per Inſubriam extendi; nec multo poſt eorumdem leges Innocentius III. Apoſtolicis litteris comprobavit; quod cum illi animadverterent, viderentque Inſubribus acerrimum cum Friderico bellum per eadem tempora fuiſſe, facile adducti ſunt, ut crederent, Friderico regnante Humiliatorum cœtum coactum. Ac fieri etiam potuit, ut eorumdem occaſione bellorum Inſubres alii veterum Humiliatorum exempla ſequuti, ad eorum ſe ſocietatem legeſque adjungerent.

IV. Reliquas autem Scriptorum ſententias inquirentibus Cavitellius Cremonenſis Hiſtoricus primus occurrit. Hic annum MLXX.

(a) Storia di Verona T. I. Lib. X.

Digitized by Google

MLXX. Humiliatorum initiis attribuit. Mediolanenſes ſcilicet hujuſce cœtus primos auctores fuiſſe ait, in Germaniam ab Henrico IV. Rege traductos, quibus poſtea alii acceſſerint Friderici Ahenobarbi ætate [a]. Verum, præterquamquod unus pro hac opinione ſtat Cavitellius, hoc uno eadem argumento refellitur; Henricum ſcilicet non ante annum MLXXVI. in Italiam deſcendiſſe; tunc vero unice cum Gregorio VII. Pontifice Maximo bellum illi fuiſſe, quod nihil ad Mediolanenſes pertinuit. Hi quidem deinceps in Henricum inſurrexerunt; ſed id nonniſi anno MXCIII. [b] contigit, quo tempore tantum aberat, ut Henricus rebelles vinceret, atque in exilium compelleret, ut potius non multo poſtea ſeſe in Germaniam recipere coactus ſit. Quocirca, quo tempore Inſubres in Germaniam relegare Henrico huic licuerit, non apparet.

V. Probabilior multo eorum eſt opinio; qui Conradi I. Imperatoris ætate, quem inter Germaniæ Reges alterum nuncupamus, initium Humiliatos habuiſſe ferunt, quo tempore bellum ille acerrimum cum Mediolanenſibus geſſit. Belli originem, atque obſeſſæ anno MXXXVII. Mediolanenſis urbis vices, inaneſque in ejuſdem oppugnatione Conradi conatus non eſt cur referam; cum præter ceteros diligentiſſime hæc omnia nuper illuſtrarit Cl. Georgius Comes Julinius eruditiſſimus rerum Mediolanenſium ſcriptor [c]. Hoc unice animadverto, quamvis Mediolanenſes aliquot a Conrado exules tunc in Germaniam amandatos nemo ex Hiſtoricis referat, fieri tamen facillime potuiſſe, ut ille, cui non alia ratione de Mediolanenſibus ulciſci liceret, quos bello ceperat, eoſdem bonorum proſcriptione exilioque mulctaret. Quin etiam eodem anno Mediolanenſes nonnulli legati ad Odonem Campaniæ

(a) Annal. Crem. ad an. 1570.
(b) Muratori Ann. d'Ital. an. 1076. 1081. 1093.
(c) Memorie di Mil. T. III. pag. 190. &c.

Digitized by Google

niæ Ducem ab Ariberto ejuſdem urbis Archiepiſcopo in Galliam miſſi, ut exercitum in Italiam contra Conradum deduceret, dum, Odonis nece intellecta a Lotharingo Duce in pugna occiſi, in Italiam revertuntur, a Berta Suſæ Marchioniſſa in Alpium anguſtiis intercepti fuerant, atque ad Conradum miſſi; qui cum Vercellenſem, Cremonenſem, ac Placentinum Epiſcopos huic conjurationi manus dediſſe intelligeret, hos in Germaniam relegavit [a]; quo etiam Legatos eoſdem traductos fuiſſe veriſimile eſt. Jamvero quænam opportunior occurrat Humiliatorum initiis ſtatuendis occaſio? Ac plures ſane opinionem hanc amplexi ſunt. Unius hic Bernardini Corii verba referam, qui omnium primus, ni fallor, illam protulit [b]. *Venendo a morte* (Corrado) *Henrico ſecondo cognominato Barbanegra genero di Conrado ſucceſſe ne lo Imperio. Già ne li tempi predicti Conrado anteceſſore di queſto in Alamania avendo conducto ſeco gran numero de Milaneſi captivati nelle guerre paſſate nel modo dimoſtrato, a li primati delli quali fece troncare il capo, perilchè gli altri reſtarono come privi di ſalute, mentre vivea Conrado, ſi diedino li predicti Milaneſi ad obſervare le inſtitutione de ſancta vita, d'habito veſtendoſi conveniente a quella, & con propoſito ſe in alchuno tempo poteſſino ritornare alla patria ſua di farſi in tutto obſervatori del divino culto; onde in proceſſo di tempo Henrico predicto deliberò entrare in Italia, & in Milano inſignirſi de Imperiale diadema; il che intendendo li Milaneſi già prigioni ſupplicarono a l'Imperatore in modo, che da lui in tutto furono liberati, onde quegli finalmente pervenuti a Milano, e dal Pontefice eſſendoli conceſſi li ordini ſacri ſi fecino frati con habito bianco, nuncupandoſi humiliati in ſegno de l'humile ſua converſione*. Hæc ille, quem deinde ſequuti ſunt, præter Ciacconium & Ripamontium, de quibus jam diximus, Joannes Franciſcus Beſutius

(a) Giulini T. I.I pag. 328 Murat. Ann. d'Ital. an. 1037.
(b) Histor. di Mil. Parte I. pag. 38. Edit. an. 1503.

ſutius (*a*), Horatius Turſellinus (*b*), ac Hieronymus Borſierius (*c*), qui tamen in eo a ceteris diſſentit, quod non ab Henrico Conradi ſucceſſore, ſed a Conrado ipſo exules in patriam remiſſos ſtatuit. Id ipſum narrat MS. cujuſdam opuſculi auctor, de quo Diſſertatione VI. ſermo erit, ubi etiam non magnam eſſe illius auctoritatem oſtendemus. Nec vero graviorum etiam Scriptorum auctorias huic opinioni deeſt, qui eamdem validis rationum momentis confirmant. Ac primo Benedictus Jovius, quem P. Conſtantinus Suyskenius Soc. J. unus ex Bollandianis Scriptoribus, omnium diligentiſſime Humiliatorum originem tractaſſe aſſerit (*d*), in Novocomenſibus Annalibus de Humiliatorum in illa urbe domibus templiſque loquens, atque inde eorumdem originis inquirendæ occaſionem arripiens, ait (*e*): *Ceterum quia ab hiſtoricis de hujus Ordinis origine & incremento nulla fere ſit mentio, quæ de certiſſimis eruta monumentis conſcripta reperi, & quidem probabilia, ſubjiciam.* Pergit porro Humiliatorum initia eodem fere, quo Corius, modo referens, a quo in eadem re tantum, in qua Borſierium a Corio ipſo diſcrepare animadvertimus, diſſentire videtur, ac ſtatuere ſcilicet, a Conrado ipſo exules reditum in patriam impetraſſe. Quæ Jovius monumenta viderit, nec ille explicat, nec ego aſſequi conjectura poſſum. At Hieronymum etiam Curtium audivimus opinionem ſuam a Jovii opinione omnino alienam certiſſimis tamen & ipſam monumentis comprobari affirmantem. Sed quæcumque tandem monumenta hujuſmodi fuerint, fallitur certe Jovius, cum bellum a Conrado in Mediolanenſes geſtum anno MXXXIII. conſignat, quod nonniſi ad annum MXXXVII. pertinere ex allatis auctoribus conſtat (*f*). VI.

(*a*) Storia Pontificale di Mil. in Vita Heriberti Archiep.

(*b*) Epit Hiſtor. Lib VII in Conrado.

(*c*) Supplemento alla Nobiltà di Milano Cap. IV.

(*d*) Acta SS. Sept. T. VII. ad diem XXVI. in Vita S. Joan. de Meda §. 11.

(*e*) Lib II. pag 196.

(*f*) Murat. & Giulini loc. cit.

Digitized by Google

VI. Quæ cum ita ſint veriſimilior Caroli Sigonii ſententia videtur, qui anno MXLVI. Humiliatorum initia ſtatuit hunc in modum (a): *Anno Chriſti MXLVI. VI. Kal. Novembres Henricus III. Imperator* (tertius ſcilicet inter Germaniæ Reges, ſed inter Imperatores ſecundus) *conventum egit Papiæ, atque exules Lombardos, quos ſuperioribus annis propter conjurationes initas Chunradus Imperator in Germaniam relegarat, reſtituit: exules deinde, civitatibus ſuis repetitis, humilitatem, in qua in exilio fuerant, tenuerunt, nullam rem privatam aut publicam attingentes, verum religioni ſtudentes, ac victum manibus ſuis quærentes, vitam traduxerunt... hos vulgo Monachos Humiliatos dictos &c.* Porro quod ad annum pertinet, quo Humiliatos ortum habuiſſe, Sigonius ſcribit, multos ille habet opinionis ſuæ ſectatores; inter quos præcipuum locum merentur Alemanius Finius (b), Petrus Maria Campius (c), ac P. D. Primus Aloyſius Tattus Congr. Somaſchæ (d). Huic denique præ ceteris favet memoratus Suyskenius, qui in Vita S. Joannis de Meda, poſtquam diverſas de Humiliatorum origine ſententias retulit, hanc ſibi omnium probabiliſſimam videri ait; Humiliatorum nempe cœtum medio circiter XI. ſæculo exortum; per hæc enim tempora ea omnia contigiſſe ex hiſtoricis intelligimus, quæ eorum initiis occaſionem præbuiſſe communis fert opinio; bellum ſcilicet ab Henrico in Mediolanenſes geſtum, exules in Germaniam amandatos, diuturnam exilii durationem, reditum denique in patriam impetratum, quæ omnia non ita facile in aliud tempus confluere animadvertemus.

VII. Hactenus hujuſce opinionis momenta vimque omnem protulimus. Nihilominus Humiliatorum initia aliquanto adhuc altius,

(a) De Regno Ital. Lib. VIII. ad an. MXLVI.
(b) Storia di Crema Lib. I & Seriana XXX.
(c) Storia Eccleſiaſtica di Piacenza Lib. X de an. 1037.
(d) Annali Sacri di Como Decad. II. Lib. III. ad an. 1037. & 1046., & Vita di S. Gio. da Meda Cap. IV.

Digitized by Google

tius, nempe ab Henrici I. temporibus, qui ſecundus inter Germaniæ Reges fuit, repetenda arbitramur. Quæ me cauſſæ in hanc ſententiam deduxerint, paucis expediam. Quemadmodum ex hiſtoricis, qui provinciæ alicujus vices enarrant, illi plerumque ſunt ceteris præhabendi (ut optime ſtatuit P. Honoratus a S. Maria (a) Carmelita Excalceatus), qui in eadem provincia vixerunt, ita in Religioſi cœtus origine inquirenda, Scriptoribus diſſentientibus, eorum potiſſimum auctoritatem ſequamur oportet, qui cœtui eidem nomen dedere, eoſque præſertim qui antiquitate ceteros præſtant, niſi eos falli manifeſte conſtet: omnium enim optime ſua illi noſſe dicendi ſunt. Tria porro Humiliatorum MSS. Chronica in Præfatione memoravimus; primum anno MCDXIX., alterum anno MCDXXI., tertium anno MCDXCIII. conſcriptum. Jam vero primi ac tertii Chronici auctores, ab Henrico I. exulare illos in Germania juſſos narrant, qui deinde Humiliatorum Ordinis fundamenta jecerunt. *Principium* (ait primi Chronici auctor) *& origo fuit Ordinis Humiliatorum tempore Henrici ſecundi Imperatoris* (ſecundi ſcilicet inter Germaniæ Reges) *qui in Lombardiam venit, & ſuſpectos habens multos nobiles Lombardos, maxime Mediolanenſes & Comenſes, quos, ne contra Imperium machinarentur, in Alemania mittit in exilium de anno* 1017. Pergit deinde narrare, qua ratione exules hujuſmodi pium vivendi genus amplexi reditum in patriam impetraverint anno MXIX. Marcus Boſſius vero tertii Chronici auctor, qui ea, quæ narrat, ſe *ſumma cum diligentia viſis pluribus Chronicis* collegiſſe teſtatur, clarius adhuc exilii annum ſtatuit his verbis: *Præſulante in ſede Petri Benedicto ejus nominis octavo, & Henrico Imperatore Chriſtianiſſimo ejus nominis ſecundo regnante, ejus imperii anno decimotertio, ipſe Henricus, cum ad partes perveniſſet Lombardiæ &c.* Eadem deinde, ſed aliquanto fuſius, repetit, quæ a primo auctore referri vidimus. Porro quamvis decimus tertius Henrici annus,

 quem

(a) Réflexions ſur les Regles de Critique &c. T. I. Diſſert. VII. Artic. IX. §. I.

quem Boſſius appellat, non anno MXVII., quo a primi Chronici auctore initia Humiliatorum figuntur, ſed anno MXIV. congruat, videbimus nihilominus paullo poſt, quam facile hæc invicem concilientur. Alterius vero Chronici auctor anno MCDXXI. conſcripti, Imperatoris, quo regnante hæc geſta ſint, nomen ſe ignorare ait. *Qualiter* (hac enim plerumque voce brevia ſui Chronici capitula ille exorditur) *Qualiter nobiles illi Lombardi (& primi fuere Mediolanenſes) in Alemania per quemdam Imperatorem fuerunt confinati, ut componens a ſuis Patronis dudum audivit vociferari; ſed propter longanimitatem temporis nomen ignorabant.* Sed non eſt cur miremur, auctorem hunc, qui Latini ſermonis rudem admodum imperitumque ſe prodit, ceteris etiam rudiorem in ſui Ordinis hiſtoria fuiſſe; ac præterea, ſi aliorum ſententiam haud ſequitur, illam ne oppugnat quidem. Humiliatorum initiis ita ex eorumdem Chronicis conſtitutis, videndum ſupereſt, quænam huic opinioni faveant, quænam adverſentur.

VIII. P. Hippolytus Helyottus tertii Ordinis S. Franciſci, qui hoc ſæculo ineunte integram eruditiſſimamque Religioſorum Ordinum hiſtoriam octo voluminibus diſtinctam Gallico ſermone protulit, de Humiliatis dicere aggreſſus (a) haud ſatis memoratis Chronicis fidere videtur; ac jure profecto eorum auctoritas parvi facienda eſſet, ſi vera narraret Cl. auctor. Sed ille ſcilicet Chronica eadem haud umquam vidit; ſed commentarios tantum neſcio quos ad illum Mediolano ſubmiſſos anno MDCCIX. & MDCCX., nimis profecto, quicumque eorum fuerit auctor, properanter negligenterque digeſtos. Pauca ſpeciminis loco hic proferam. In hiſce Commentariis, ait Helyottus, Humiliatorum quoddam Chronicon ſæpe indicatur anno MCDXIX. Latine conſcriptum a P. Hieronymo Torecchio, Præpoſito Domus, quam Mediolani ad portam novam Humiliati habebant. *Dans ces mémoires*

(a) T. VI. Cap. XIX.

moires l'on cite ſouvent une Chronique de cet Ordre compoſée en Latin l'an. 1419. *par le P. Jerôme Torecchio Prevôt du Couvent , que les Humiliés avoient a la porte neuve a Milan* . Quam multa paucis verbis errata ! Nullus umquam inter Humiliatos, quod noverimus, fuit Hieronymus Torecchius. Quem hic Helyottus nominat, ille eſt Hieronymus Torchius, ſeu Torgius, quem ſui Ordinis Magiſtrum Generalem fuiſſe videbimus. At vivebat ne ille anno MCDXIX.? Nihil minus. Anno enim MDXXXIII. Magiſter Generalis renunciatus ad annum uſque MDLII. vixit. An ſaltem Humiliatorum Chronicon ille conſcripſit? Ne hoc quidem novimus. Sed Chronicon illud, quod ab Helyotto indicatur, Torchius certe non ſcripſit ; verum illius exemplar apud ſe habuit, atque ab illo ad noſtra uſque tempora pervenit ; quin etiam Chronicon hoc ipſum, quod apud Torchium fuit, non anno MCDXIX. ſed MCDXXI. conſcriptum fuerat, ut in Præfatione vidimus.

IX. Nihilominus ſi in his tantum, commentariorum, quos diximus, vitio, erraſſet Helyottus, facilius ferremus. Sed graviora adhuc ſuperſunt. Commentariis videlicet iiſdem Helyottus innixus, quæ a Torecchiano, ut ait, Chronico de Humiliatorum origine narrantur, parum adeo probabilia eſſe ait, adeoque recto temporum ordini repugnare, ut ſententiam illam amplecti ſibi non liceat. *Ce que cet auteur met ſur l'établiſſement de cet Ordre eſt ſi peu probable, & s'accorde ſi mal avec la Chronologie , que nous ne pouvons adherer a ſon ſentiment*. Quænam porro hæc eſſe abſona adeo atque incredibilia arbitrabimur? Laudenſes, (hæc ſcilicet in Chronico narrari Helyottus credidit), Papienſes, Cremonenſes, Inſubreſque alii, ſed præcipue Mediolanenſes cum in Henricum I. inſurrexiſſent, Imperator in Italiam profectus illos devicit, præcipuoſque rebellionis auctores captivos ſecum in Germaniam perduxit. Hos exilii pertæſos, B. Guido maximam apud ipſos pietatis famam adeptus, impulit, ut pium auſterumque vitæ genus amplecterentur. Itaque anno MXVII. craſſis veſtibus induti ſu-

 ſceptum

ſceptum illi conſilium in domeſticis ædibus exequi cæperunt. Cujus rei fama ad Henricum delata, hic aliquando iiſdem advocatis, cum omnes ſuis pedibus obvolutos videret: En vos, inquit, tandem *Humiliates*. Hinc de præterita rebellione pauca obloquutus, deque eorum fide certior factus, reditum omnibus in patriam permiſit. Hæc, ſi Helyotto, aut potius Commentariis ad Helyottum miſſis, credimus, in memorato Humiliatorum Chronico narrantur. Sed revera quam hæc ſunt ab ejuſdem Chronici narratione aliena! Nuſquam non modo in illo, quod apud Toichium fuit, Chronico, ſed ne in aliis quidem Papienſes, Cremonenſes, Laudenſes appellantur: nuſquam bellum in eoſdem ab Imperatore geſtum commemoratur; ſed exules illos ſola Henrici ſuſpicione in exilium pulſos fuiſſe teſtantur. Quid? quod B. Guido, qui apud Helyottum Humiliatorum primus auctor apparet, in Chronicis non ante annum MCXCIX. memoratur? Nec vero Henricus Humiliatos quodammodo irridens iis verbis: En vos tandem *Humiliatos:* in Chronicis inducitur, præteritamque iiſdem exprobrans rebellionem, ut arbitratur Helyottus; ſed *Accedite* (hæc ſunt Henrici apud Chronicorum Scriptores verba) *Accedite chariſſimi Humiliati: En religioni dediti eſtis, ut monſtrat habitus veſter? Cui reſponderunt: ſicut vides Imperator: & tunc patriam conceſſit*. Marcus vero Boſſius, qui fuſius plerumque res explicat, Imperatorem, antequam reditum illis permitteret, ſic loquutum fuiſſe narrat: *Simulatum atque conditione velatum votum hoc debet eſſe, ait Imperator: certe crediderim, ſi liberum vobis ad lares proprios daretur iter, animum veſteſque mutaretis. At illi* (pergit Boſſius) ... *e contra dixerunt: Sereniſſime Imperator ita ut vidiſti ſtat noſtra ſententia; quia licet homines fallantur, ipſe Deus falli non poteſt. Imperator igitur ... elevata manu ſuper illorum capita, ſignoque Crucis facto, Ite, quo vultis, inquit, vere Humiliati, & ſic eos benigne licentiavit*.

X. Ex his omnibus ſatis conſtat, maximam quidem laudem Helyotto deberi, qui nullum non lapidem ſe moviſſe teſtatur, ut

Digitized by Google

ut de Humiliatorum initiis certior fieret; at non parem ſane iis tribuendam, qui illi cauſſa fuerunt, ut in hac hiſtoriæ ſuæ parte tam ſæpe laberetur. Hactenus tamen, quamquam falſa a Chronici auctore apud Helyottum narrentur, nihil apparet, quod recto temporum ordini non ſatis cohæreat; atque ipſe Helyottus nihil hactenus habet, quod in Chronico reprehendat. At quod ſubinde in eodem Chronico referri arbitratur, pati Helyottus nullo modo poteſt; Humiliatis ſcilicet Mediolanum reverſis, eorumque uxoribus maritorum exempla ſequutis, S. Bernardum Mediolanum advenientem utriſque perſuaſiſſe, ut patriis ædibus relictis Monaſticam vitam amplecterentur, certaſque iiſdem leges ſtatuiſſe. Qua in narratione duo præcipue reprehendit Helyottus. Alterum, S. Bernardi adventum eodem fere tempore ac Humiliatorum initia ſtatui; quaſi vero, ait, inter Henrici I. tempora, ac Italicum S. Bernardi iter ſupra integrum ſæculum non interceſſerit. Alterum vero, toto hoc centum & amplius annorum ſpatio nullis legibus Humiliatos vixiſſe, ut tunc primum illas a Sanctiſſimo Viro acciperent. Sed Chronici auctori ſuccenſere Helyottus deſinat; nihil enim hujuſmodi apud illum occurrit; quin etiam S. Bernardus in Chronico, quod ad Torchium pertinuit, ne memoratur quidem. Sed de his quæ ad S. Bernardum pertinent, alia diſſertatione quæremus. Nunc quid tandem Helyottus de Humiliatorum exordiis ſtatuat, videamus.

XI. Arbitratus igitur ille, omnino ſibi eſſe a Chronicorum opinione recedendum, novam aliam, a nemine hactenus excogitatam, propoſuit: Humiliatorum ſcilicet Ordinem non anno MXVII. ſed anno MCXVII. cœpiſſe; quo tempore, ait, Henricus V. urbes Inſubriæ non paucas, ejus imperium poſt Mathildis Comitiſſæ obitum detrectantes armis devicit; quam tamen ille opinionem ſolum ut ceteris omnibus probabiliorem amplectitur. At hæc ſcripſiſſe Helyottum ſatis fuit, ut opinio eadem in Moreriano Lexico, tamquam certiſſima, reliquis omnino diſſimulatis, ſtatue-

ſtatueretur (*a*), ac Fabrius, qui Fleurianam Eccleſiaſticam hiſtoriam eſt perſecutus, hanc etiam inter ſententias reliquas recenſeret (*b*), quæ de Humiliatorum exordiis feruntur. *Il paroît plus vrai-ſemblable* (ait Helyottus), *que cet Ordre n'à commencé que l'an.* 1117. *ſous l'Empereur Henri V., qui aprés avoir ſoûmis par la force de ſes armes pluſieurs villes de Lombardie, qui ne vouloient pas le reconnoître pour ſouverain aprés la mort de la Comteſſe Mathilde, dont il étoit heritier, auroit pu avoir envoyé en Allemagne ou comme priſonniers de guerre, ou comme rebelles, de gentilshommes de Lombardie.* At Helyotti hanc opinionem ceteris probabilem ac veriſimilem magis jurene appellemus? Anno MCXV. Mathildes obiit (*c*); Henricus ſequente anno in Italiam deſcendit. At ſi eorum temporum hiſtorici evolvantur, nullum belli cujuſpiam ab Henrico in Inſubres geſti veſtigium occurret. Fuerunt illi quidem cum Romanis Pontificibus Paſchali II., Gelaſio II., & Callixto II. diſſenſiones; ſed nihil turbæ hujuſmodi ad Mediolanenſes pertinuerunt. Atque hi ſane libertatem ſuam conſtanter tutati ſunt (*d*), ſed Henrico controverſiis, quæ illi cum Pontifice erant, diſtento, quin etiam, ſeditionibus in Germania excitatis, propere Italia excedere coacto, non licuit profecto jure ſuo in Inſubres atque armis uti. Quænam igitur Inſubriæ urbes ab Henrico devictæ? Quandonam exules illi Inſubres in Germaniam relegati, ex quibus deinde Humiliatorum ſocietas conflata? Vidit hæc, arbitror, Helyottus ipſe; nec aliud forte voluit, quam ut opinionem hanc qualibuſcumque tandem argumentis innixam proponeret, quam alii deinceps ſuſciperent diligentius expendendam. Profecto ſi illam ita amplexus fuiſſet, ut ceteras omnes rejiceret,

He-

(*a*) Moreri Diction. edit. 1725. ad vocem: *Humiliez.*

(*b*) Hiſtoire Eccleſ. T. 34. fol. 178 num. 26.

(*c*) Murat. Ann. d'Ital. ad an. 1115.

(*d*) Giulini Mem. di Mil. T. 5. pag. 92.

Helyotto potius quam Humiliato Chronici auctori exprobrandum illud eſſet, adeo opinionem hanc improbabilem eſſe, & a Chronologicis rationibus alienam, ut illam tueri nulla ratione liceat.

XII. Helyotti difficultatibus hunc in modum ſolutis, videndum ſupereſt, utrum, quam amplectendam duximus ſententiam, eadem firmis rationum momentis innitatur. Ac revera ſi primi Humiliatorum auctores Inſubres tantum generali nomine appellarentur, quæ Henricus I. in Harduinum Eporedienſem Marchionem ac Italiæ Regem bella geſſit, opportuniſſimam nobis ad Humiliatorum exordia ſtatuenda occaſionem ſufficerent. Harduinus enim plurium Italicarum urbium auxilio fretus ab anno MII. ad annum MXV. cum Henrico de regno Italiæ decertavit. Sed Mediolanenſes fuiſſe, qui Humiliatorum initia jecere, omnes conſentiunt. At vero Mediolanenſibus bellum cum Henrico I. fuiſſe non legimus. Nihilominus eorum temporum hiſtoriam accurate expendentes animadvertimus, ex Mediolanenſibus etiam non pauços, ſin minus palam, occulte ſaltem Henrico adverſatos fuiſſe; quod ipſum ſententiæ noſtræ in primis favet; non enim apertos hoſtes in exilium ab Henrico miſſos Chronici auctor ſcribit; ſed *ſuſpectos habens*, ait, *multos nobiles Lombardos maxime Mediolanenſes & Comenſes, quos ne contra imperium machinarentur in Alemania mittit in exilium*. Porro ut hoc clarius pateat, animadvertendum illud eſt, quod Cl. Julinius, quem ſupra commemoravimus, pluribus ſui operis locis (*a*) oſtendit, inclytæ ſcilicet Ateſtiæ gentis Majores fuiſſe olim Mediolani Comites; ac bello hoc ipſo inter Henricum & Harduinum ſæviente, Obertum hujus nominis ſecundum dignitate hac præditum fuiſſe. Hunc vero Henrici iram promeritum, quod contra illum ſtetiſſet, ex diplomate anni MXIV. conſtat, quo hæc inter cetera habet Henricus: *Notum eſſe volumus univerſis Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, Ubertum Comitem*

(*a*) Memor. di Mil. T. II. pag. 302. e 363. T. III. pag. 98.

mitem filium Hildeprandi , Otbertum Marchionem & filios ejus , & Albertum nepotem illius , poſtquam nos in Regem & Imperatorem elegerunt .... cum Dei noſtroque inimico Arduino regnum invaſiſſe . Diploma integrum Muratorius protulit (*a*) , qui etiam Otbertum hunc non alium eſſe quam Obertum Ateſtium, oſtendit. Hujus etiam facti meminit Triſtanus Calchus (*b*) diploma ipſum commemorans , quod ille Papiæ conſpexerat , ex qua ſcilicet urbe Muratorius illud ipſum eruit. Quin etiam eadem confirmant Arnulphus , Flamma , Pellegrinus Priſcianus , auctor Chronici Novalicienſis , atque Sigonius ; quorum auctoritatem ad rei comprobationem Muratorius profert (*c*).

XIII. Jamvero Obertum Mediolani Comitem ejuſque filios palam Harduino faventes dum cernimus , annon facile ſuſpicemur alios etiam ex Mediolanenſibus ſe illis comites adjunxiſſe , aut ſaltem ita de eorum fide dubium fuiſſe Henricum , ut illos bonorum proſcriptione exilioque mulctarit? Atque Ateſtios quidem brevi iterum Henricus in gratiam admiſit ; ſed potuit his ob generis nobilitatem eorumque promerita facilius placari ; in alios vero ſeverius agere, meritamque ab iis pœnam expetere. Quid? quod revera Mediolanenſes anno MXIV. ſua in Harduinum ſtudia non obſcure ſignificaſſe Julinius idem animadvertit (*d*)? Enimvero cum Harduinum in inimicas Inſubriæ urbes hoc tempore ſævientem, nihil Mediolanenſibus nocuiſſe animadvertimus; cum ab Arnulpho Mediolanenſi illius ætatis ſcriptore *perfidos* appellari, qui Henrico favebant; cum Henricum ipſum plebem , ut ajunt, Trecatenſem ab Eccleſia Mediolanenſi divulſam Novarienſi addixiſſe; atque in Mediolanenſibus eorum temporum cartis non ſane Har-

(*a*) Antichità Eſtenſi Parte I. Cap. XIII.
(*b*) Hiſtor. Mediol Lib. VI. ad an. 1012.
(*c*) Ibid Cap. XIV.
(*d*) T. III. pag. 99.

Harduini, ſed ne Henrici quidem regnum commemorari, quod tamen & ante hæc tempora & deinceps in uſu fuit, cum hæc, inquam, omnia legimus, dubitare vix poſſumus, quin Mediolanenſes, quamvis arma in Henricum non ſumpſerint, adeo tamen ſe ab ejus partibus alienos prætulerint, ut Imperator jure optimo ex ipſis nonnullos exilio dignos ſit arbitratus: quare probabilia illa redduntur Calchi verba, qui poſt ea, quæ indicavimus, hæc addit: *Ceterique rebellionis populares, in quibus non pauci Mediolano, Comoque oriundi fuere, in Germaniam relegantur*. Ad Comenſes vero quod attinet, qui ſimul cum Mediolanenſibus tum apud Calchum, tum apud Chronicorum auctores in exilium ab Henrico ejecti dicuntur, ſatis cauſſæ apud hiſtoricos invenimus, cur id arbitremur potuiſſe ita contingere; quod ſcilicet occultos & ibi hoſtes nactus eſſet Henricus. Duo enim illius diplomata profert Cl. P. D. Primus Aloyſius Tattus (*a*), cujus jam meminimus; utrumque V. Nonas Octobr. anno MXV. ſignatum; quorum altero Comenſi Eccleſiæ ejuſque Epiſcopo Alberico Barzanorum villam in ejuſdem Diæceſi poſitam attribuit, quæ antea ad Berengarium & Hugonem Sigifredi Comitis filios ac rebellionis reos pertinuerat; quos etiam inſequente anno bonis aliis exuens, in Richildem illa contulit Bonifacii Marchionis uxorem, & celeberrimæ Mathildis Comitiſſæ matrem, ut ex alio diplomate apud Muratorium conſtat (*b*); altero autem bona omnia S. Abundii Comenſi Cœnobio attribuit, quæ in Valle Tellina, ac Talamone præſertim Albertus Parmenſis ejuſque filii Vibertus & Sigiſredus rebellionis pariter rei obtinuerant. Vides igitur Henrici hoſtes, ſin minus Comenſes, eos ſaltem, quibus in Comenſi Provincia prædia eſſent, quique idcirco alios etiam rebellionis ſocios nanciſci ibi facile aut ſuſcitare potuerint.

C XIV.

(*a*) Annali Sacri di Como T. II. pag. 135. 137.
(*b*) Antiquit Ital. T. II. pag. 35.

XIV. His nihilominus rationibus P. Tattus non acquieſcit *(a)*; aitque Calchi opinionem, Inſubrum exilium anno MXV. conſignantis defendi non poſſe, tum quod, inquit, Mediolanenſes ac Comenſes numquam Henrici iram promeriti ſunt, cui fidem ſervarunt; quin etiam Arnulphus Mediolanenſis Archiepiſcopus, & Albericus Comenſis Epiſcopus apertos Harduini hoſtes ſe prodiderunt; tum præterea quod Henricum hoc anno in Italiam deſcendiſſe, Hiſtoricorum tradidit nemo. Verum quod ad primum pertinet, quamvis quæ de Mediolanenſium ac Comenſium fide dicuntur, veriſſime dicerentur, fieri ne numquam poſſe dicemus, ut inter fidiſſimos Cives infidi nonnulli reperiantur? An quod Epiſcopus, ac Civitas pleraque parti alicui faveat, nemini partem alteram amplecti licebit? Quod vero ad Italicum Henrici iter pertinet, ego quidem & a Calcho, qui anno MXV., & a prioris Chronici auctore, qui anno MXVII. Inſubrum exilium tribuit, ultro recedam; neutro enim anno Henricus in Italiam venit. Sed Boſſium ſequutus tertii Chronici auctorem, anno MXIV. exules in Germaniam trajectos arbitror, quo certe anno in Italia Henricus fuit *(b)*. Enimvero Boſſius annum Henrici XIII. notat, qui ſcilicet in annum MXIV. incidit; Henricus enim anno MII. Germaniæ Rex renunciatus fuerat: *ejus imperii*, inquit Boſſius, *anno decimo tertio*. Nec vero eſt cur miremur in ea temporum obſcuritate Calchum & primi Chronici auctorem paucis annis Inſubrum exilium diſtuliſſe. Quin immo illos hinc arbitror erraſſe, quod cum in veteribus monumentis legerent anno MXVII. Humiliatorum cœtum initium habuiſſe, eodem pariter anno in Germaniam exules abiiſſe illos, arbitrati ſint, qui initia eadem poſuerunt; nec animadverterint aliquod temporis intervallum inter utramque rem neceſſario intercedere debuiſſe.

XV.

(a) Ibid. pag. 140.

(b) Murat. Ann. d' Ital. ad hunc annum.

XV. Anno igitur MXIV. Inſubrum exilium conſignandum arbitror; hos vero tres circiter annos in Germania exulaſſe meliora ſperantes; anno autem MXVII. patriæ recuperandæ ſpe omni amiſſa, Divina ſectari, aſperum vitæ genus amplecti, craſſiſque indui veſtibus cœpiſſe, donec anno MXIX. hujus rei fama ad Henricum delata, hic in patriam reditum omnibus ea ratione permiſerit, quam ſuperius retulimus. Quapropter qui anno MXVII. Humiliatorum initia ſtatuunt, ita ſcilicet explicandi ſunt; eo nempe anno exules Inſubres prima hujus ſocietatis fundamenta jeciſſe. Reditum vero eorumdem in patriam nonniſi anno MXIX. contigiſſe, primi ac tertii Chronici auctores conſentiunt. Ceterum anno MXVII. ea, qua diximus, ratione Humiliatorum cœtum exortum, non Chronicorum tantum auctores, ſed alii Scriptores quamplurimi affirmant; quamvis eorum nonnulli, ut innuimus, exilii ac converſionis annum non ſatis diſtinguant.

XVI. Ac primo trium Scriptorum ex MSS. Codicibus auctoritatem proferemus. In Puricellii Schedis, quas in Ambroſiana Bibliotheca exſtare diximus, inter plurimas Conſtantini Cajetani Caſinenſis Abbatis literas ad ipſum Puricellium datas, epiſtolam vidimus (*a*) anno MDCXXXIX. IV, Kal. Novemb. conſcriptam, qua narrat, Chronicon quoddam apud ſe eſſe a Monacho Bobienſi ducentos fere ante annos deſcriptum, ubi hæc habet: *Congregatio Humiliatorum habens initium a quibuſdam obſidibus civibus Mediolanenſibus A. D.* 1017., *& ipſa ſatis crevit in gentem &c.* Vides itaque ſæculi XV. Scriptorem, eadem cum Chronicorum auctoribus ſentientem. Alter eſt Jacobus Philippus Beſta, qui plura ad Mediolanenſem hiſtoriam pertinentia ſæculo XVI. conſcripſit, quæ MSS. apud PP. Minores, ut vocant, Reformatos in Cœnobio S. Mariæ vulgo *del Giardino* aſſervantur. Ille enim (*b*) opinionem

C 2

(*a*) Biblioth. Ambroſ. Cod. D 115. fol.

(*b*) Origine e Maraviglie di Milano Lib. VI. Cap. 8.

nionem hanc de Humiliatorum origine ceteris probabiliorem ſtatuit. Sed multo major eſt apud me Puricellii auctoritas. Hic enim cum vetera omnia, quotquot nanciſci potuit, Humiliatorum monumenta diligentiſſime ſcrutatus eſſet, hanc & ipſe præ ceteris ſententiam ſibi amplectendam judicavit, eamdemque in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis (a) ſequutus eſt; ubi etiam, in altero ejuſdem Operis volumine, (quod nec prodiit umquam, nec MS. exſtat in Ambroſiana Bibliotheca, in quam ſchedæ illius omnes deportatæ fuerunt) ſe hoc ipſum fuſius demonſtraturum, oſtendit.

XVII. Ex iis vero Scriptoribus, qui in omnium manibus ſunt, primi pro hac ſententia occurrunt bini XV. ſæculi Scriptores, S. Antoninus (b), ac Raphael Volaterranus (c). Prioris verba proferam, quæ eadem ferme apud alterum invenies. *Anno Domini* 1017. *Ordo Humiliatorum, ut reperi in Scripturis, habuit primum ſui initium.... Sciendum igitur, quod cum Sereniſſimus Imperator Henricus tertius anno prænotato ad partes deveniſſet Lombardiæ &c.* Pergit porro iiſdem fere verbis rem narrans, quibus Boſſius deinde in Chronico uſus eſt. Sed præterquam quod ille XIII. Henrici annum non deſignat, quod Boſſius facit, in eo etiam errat, quod Imperatorem, a quo Inſubres exulare juſſi ſunt, Henricum III. vocat; quem ex illo errorem non Volaterranus tantum, ſed ipſe P. Bonannus (d) hauſit. Ac ſane, ſi auctorum verba in meam pertrahere ſententiam aggrederer, differendi locus hic eſſet, ut tertium potuiſſe a S. Antonino appellari Henricum illum oſtenderem, quem nos I. aut II. dicimus. Quid enim? dicerem; an non ille inter Germaniæ Reges Henricum recenſere potuit Bavariæ Ducem, atque ipſius Henrici I. Patrem? Hic

(a) Monum. Baſil. Ambr. pag. 630.
(b) Chronic. P. II. Tit. XVI. Cap. 13.
(c) Comment. Urban. Lib. XXI.
(d) Storia degli Ordini Relig. P. I. num. 82.

Digitized by Google

Hic enim anno CMLXXXIV., Othone III. adhuc puero Germaniæ rege, opportuna uſus occaſione, ut Rex ipſe ſalutaretur effecit; cui tamen honori ſponte anno inſequente ceſſit. Sed diſtortis hujuſmodi interpretationibus, ſi cui libet, utatur. Si enim S. Antoninum hac ratione meæ ſententiæ conciliare aggrederer, gravius forte illum labentem effingerem, qui inter Germaniæ Reges Henricum hunc recenſuerit, quem ceteri omnes ex eadem ſerie prohibent. Itaque S. Antoninum hac in re erraſſe ultro fateor; ſed hinc nihil ejuſdem auctoritati detrahitur. Illum enim, cum Henricum III. appellavit, eum ipſum, de quo nobis ſermo eſt, intellexiſſe aperte conſtat ex anno MXVII., quo hæc contigiſſe narrat; & ex ipſa rerum narratione. Quæ enim ille refert, neque Henrico III. Germaniæ Regi congruunt, qui anno MXXXIX. Rex renunciatus, anno MLVI. obiit; nec Henrico III. Imperatori ejuſdem filio, qui anno MLXXXIV. a Pſeudo-Pontifice Guiberto ad imperium evectus eſt: neuter enim bella cum Mediolanenſibus geſſit, nec quidquam apud Hiſtoricos legimus, ex quo Inſubres nonnullos ſuſpectæ fidei ab alterutro in Germaniam relegatos ſuſpicemur.

XVIII. Verum etſi nobis S. Antonini, Volaterrani, ac Bonanni auctoritas deeſſet, alios non ſane paucos habemus, per quos noſtræ opinioni pondus accedat; quos inter Andreas Hojus (*a*), Bartholomæus Caſſaneus (*b*), P. Emmanuel Rodericus ex Min. Obſerv. familia (*c*), P. D. Placidus Puccinellus Caſinenſis (*d*), doctiſſimus Natalis Alexander Ord. Præd. (*e*), recenſendi ſunt. Sed hoc præcipue meam mihi ſententiam probat quam maxime, quod illam

(*a*) In Noris ad Cap XXVIII. Hiſt. Occident. Card. de Vitriaco.

(*b*) Catalogus Gloriæ Mundi P. IV. Conſid. VI.

(*c*) Quæſt. Regul. T. I. Quæſt. III. Artic. XI.

(*d*) Chronicon Glaxiat. Cap. I.

(*e*) Hiſt. Eccleſ. Sæc. XIII. & XIV. Cap. VII. Artic. V. num. 2.

illam eorum fere omnium ſuffragiis confirmatam animadvertam, qui Humiliatorum res diligentius tractarunt. Hanc enim, præter eos, quos jam memoravimus, Calchum ac Puricellium, amplexus eſt, validiſque argumentis firmavit Cl. Bibliothecæ Ambroſianæ Præfectus Joſeph Antonius Saxius (*a*); quique præterea adhuc vivunt Scriptores aliquot doctiſſimi, quibus ego majorem meis laudibus famam fruſtra conciliare aggrederer, quam quæ in ipſos ex editis eorum libris redundat. Hi porro ſunt Bibliothecæ Ambroſianæ Præfectus Nicolaus Sormannus (*b*), ejuſdemque Propræfectus Balthaſſar Oltrocchius (*c*), Georgius Comes Julinius (*d*), Vaticanæ Baſilicæ Canonicus Joſeph Garampius (*e*), ac Carolus Doneda Brixienſis Quirinianæ Bibliothecæ Præfectus (*f*); qui omnes aut noſtram hanc opinionem indubitanter ſequuti ſunt, aut illam ſaltem ceteris probabiliorem ſunt arbitrati.

XIX. At mirabitur fortaſſe aliquis, aliud hic argumenti genus a me tacitum præteriri, quo Puricellius, Saxius, Sormannus, ac primi Chronici auctor ſententiam hanc ipſam confirmant; Braidenſem ſcilicet chartam a poſtremo hoc auctore conſpectam, ex qua Braidenſem Humiliatorum domum jam ab anno MXXXVI. extructam fuiſſe conſtat. Sed quæ mihi chartæ hujuſmodi auctoritatem ſuſpectam reddant, opportunius ſequente Diſſertatione commemorabo. At interim, quamvis novo hoc argumento deſtituamur, quæ hactenus diximus, ſatis, opinor, ſententiam noſtram comprobant. Nec tamen, quod Henrici I. ætate contigiſſe oſtendimus, id etiam Conradi ac Friderici temporibus fieri potuiſſe

(*a*) Hiſtor. Typogr. Mediol. ad an. 1483., & Ser. Archiep. Mediol. T. II. in Vita Heriberti.

(*b*) Storia degli Umiliati Cap. I.

(*c*) In Notis ad Vit. D. Caroli Lib. II. Cap. XIV.

(*d*) Mem. di Mil. T. III. pag. 130.

(*e*) Memorie della B. Chiara da Rimini, Diſſertaz. XVI.

(*f*) Memorie di S. Coſtanzo Cap. VII.

fuiſſe inficior; quin etiam, ut ſuperius innuimus, quæ illi cum Mediolanenſibus bella geſſerunt, in cauſſa fuerunt fortaſſe, cur alii eaſdem, quas veteres illi Humiliatorum auctores, calamitates perpeſſi, eorum etiam exemplum, ac vitæ genus ſequerentur; quod & Campius, quem ſuperius memoravimus, & Aurelius Corbellinus Auguſtinianus in Epiſcopis Vercellenſibus confirmant (*a*).

XX. Sed de anno, quo prima Humiliatorum exordia conſignanda ſunt, hæc dixiſſe ſufficiat. Paucula adhuc evolvenda ſuperſunt, quo reliqua, quæ ad eorum initia pertinent, illuſtrentur. Ex iis, quos protulimus, auctoribus nonnulli, Humiliatos albis ſe veſtibus tunc induiſſe narrant, cum primum Deo ſe totos devoverunt. Hæc ſcilicet eſt Curtii, Barelli, Beſutii, Calviſii, Philippi Bergomenſis, Sabellici, aliorumque opinio. Sed hic etiam a veritate illos aberraſſe, & auctores alii in Humiliatorum hiſtoria diligentius verſati, Jovius, inquam, Calchus, Saxius, Sormannus, Julinius, aliique; & tria Humiliatorum Chronica oſtendunt: *Pretioſa*, ait primi Chronici auctor, cui ceteri omnes conſentiunt, *pretioſa deponunt veſtimenta, & induunt veſtimenta berettina*. Hæc porro vox apud Scriptores medii ævi idem ac cinereus ſignificat. Ita in Carmelitarum *Bullario* apud Cangium (*b*): *Clerici dicti Ordinis tunicas nigras de lana tinctas... non berrettinas aut griſeas, & ad nigredinem tendentes &c.* Enimvero poſtquam Humiliati Monaſticam vitam amplexi cinereis veſtibus poſitis albas induerunt, Novitios tamen, ut priorum Patrum memoria vigeret, cinereis uti veſtibus voluerunt: *Caputium & boneſta* (ita in Humiliatorum conſtitutionibus a ſexto Generali Humiliatorum Magiſtro Bertramo II. digeſtis) *Caputium & boneſta* (Novitiorum) *erunt de verdeto, vel de berettino ad differentiam Profeſſorum* (*c*).

Scripti

(*a*) Pag. 70.

(*b*) Gloſſar. Med. & Inf. Latin. ad vocem *Berettinus*.

(*c*) Diſtinct. I. Cap. IX. de Novitiis.

Scripti cujuſdam auctor, quod in Bibliotheca Ambroſiana aſſervatur (*a*), quo Humiliatas Moniales non proprium, ſed Ambroſianum ritum uſurpare in Divinis Officiis peragendis debere, contendit (quem deinde Puricellius eruditiſſima Diſſertatione confutavit), ſcripti, inquam, illius auctor addit, veteres illos Humiliatos ſune latus cinxiſſe, & quoddam capiti impoſuiſſe operimenti genus, quo tunc temporis Laici homines utebantur; ſed ex rudi panno eodem, quo veſtem ſibi adornarant; ſcilicet in manicæ formam compoſitum, quod ex capite in humeros cadens, atque in acutum deſinens ad cingulum uſque pendebat. Unde hæc ille hauſerit, ignoro. Sed videtur Calchi verba reſpexiſſe, qui ex hoc operimento, quo primum in Germania uſi ſunt, Berettanos ſuiſſe illos in Italia appellatos, narrat: *Ac poſtea a magnitudine operimenti capitis, quo in peregrina terra, uti conſueverant, Berettani* (nuncupati) (*b*).

XXI. Idem præterea Calchus Humiliatos eandem in Germania vitæ rationem aggreſſos teſtatur, quam poſtea in Italiam reduces tenuerunt: lanæ ſcilicet faciendæ operam illos dediſſe, pecuniam in pauperes conſueviſſe erogare, ceteraque hujuſmodi, quæ religioſos pioſque homines decerent. Sed de his nulla apud alios auctores, neque in ipſis Humiliatorum Chronicis mentio. Hoc unum Boſſius dicit, morem illis fuiſſe, ut ſæpe ad colloquia convenirent, quo ſe invicem ad propoſitum perſequendum hortarentur. *Sæpe conveniebant iſti nobiles exules ad colloquium, ordinantes & diſponentes ſemper ſe in iſto propoſito humilitatis perſeverare, eſto quod daretur facultas ad propria redeundi*. Nec ſane intelligo, qui fieri potuerit, ut in alieno ſolo exules ea peragerent, quibus homines divitiis exuti, vitamque ægre trahentes impares videntur.

XXII.

(*a*) Cod. D 113. fol.
(*b*) Hiſt. Mediol. Lib. VI. ad an. 1019.

XXII. Dolendum ſane eſt exulum hujuſmodi, ex quibus primum Humiliatorum ſocietas conflata eſt, nomina interiiſſe. Qui enim in Henrici literis, atque in Calchi hiſtoria appellantur, nec illi in Germaniam exules abiere, nec multo poſt in Henrici gratiam iterum, ut vidimus, recepti ſunt. B. Guido autem, & S. Joannes Medenſis, qui a nonnullis inter exules recenſentur, toto amplius ſæculo ab iiſdem diſtant, ut altera Diſſertatione oſtendemus. Sed quicumque illi fuerint, Boſſium jam narrantem audivimus, qua ratione Henricus, cum de iis audiſſet, eoſdem advocarit; ac primo fidem eorum explorans, ubi ſincere illos agere animadvertit, Humiliatos ex animi demiſſione, quam habitu moribuſque præſeferebant, eoſdem appellarit, iiſque in patriam reditum conceſſerit. Qui vero eorum, poſtquam in Inſubriam redierunt, mores, quæ vices fuerint, ſequente Diſſertatione quæremus.

DISSERTATIO II.

DE ALTERIUS TERTIIQUE HUMILIATORUM ORDINIS INITIIS.

I. HUmiliatis Mediolanum reverſis (hanc enim ſere omnibus patriam fuiſſe vidimus) nova illico rerum ſpecies Civium animos in admirationem rapuit. Quos enim cinereis abjectiſque veſtibus indutos e Germania redeuntes conſpexerant, illos aliam omnino, ac ante exilium ſolerent, vivendi rationem amplecti, luxum omnem ceteraque, quibus olim gaudebant, vitæ commoda aſpernari, alioſque ac familiares præſertim uxoreſque ſingulos ſuas in ſeverioris diſciplinæ ſocietatem allicere, aſpiciebant. Enim vero patrias ædes minime ſibi deſerendas, Humiliati initio cenſuerunt: ſed nulla Sacramenti religione obſtricti, præclaris virtutum exemplis intra domeſticos parietes editis, ceteros omnes, qui iiſdem tectis uterentur, ad ſui imitationem excitabant. Id vero feliciſſimo exitu factum. Neque enim Mediolani tantum, ſed & alibi, ac Modoetiæ in primis, ut Chronica teſtantur, auctus mirum in modum Humiliatorum eſt numerus. Cum vero nec turpi otio langueſcere, nec ullum ſibi niſi manuum labore quæſitum victum comparare ſtatuiſſent, homines genere ut plurimum opibuſque clariſſimi lanam facere aggreſſi ſunt; qua deinde re adeo Humiliatorum fama percrebuit. Sed ipſa antiquioris Chronici verba audiamus: *Reverſi qui fuerant exules quilibet in domo ſua familiam ſuam induxit in eamdem devotionem, uxoribus reddendo debitum; & ne in otio eſſent, mercatores & lanæ laboratores eſſe conſtituerunt, ut a ſucceſſoribus cognoſcere potui, & ſicut piſces ita iſti tam in Lombardia, quam extra multiplicarunt.* Nec tamen crediderim, quod nonnulli ſcripſerunt, Humiliatos prorſus omnes in hujuſmodi

artem

artem incubuiſſe. Qui enim facultatibus præſtabant, id facile iis licuiſſe, intelligo; verum aliis deinceps cujuſcumque conditionis hominibus, iiſque non ſane paucis, in Humiliatorum cœtum adſcitis, eos etiam, qui antea arte aliqua exercenda vivebant, illa omiſſa, lanarios factos, difficile adducor, ut credam. Quin immo tertii Chronici verba illud mihi indicare videntur, pleriſque quidem, ſed non omnibus, communem fuiſſe laborem hujuſmodi: *Victum ſibi*, ait Boſſius, *ex labore manuum ſuarum, maxime ex lanificii exercitio, procurabant*. Quid? quod ea loquendi ratione Boſſius idem utitur, ut non in ſuis ſingulos ædibus, ſed in communem aliquem locum convenientes, lanæ operam, ſtatis fortaſſe horis, dediſſe ſuſpicer? Ait enim paullo poſt: *Et qui intrabat in eamdem Societatem ducebatur ad exercitium lanæ, & dabatur ei prædictus habitus*.

II. At quoniam quæcumque Duce ac Rectore careat, nulliſque legibus muniatur Reſpublica, eam in ruinam vergere, ac ſenſim delabi noverant Humiliati, in ſingulis, in quibus hactenus pedem fixerant, pagis urbibuſque, unum ex ſuis, cui rerum omnium adminiſtratio committeretur, ſtatuerunt. Huic Miniſtri nomen impoſitum. Illius porro erat cœtui univerſo, ſinguliſque fratribus præeſſe, eorum commodis proſpicere, cavere incommoda, ceteraque, quæ optimum patrem decent, curare. Ædes etiam collata pecunia aut coemptæ aut exſtructæ, quæ Humiliatorum conventibus paterent. In iis enim ſtatis diebus, ſingulis ſcilicet Dominicis, ſi alterius Chronici auctori habenda eſt fides, collecti, non ſolum lucri ex lanæ opificio percepti rationes, quæque ad Ordinis incrementa conferrent, ſedulo expendebant; ſed, quæ præcipua erat conveniendi cauſſa, ex ſociis aliquem de Chriſtianæ perfectionis ſtudio, deque opportunioribus ad illius conſequutionem adjumentis facili ſermone diſſerentem audiebant. Hinc ædes hujuſmodi *Convenia* aut *Parlatoria* barbaris vocabulis appellatæ; Humiliati ipſi *fratres de Convenio* dicti. Quæ omnia ita ex Hu-

D 2 milia-

Digitized by Google

miliatorum Chronicis conſtant, ut ad difficiliora properanti diutius his immorari minime vacet. Reliqua vero, quæ ad eorum inſtituta legeſque pertinent, tertia Diſſertatione innuemus. Nunc ad alterius Humiliatorum Ordinis primordia explicanda vocamur.

III. Hnnc itaque in modum cæptis alacriter inſtantes Humiliati vivebant, cum perfectioris vitæ ſtudium eorum nonnullos adegit, ut paternis domibus relictis Cœnobia exſtruerent, in quæ ſimul reciperentur. At maxima hic quæſtio occurrit, quonam id tempore, quove auctore factum. Sunt enim, qui non antea Humiliatos arctioris hoc vitæ genus amplexos tradunt, quam S. Bernardus Clarævallenſis Abbas Mediolanum adveniret, quod ſcilicet anno MCXXXIV. contigit. Tunc enim certas vivendi leges a Sanctiſſimo viro Humiliatis ſtatutas ajunt, quas illi in domeſticis adhuc ædibus degentes ſervarent, eoſque paullo poſt ſanctius adhuc victuros in cœnobia ſeceſſiſſe. Alii contra jam ab anno MXXXIV. alterum Humiliatorum Ordinem ortum contendunt. Duo itaque potiſſimum hic inquirenda; primo, utrum antiquioribus illis Humiliatis leges aliquas S. Bernardus præſcripſerit; tum per ea ne tempora tantum initium duxerit ſecundus Humiliatorum Ordo. Qua in re antiquorum ſcriptorum auctoritas, ut omnia pateant, primum eſt proferenda. Porro ne qua difficultas ex vocibus ſuboriatur, Lectorem monitum volumus, illum Humiliatorum Ordinem, cujus initia prima Diſſertatione inveſtigavimus, impoſterum a nobis tertium appellatum iri, quo nomine poſt duos alios Humiliatorum Ordines conditos appellari ille cæpit; ſecundum vero illum a nobis dici, de quo nunc quærimus; primum denique illum, qui tertius quidem poſt duos priores exortus eſt, ſed cum ex Sacerdotibus conſtaret, alioſque adeo dignitate antecelleret, primus eſt nuncupatus.

IV. Atque hic nobis Galvaneus Flamma omnium primus occurrit, qui anno MCCXCVII. Prædicatorum Ordinem ingreſſus, ut

ut Muratorius probat (*a*), multa deinde ad Mediolanenſem præſertim hiſtoriam illuſtrandam ſcripſit. Hic itaque ſic ſtatuit (*b*): *Iſto tempore nobilis vir Guido ex Capitaneis portæ Orientalis fuit ſpecialis adjutor S. Bernardi in fundando Monaſterio de Charavalle juxta Mediolanum de divitiis ejus anno Domini* 1135., *& iſte Guido tertium Ordinem fratrum de Convenio* (ſic nempe, ut vidimus, tertii Ordinis Humiliati ex conveniendi conſuetudine appellabantur) *S. Bernardi in porta Orientali conſtruxit in die S. Vincentii, quem Innocentius tertius confirmavit, & ab Innocentio tertio dictus eſt Ordo tertius. Iſti fratres de Convenio fundaverunt Ordinem Fratrum Humiliatorum, & ipſos viſitabant*. Et alibi (*c*): *Sequenti anno* (ſcilicet, ut Flamma arbitratur, anno MCXXXV.) *B. Bernardus rediit Mediolanum; Claravalle conſtruxit, Ordinem S. Bernardi ordinavit, qui modo dicuntur fratres de Convenio. Prima domus iſtorum fratrum fuit Conventus portæ Orientalis, quam Guido ex Capitaneis portæ Orientalis conſtruxit. Hic autem Guido vir illuſtris Romam ivit, & ab Innocentio tertio in quodam prandio aquam ad manus recepit; & iſtum Ordinem confirmavit; & quia iſte Papa dicebatur Innocentius tertius ideo iſte Ordo tertius appellatus eſt, & eſt exemptus ab omnibus gravaminibus communitatis Mediolani. Hi fratres fundaverunt primum, & ſecundum Ordinem Humiliatorum, & viſitabant ipſos fratres*. Eadem porro verba, quæ ſecundo loco ex Flamma recitavimus, in Mediolanenſibus annalibus, quos Puricellius Petro Azario tribuit (*d*), deſcripta leguntur (*e*). Sed annales hos Azario ſuppoſitos eſſe, evincit Muratorius in Præfatione, quæ annalibus ipſis præmittitur, eorumque Scriptorem ex Flammæ, Azarii aliorumque hiſtoriis plu-

(*a*) In Præfat. ad Manip. Flor. Vol. XI. Script. Rer. Ital.
(*b*) Chron. major MS. cap. 155. ap. Puricell. Monum. Baſil. Ambroſ. num. 375.
(*c*) Manipul. Flor. Cap. XXXI. Vol. XI. Script. Rer. Ital.
(*d*) Monum. Baſil. Ambroſ. num. 375.
(*e*) Annal. Mediol. Vol. XVI. Script. Rer. Ital.

Digitized by Google

plurima ad verbum ſurripuiſſe ; quod etiam ex hoc loco patet. Accedit Chronici Placentini auctoritas, cujus ſcriptor Joannes de Muſſis circa annum MCCCLXXXIX. Muratorio teſte floruit (a). Illius porro hæc ſunt verba: *Eodem anno* (MCXXXV.) *B. Bernardus Monaſterium Claravalle Mediolanenſis Diœceſis conſtruxit, & Ordinem, qui dicitur S. Bernardi ordinavit, qui Ordo tertius appellatur ex confirmatione Innocentii tertii*. Donatus etiam Boſſius eadem ſimilibus verbis explicat (b). *Anno Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo quinto* (ita per typographi, arbitror, errorem impreſſum eſt pro trigeſimo quinto) *B. Bernardus Mediolanum reverſus, Clarevallem, Ordinemque ſui nominis, qui poſtea Convenarum dictus eſt, condidit. Huic Ordini prima domus a Guidone Capitaneo in porta orientali fundata eſt; qui Romam profectus, ut ab Innocentio tertio appellavit: ab omnibus quoque vectigalibus tributiſque communitatis reddidit immunem. Ab his fratribus primus & ſecundus Humiliatorum Ordo inſtitutus eſt*. Id ipſum denique Codicis MS. auctoritate ſuadetur, quem in Bibliotheca Canonicorum Metropolitanæ hujus Eccleſiæ ſervatum, ſpectatiſſimus Bibliothecæ Præfectus, & Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicus Ordinarius Joachim Comes Gambatana nobis humaniſſime communicavit. Humiliatorum ſcilicet Privilegia ac Pontificum ad eoſdem pertinentes litteræ Codice illo continentur. At ſub ejus initium pauca quædam ad Humiliatorum hiſtoriam illuſtrandam anonymo auctore proferuntur. Hic itaque ſic ſtatuit: *Notandum quod anno D. N. J. C.* 1135. *S. Bernardus venit Mediolanum, & ibi multis miraculis claruit; & Monaſterium conſtruxit, a quo quidam magnates & nobiles Mediolani ſpiritu divino inebriati formam vivendi in habitu religioſo cum ſuis familiis habitando ſumpſerunt. Fuit ergo S. Bernardus Ordinis hujus primus Fundator, unde Fratres tertii Ordinis hujus vocantur alicubi fratres S. Ber-*

(a) In Præfat. ad idem Chron. Vol. XVI. Script. Rer. Ital.

(b) Chronic. ad hunc an.

S. Bernardi .... Quare ſciendum quod fratres tertii Ordinis bujus fuerunt ſundatores primi & ſecundi Ordinis Humiliatorum. Codicem porro hujuſmodi medio circiter XV. ſæculo fuiſſe conſcriptum tum characterum forma, tum litterarum Apoſtolicarum ſeries ipſa indicat.

V. His fere auctoribus eorum ſententia nititur, qui tertii Ordinis Humiliatis leges a S. Bernardo conditas fuiſſe contendunt. Mitto enim Georgii Merulæ verba proferre; nam quamvis Puricellio hoc ipſum innuere viſus ſit, ita tamen veris falſa permiſcet, ita obſcure loquitur, ut neminem fore umquam arbitrer, qui ad hanc ſententiam confirmandam Merulæ auctoritate utatur. Sic porro ait (*a*): *Frequentavit hic homo* (S. Bernardus) *Mediolanum tum ob urbium magnitudinem & civium opes, tum quia in regione, quam orientalem portam vocant religioſe educatus, fundamenta inibi Societatis inſeparabilis jecit*. Quis enim non rideat, cum Sanctiſſimum Virum, quem graviſſimis negotiis ac Pontificia legatione Mediolani functum fuiſſe, nemo non novit, *ob urbium magnitudinem, & civium opes* Mediolanum frequentaſſe legat? Illud vero quam lepidum! quod S. Bernardus Mediolani apud portam orientalem educatus dicitur, qui numquam ſcilicet Mediolanum ante attigerat, quam ad Concilium Piſanum ab Innocentio II. vocatus accederet? Quod vero de Societate a S. Bernardo Mediolani ſtatuta idem auctor refert, malit forte aliquis de Mediolanenſibus Innocentio Pontifici Romanæque Eccleſiæ reconciliatis, quam de Humiliatis intelligi.

VI. Ceterorum tamen, quos protulimus, Scriptorum auctoritas ea viſa eſt clariſſimis viris, ut in eorum ſententiam ultro conceſſerint, atque Humiliatos illos veteres certam vivendi legem a S. Bernardo accepiſſe ſcripſerint. Inter hos porro præcipuum obti-

(*a*) Antiquit. Vicecom. Lib. III.

Digitized by Google

obtinent locum Puricellius (*a*), Tattus (*b*), Pagius (*c*), Papebrochius (*d*), Pinius (*e*), Suyskenius (*f*), Helyottus (*g*), Julinius (*h*), magna profecto apud eruditos nomina, ut Cavitellium (*i*), & Fabrium (*k*), ceteroſque minoris notæ Scriptores prætermittam. Unus hactenus inventus eſt Cl. Saxius, qui tot tantorumque auctorum conſenſu (omnes enim, ſi Suyskenium, ac Julinium excipias, Saxium præceſſerunt) minime ſe deterreri eſt paſſus, quominus hanc ſententiam pluribus oppugnaret (*l*). Atque equidem cum hinc Flammæ veterumque Scriptorum auctoritatem ac verba perpenderem, hinc autem haud levia rationum momenta, quæ partim Saxius huic opinioni objecit, partim ego ipſe cogitando objici poſſe cognoveram, ita in Saxii ipſius ſententiam impellebar, ut ad hanc confirmandam, confectam jam, ac prope prælo paratam diſſertationem haberem. Sed cum animadverterem præclariſſimum ac ſæpe laudatum Mediolanenſium rerum Scriptorem Comitem Julinium pro communi opinione, ut ſupra memorabam, ſtetiſſe, operæ pretium me facturum arbitratus ſum, ſi Diſſertationem ipſam cum eodem communicarem; ut ſcilicet, aut illo in meam ſententiam profecto novum huic robur accederet, aut ſi ſuam ille ſtrenue tutaretur, in eamdem ego con-

(*a*) Monum. Baſil. Ambroſ. num. 375., & in MSS. Biblioth. Ambroſ.

(*b*) Vita di S. Gio. da Meda Cap. IV., & Annali Sacri di Como Dec. II. Lib. VI. an. 1134.

(*c*) Critic. ad Annal. Baron. ad an. 1134.

(*d*) Exegeſis Archiep. Mediol. præmiſ. T. VII. Act. SS. Maji num. 116.

(*e*) Acta SS. Aug. T. IV. pag. 149 Edit. Antuerp.

(*f*) Act. SS. Sept. T. VII pag. 348. &c. ejuſd. Edit.

(*g*) Hiſt. des Ordres Relig. T. VI. Cap. XIX.

(*h*) Mem. di Mil. T. V. pag. 302. &c., & T. VI. pag. 192.

(*i*) Annal. Cremon ad an. 1137.

(*k*) Continuat. de l'Hiſtoir. Eccleſ. de M. Fleury T. XXXIV. Lib. 171. num. 26.

(*l*) In annot. ad Landulphi Jun. Hiſtor. Vol. V. Script. Rer. Ital. pag. 513., & in Hiſt. Typogr. Mediol. ad an. 1483. col. 149.

concederem: ita nempe unicuique agendum ratus, qui non ſtudia partium ſequi, ſed hiſtoriæ veritatem attingere decreverit. Quod cum præſtitiſſem, humaniſſimis ille ad me litteris datis ſuam ita ſententiam novis allatis rationibus confirmavit atque illuſtravit, ut ſi minus omnem de ejuſdem veritate dubitationem, certiſſimum tamen, quod jam mecum ipſe ſtatueram, de ejuſdem falſitate judicium ſuſtulerit. Itaque cum dubius, quam potiſſimum ſequerer opinionem, hærerem, placuit productis hinc inde rationum momentis, rem omnem eruditis Lectoribus dijudicandam relinquere.

VII. Ac primo in Flammæ verbis multa occurrere, quæ probari nemini poſſint, facile patet. Ut enim illa omittam, quæ de portæ orientalis domo narrantur, de quibus mox ſermo erit, quam lepidum illud ſane, quod Guido de porta orientali *aquam ad manus in quodam prandio recepiſſe ab Innocentio tertio dicitur?* Illud vero quam obſcurum, ne dicam ridiculum: *Guido tertium Ordinem .... in porta orientali conſtruxit in die S. Vincentii!* Nam quid ego de ingenioſo illo tertii Humiliatorum Ordinis etymo dicam, quem tertium ab Innocentio tertio appellatum ſtatuit? Num primum quoque, atque alterum Humiliatorum Ordinem Pontifex idem non approbavit? Cur ergo ſuum uterque ab Innocentio tertio nomen non eſt mutuatus? Quid denique de tertii ejuſdem Ordinis Humiliatis, quibus Humiliatorum primi alteriuſque Ordinis domos luſtrandi jus fuiſſe contendit? cujus rei nullum umquam in Litteris Apoſtolicis indicium, nullum in Humiliatorum Conſtitutionibus ceteriſque eorumdem monumentis apparet. Anonymi vero Scriptoris, cujus verba ex Codice MS. ſuperius memorato deſcripſimus, craſſiora adhuc ſunt menda. *Quare ergo* (ait modico poſt recitata verba intervallo) *dicitur tertius?* (nempe Humiliatorum Ordo). *Sciendum eſt* (reponit), *quod Ordo iſte non dicitur tertius, reſpectu primi & ſecundi Ordinis Humiliatorum; potius enim diceretur primus; ſed ideo dicitur tertius, quia Papa Innocentius*

E *tertius*,

tertius, quando Fratribus iſtis prius regulam dedit, dixit ore proprio: Hic eſt tertius Ordo; & hoc ideo dixit, quia poſt Ordinem S. Auguſtini, & S. Benedicti prædictus Ordo immediate apparuit, qui ſub neutro illorum duorum Ordinum continebatur. Egregium ſane etymon, ac Varrone digniſſimum! At cur duo alii Humiliatorum cœtus primus ac ſecundus appellati? Num forte Auguſtini, aut Benedicti leges illi ſecuti? Sed quid amplius his nugis immoramur? Porro ridiculum adhuc magis, quod deinde ignotus ille auctor ſubdit. Qui enim ſuperius S. Bernardum anno MCXXXV. Mediolanum veniſſe, vivendique formam Humiliatis tradidiſſe ſcripſerat, ſic proſequitur: *Imperator Federicus Barbaroſſa prope Mediolanum conſedit urbem illam periturus...... Rectores.... civitatis rejecta mortalium ſpe ad Deum confugientes, quoniam magnam fiduciam ac devotionem habebant in S. Bernardo, qui apud eos vivebat multa quotidie miracula oſtendens.... ab eo admoniti & excitati fuerunt, ut amore ſui veſtes albas omnes aſſumerent, humilitatis indicium, atque Imperatori ſe deprimerent & humiliarent, & ita factum eſt*. Tum pergit iis ſimilia referens, quæ nos de Humiliatorum in Germania initiis narravimus; ac tandem ſubdit: *Dehinc obedientiæ ac devotioni S. Bernardi ſe commiſerunt, qui propriis manibus mantellum berettinum eis appoſuit, & tradidit eis modum vivendi cum familiis ſuis ... & hæc eſt cauſſa, qua vocantur fratres S. Bernardi*. Itane vero? An ergo anno MCXXXIV. aut MCXXXV. quo tantum tempore S. Bernardus Italiam incoluit, Fridericus Mediolanum obſedit, qui nonniſi anno MCLII. Germaniæ Italiæque regnum obtinuit? An potius anno MCLVIII. quo primum Mediolanenſis urbs a Friderico eſt obſeſſa, Mediolani adhuc degebat Bernardus, qui jam ab anno MCLIII. ad Superos evolaverat?

VIII. Reliqui vero Auctores Joannes nempe de Muſſis, & Donatus Boſſius nonne videntur, cum de Humiliatis a S. Bernardo inſtitutis loquuntur, Flammam ante oculos habuiſſe? Ac Muſſius quidem contractius, ſed iiſdem fere verbis, eadem ac Flam-

ma

ma narrat: ab utroque ſcilicet locutiones illæ eædem ad verbum uſurpantur: *Monaſterium Claravalle conſtruxit, & Ordinem S. Bernardi ordinavit:* Uterque tertium Humiliatorum Ordinem ab Innocentio tertio appellatum iiſdem fere verbis aſſerit; ut plane videatur Muſſius, quæ apud Flammam invenerat, ea bona fide in Chronicon ſuum intuliſſe. Donatum autem Boſſium Flammæ verba paullulum immutata deſcripſiſſe, nonne is facile ſuſpicetur, qui utrumque diligenter conferat? *B. Bernardus*, ait Flamma, *rediit Mediolanum, Claravalle conſtruxit, Ordinem S. Bernardi ordinavit, qui modo dicuntur Fratres de Convenio.* At Boſſius: *B. Bernardus Mediolanum reverſus, Clarevallem, ordinemque ſui nominis, qui poſtea Convenarum dictus eſt, condidit.* Pergit porro Flamma: *Prima domus iſtorum Fratrum fuit Conventus portæ orientalis, quam Guido ex Capitaneis portæ orientalis conſtruxit.* Boſſius vero: *Huic Ordini prima domus a Guidone Capitaneo in porta orientali fundata eſt.* Flamma denique: *Hic Guido vir illuſtris Romam ivit .... & iſtum Ordinem confirmavit; & quia iſte Papa dicebatur Innocentius tertius, ideo iſte Ordo tertius appellatus eſt, & eſt exemptus ab omnibus gravaminibus Civitatis Mediolani.* Quid vero Boſſius? *Qui Romam profectus, ut ab Innocentio tertio appellavit, ab omnibus quoque vectigalibus tributiſque reddidit immunem.* Quis umquam diligentius alterius auctoris ſenſum retinuit, quamvis non iiſdem omnino vocibus uſus, ne aliena compilare impudentius videretur? Quod ſi Flammam primum fuiſſe hujus narrationis auctorem concedamus, vereor ne illius fides, ut minimum dicam, in dubium ſit revocanda. Ille enim eſt Flamma, *qui* (non meis, ſed illius verbis utor, cujus maxime intererat Flammam a criminationibus vindicare, Muratorii, inquam, qui illius *Manipulum Florum* edendum cenſuit) *in fabuloſis narrationibus, & vulgi rumoribus adoptandis liberalem ſe præſtitit* (a). Quæ cum ita ſint veterum Scriptorum auctoritas omnis,

E 2

(a) Præfat. ad Manip. Flor. Vol. XI. Script. Rer. Ital.

nis, qua freti recentiores eorum ſententiam amplexi ſunt, aut evaneſcere videtur omnino, aut ſaltem imminui.

IX. Quamquam tamen non ea eſt hujuſmodi difficultas, quæ ſolvi nullo modo poſſit. Ac ſane, quod ad Flammam pertinet, multas illum fabulas ſuis Chronicis inſeruiſſe, nemo ſanus neget. Verum an quæcumque apud illum occurrunt, falſa ex præjudicata hac opinione arbitremur? Nihil ne veri Flammam ſcripſiſſe exiſtimabimus? Profecto multa ab illo accepimus, quæ certiſſima ſunt; multa etiam, quorum niſi ille memoriam litteris tradidiſſet, nullum amplius exſtaret indicium. Itaque potuit ille quidem, cum hæc narraret, veris falſa miſcere; ſed non ideo omnia rejicienda, quod nonnulla veritati non congruant. Quod etiam de anonymo illo Scriptore, quem ſuperius memoravimus, dici poteſt. Reliqui autem Scriptores num ideo Flammam deſcripſiſſe dicantur, quod eadem ſimilibus verbis enarrent? Sed, eſto, deſcripſerint. Num id temere illos feciſſe arbitreris? Num vere ne an falſo narrarentur illa a Flamma, quærere eoſdem neglexiſſe exiſtimes? Sane non omnia, quæ a Flamma narrantur, Muſſius & Boſſius ſuis Chronicis inſeruere; quod indicio eſt, diligenter illos, quæ vera arbitrarentur, decerpſiſſe; rejeciſſe vero, quæ falſa. Quare, ſi S. Bernardum Humiliatis leges ſcripſiſſe referunt, quamvis iiſdem fere Flammæ verbis utantur, ſcientes tamen prudenteſque ac rei veritate perſpecta id feciſſe dicendi ſunt. Quæ quidem probabiliter reponi non inficior. Verum ut ſtatuamus, quid de Flammæ ceterorumque narratione ſit judicandum, videndum antea, quibus rationum momentis narratio eadem oppugnetur.

X. Inter cetera, quæ Saxius ad communem opinionem refellendam affert, illud eſt, neminem ex iis, quotquot Bernardi res geſtas ſub ipſa Sanctiſſimi Viri tempora litteris tradiderunt, de Humiliatorum legibus verbum ullum feciſſe; nec S. Bernardi ullum in Humiliatos ſuos amoris monumentum aut in illius epiſtolis, aut in ceteris ſcriptis exſtare. Fateor tamen, parum me hujuſmodi

.uſmodi argumento moveri. Ac vere quidem hæc a Saxio dicuntur; numquam enim Humiliatorum nomen in Bernardi operibus occurrit, aut apud pleroſque ex iis, qui de ejuſdem vita ſcripſerunt. Landulphus junior unus videri poſſet factum hujuſmodi ſaltem innuiſſe; ille enim horum temporum vices referens hæc habet (*a*): *In ſtatuta itaque die non ſolum Suffraganei, ſed quamplures pure induti rudi & inculta lana, & raſi inſolita raſura concurrerunt*. Quibus verbis Humiliatos deſignari Papebrochius credidit (*b*); ſed de Ciſtercienſibus illic ſermonem eſſe, quibus deinde S. Bernardus Claravallenſe Cœnobium erexit, Saxius evidenter oſtendit (*c*); ac certe Humiliatos iis verbis non indicari ex hoc etiam conſtat, quod S. Bernardus nondùm tunc temporis Mediolanum advenerat. Clarius fortaſſe Humiliatos innuere videtur paullo poſt Landulphus, cum de rebus a S. Bernardo Mediolani geſtis loquens, ait (*d*): *& non ſolum maſculi, ſed etiam mulieres tonſæ ſunt, & ciliciis & laneis viliſſimis induti ad quælibet religioſa convertuntur*. At hæc etiam, præterquamquod non de peculiari aliquo cœtu dicta videntur, ſed de univerſæ urbis commotione, quæ S. Bernardi ſermonibus debebatur; ad ſummum evincerent, nonnullos tunc fuiſſe, qui Humiliatorum vivendi genus amplecterentur; ſed certe de legibus, quas Humiliati a Bernardo acceperint, nulla ibi eſt mentio. Itaque vere hæc, ut dicebam, a Saxio objiciuntur; non ita tamen ut ad contrariam opinionem evellendam multum poſſint. Leges ſcilicet hominibus nullo Sacramenti vinculo obſtrictis ſtatutæ, quibus illi vitam in domeſticis ædibus pie ſanctеque moderentur, non eam ſane famam latori comparant, ut miremur de iis ab illius vitæ Scriptoribus prorſus ſileri. Nec porro omnia

(*a*) Hiſtor. Mediol. Cap. 41. Vol. VI Script. Rer. Ital.

(*b*) Exegeſ. de Archiep. Mediol. num. 116.

(*c*) In notis ad ſuprad. C. Landulphi, & in Hiſtor. Typogr. ad an. 1483.

(*d*) Cap. 42.

omnia ſcribi neceſſe eſt, & S. Bernardum eos meminiſſe in ſuis ſcriptis omnes, quotquot ſapientiſſimis ab eo fuerant præceptis aut legibus informati, quis umquam probabit? Certe plurimum ille Mediolanenſes, Genuenſes plurimum dilexit, plurima in illos, dum in Italia eſſet, beneficia contulit. At poſtquam Italia exceſſit num vel ipſum Mediolanenſium, aut Genuenſium nomen umquam in ejus libris occurrit?

XI. Verum graviora adhuc Saxius objecit; ac primo neminem umquam ex Humiliatis Scriptoribus ullam de ſuarum legum conditore Bernardo mentionem feciſſe, peculiarem cultum nullum illi ab Humiliatis præſtitum. Cujus argumenti, quod negativum vocant, quamvis non maxima vis eſſe ſoleat, major hac in cauſſa tamen eſt, quam primo forte aſpectu videatur. Etenim leviſſimis etiam de cauſſis nonnullos ab Humiliatis honoris cauſſa commemorari video, quibus nihil fuit cum Humiliatis ipſis commune. Sane S. Baudolinum, & S. Torpetem Martyrem hoc tantum nomine Sanctis ex Humiliatorum Ordine adſcriptos videbimus, quod illi Alexandriæ, huic Piſis ſacras ædes Humiliati habuerunt. At vero qui primus certam iis vivendi normam propoſuit, illum nullo præcipui honoris cultu inſignitum, quis tandem credat? Neque eſt cur ſuſpicemur, Humiliatos Monachos ideo Bernardi mentionem omiſiſſe, quod Laicis tantum, tertii nempe Ordinis Humiliatis, leges ille perſcripſerat. Qui enim, iterum ajo, Torpetem, qui Baudolinum, quibus Humiliatorum nomen nulla ratione congruit, qui Homobonum, qui Aldobrandeſcam, aliosque, ut patebit, tertium ipſum Ordinem profeſſos, in ſuorum Sanctorum album retulerint, iine Bernardum ejuſdem Ordinis Legislatorem optimum omiſerint? At enim in Humiliatorum Chronicis, ajunt nonnulli, hoc ipſum de Bernardo narratur. Itane vero? At in quibuſnam? Marcus Boſſius ſane tertii Chronici auctor, qui Humiliatorum exordia diligentiſſime inveſtigavit, quique complura Chronica ſe evolviſſe teſtatur,

S. Ber-

Digitized by Google

S. Bernardum ne nominat quidem. Nulla etiam Bernardi mentio in Chronico altero anno MCCCCXXI. conſcripto. Unum illud Chronicon, quod anno MCCCCXIX. confectum diximus, Bernardum commemorat; ſed hoc ipſum cum facit, minuere mihi potius opinionis hujus auctoritatem, quam augere videtur. Placet hic integrum locum proferre, ut quanta his verbis habenda ſit fides, clarius conſtet. Sic itaque, cum de B. Joannis, qui primo Humiliatorum Ordini circa annum MCXL. initium dedit, vita dicere aggreſſus eſſet, ſic inquam Auctor pergit: *Praedictus frater Joannes.... cauſa predicandi Mediolanum veniebat, & apud fratres braidæ hoſpitabatur; quæ braida initium habuit quampluribus & pluribus annis ante. Nam anno Domini 1037. ut viſa eſt & lecta per me, & aliis de Ordine oſtenſa fuit quædam copia facta per fratrem Gofredum de Crepa nomine dictæ domus de perticis centum tredecim.... quinto Januarii anno ſupradicto. Hinc notato quod illi nobiles Cives Mediolanenſes, qui a B. Bernardo, quando Mediolanum venit anno 1135., petierunt formam religioſe vivendi, non propter hoc fuerunt principales fundatores tertii Ordinis Humiliatorum, cum narrata monſtrent oppoſitum. Et per me fratrem Georgium Luraſchum domus S. Petri Vicoboldoni Præpoſitum viſum eſt de anno 1524. inſtrumentum &c.* Quæ quidem verba, quod ad S. Bernardum pertinet, quo attentius perpendo, eo certius ſuppoſita mihi, librariique alicujus manu adjecta videntur. Et ſane hoc ipſum Chronici caput interpolatum eſſe, nemo non videt. Georgius enim Luraſcus, cujus ſunt verba illa: *Et per me &c.* cum anno MDXXIV. vixerit, ut ex hoc ipſo loco patet, is certe Chronici auctor non fuit, quod anno MCCCCXIX. exaratum fuiſſe in Præfatione ſtatuimus. Atqui etiam, quæ proxime præcedunt verba, aut a Luraſco ipſo, aut ab alio ex Humiliatis quocumque appoſita fuiſſe omnino crediderim. Quid enim hæc loco minime opportuno Bernardi mentio, ubi de Joanne eſt ſermo? Cur maximum hoc a S. Doctore in Humiliatos præſtitum beneficium tacitus prætermiſit, ubi de

iiſdem

Digitized by Google

iiſdem diſſeruit; hic, ubi de primi Ordinis Humiliatis diſputat, importunus obtrudit? Quid hæc de maxima ſui Ordinis antiquitate, primiſque exordiis quæſtio, quam, ubi ejuſdem initia expoſuit, ne innuit quidem? Quid porro illa loquendi ratio ſignificat: *Hinc notato quod Nobiles illi Mediolanenſes &c.?* An non rem videtur commemorare alibi jam explicatam, cujus tamen ne veſtigium quidem ullum in aliis Chronici capitibus occurrit? Mihi profectò Humiliati alicujus ea verba videntur, qui cum Chronicon illud legeret deſcriberetve, eaque apud Flammam, aut Scriptorem ex iis, quos jam recenſuimus, alium aliquem, quæ de S. Bernardo ab iis narrari vidimus, inveniſſet, locum ſuo judicio opportunum nactus, Lectores ſibi monendos ſtatuerit, ut quamvis Humiliatorum leges a S. Bernardo latas audirent, non idcirco Bernardum primum fuiſſe Humiliatorum parentem arbitrarentur. Profectò ſi ipſe Chronici auctor illa ſcripſiſſet, vix videtur magnum hoc Humiliatorum decus breviter adeo innui ab eo potuiſſe; nec Marcus Boſſius, qui plerumque, quæ ab antiquioris Chronici auctore paucis exponuntur, fuſius explicat, rem hujuſmodi tacitus omnino prætermiſiſſet.

XII. Gravem hinc fieri communi ſententiæ difficultatem, facile omnes intelligunt; quam tamen egregie diluendam Cl. Julinius litteris, quas memorabam ad me datis, ſuſcepit. Ac primo animadvertit ille, hæc omnia negativo, ut ajunt, argumento contineri. Eſto enim, nullum exſtet monumentum, quod S. Bernardum parentem ab Humiliatis agnitum teſtetur. At exſtat Flammæ, exſtat Muſſii, Donati Boſſii, veterumque aliquot auctorum, exſtat denique recentiorum Scriptorum auctoritas, cui infirmandæ Humiliatorum ſilentium impar eſſe videtur. An enim fieri forte non potuit, ut hoc Humiliati diſſimularent, quod ægre ſcilicet ferrent ab alterius Cœtus Monacho leges ſibi fuiſſe perſcriptas? Quid? quod Humiliatum etiam habemus hujus rei teſtem, recentiorem illum quidem, ſed Humiliatum tamen; illum, ipſum, inquam,

inquam, quem ſuperius narrationem de S. Bernardo Chronico inſeruiſſe vidimus? Quamvis enim loco minime opportuno id fecerit, quamvis illa apud Flammam legerit alioſve Scriptores, ille tamen ſe in ea ſententia fuiſſe oſtendit, ut Humiliatos legibus a S. Bernardo inſtitutos arbitraretur. Quod vero ad cultum S. Bernardo ab Humiliatis præſtitum pertinet, monumenta nonnulla adhuc ſuppetunt, ex quibus ſin minus præcipuum honoris cultum, aliquam tamen obſequii ſignificationem erga Sanctum Virum ab Humiliatis redditam fuiſſe colligimus. Atque erravit quidem Pagius, cum Puricellii verbis fretus, Humiliatos in ſuo ſtemmate S. Bernardi effigiem prætuliſſe generatim affirmavit (a). Hæc enim Puricellii ſunt verba (b): *Ejuſmodi fratrum de Convenio reſiduum ſine dubio eſt locus ille pius Modoetiæ, qui de Convenio in hanc uſque diem appellatur, quique in ſuomet ipſius ſtemmate tutelarem geſtat hunc Sanctum Abbatem*. Quibus verbis Modoetienſe Convenium ſuo tempore, medio ſcilicet XVII. ſæculo, hoc ſtemmate uſum narrat (ac ſupereſt adhuc eodem nomine, ac ſtemmate inſignita ædes illa, ibique aliquot nos vidimus Humiliatorum monumenta, de quibus alibi ſermo erit); ex quo illud ad ſummum colligi poteſt, Modoetienſes tertii Ordinis Humiliatos, quibus quondam fuerat Convenii cura commiſſa, S. Bernardum patronum agnoviſſe; id vero ab aliis Humiliatis factum nuſquam innuit. Quin immo non fuiſſe illud Humiliatis omnibus tertii Ordinis commune ſtemma ex Cl. Dominico Maria Mannio diſcimus. Ille enim Faventinorum tertii Ordinis Humiliatorum ſigillum profert (c), quod ſcilicet unica Cruce conſtat, his verbis circum inſcriptis: *S'. TERCII ORDINIS Umiliator. D' Faventie*. Nihilominus cum videmus Modoetienſes Humiliatos S. Bernardi effigiem

F in

(a) Critic. ad Annal. Baron. ad an. 1134.

(b) Monum. Baſil. Ambroſ. num. 375.

(c) Oſſervazioni ſopra i Sigilli antichi T. VII. Sig. VIII.

in ſuo ſtemmate prætuliſſe, cum non Convenium tantum, ſed etiam Noſocomium Modoetienſe, quod ad Humiliatos eoſdem olim pertinuit, & Faventinam ac Rhegienſem Clauſtralium Humiliatorum domos a S. Bernardi nomine appellatas animadvertimus, cum Bononiæ etiam Noſocomium fuiſſe, cui iidem tertii Ordinis Humiliati præerant, eodem nomine diſtinctum legimus, ut alia Diſſertatione oſtendemus, cum denique ex Gothofredo de Buſſero XIII. ſæculi Scriptore, in Humiliatorum domo, quæ portæ orientalis appellabatur, aram exſtitiſſe S. Bernardo dicatam intelligimus: *Altare* (S. Bernardi) *ad Sanctum Johannem Canonicorum Portæ Horientalis* (a) (de hoc Canonicorum nomine ſermo erit Diſſertatione ſequente); cum hæc, inquam, omnia ſimul collecta perpendimus, videntur Humillati aliquid ſe S. Bernardo debere hujuſmodi obſequil ſignificationibus teſtati. Quibus illud etiam addendum, Humiliatos tertii Ordinis fuiſſe aliquando Fratres S. Bernardi appellatos, ut ab allatis Auctoribus narrari vidimus. Quod argumenti genus, quamvis a Saxio rejiciatur, cum, ut ille ait, Clerici Regulares ex. c., qui Barnabitæ appellantur, a S. Barnaba profecto originem non duxerint, & alias etiam videamus, cum a Religioſis Viris Patronum eligi, a quo ceterum leges nullas acceperint; tamen cum conſtans plerumque mos ſit, ab illius nomine Religioſos Ordines appellari, a quo eorum leges conditæ fuerunt, Humiliatos ideo Fratres S. Bernardi nuncupatos, quod ab illo leges acceperint, jure arbitrabimur, donec aliam hujus appellationis cauſſam fuiſſe aperte pateat.

XIII. Sed aliud adhuc, omniumque forte graviſſimum, argumentum ſupereſt, quo eorum ſententia oppugnatur, qui S. Bernardum Humiliatos leg'bus inſtituiſſe affirmant. Anno MCCI. Innocentius tertius Humiliatorum tertii Ordinis leges Apoſtolicis litteris,

(a) Giulini Mem. di Mil. T. VIII. pag. 415.

litteris, quas ſuo loco edemus, Humiliatis ipſis petentibus comprobavit. Porro, ſi earum auctor S. Bernardus fuiſſet, an non Humiliati illarum approbationem impetraturi, de hoc Pontificem ipſum docuiſſent? An non id Pontifex in ſuis ipſe litteris ultro commemoraſſet? Attamen Bernardi nomen nuſquam in Innocentii litteris occurrit; quin immo in Humiliatorum legibus nonnulla ſe emendaſſe Pontifex narrat: *cum veſtrum nobis fuiſſet propoſitum preſentatum, illud coram nobis & fratribus noſtris perlegi fecimus diligenter, & correctis quibuſdam illud in favorem veſtrum curavimus approbare*. An vero virum humanarum, divinarumque rerum ſcientia præclariſſimum ea ſcripſiſſe arbitrabimur, quæ emendanda eſſent? At forte leges a S. Bernardo acceptas vitiaverant Humiliati, eaque illis addiderant, quæ Pontifex emendanda cenſeret. Eſto, ita fuerit. Sed hoc ipſum commemoraturus fuiſſe Pontifex videtur; qui non alia ratione Humiliatos ad priſtinum vitæ genus revocare opportunius potuiſſet, quam ſi eos monuiſſet, ut leges illas omnino ſequerentur, quas a S. Bernardo acceperant.

XIV. Hæc fere ſunt, quæ in utramque partem diſputari poſſe videntur; quæ ideo fuſe diligenterque expoſuimus, ut unicuique liceat eam, quæ probabilior videatur, ſententiam amplecti. Ego ſane ita incertus hæreo, ut, quam potius ſequar, ignorem. Unum hoc addam, hac forte ratione poſſe omnia ſimul conciliari; nullas quidem leges S. Bernardum Humiliatis dediſſe, ſed multos ejuſdem ſermonibus exemplisque commotos Humiliatorum Societati ſe addixiſſe, Humiliatoſque omnes, S. Bernardo auctore, ſanctius adhuc perfectiuſque vivendi genus amplexos. Si hoc dicamus, & facile ii explicantur Auctores, qui S. Bernardum leges Humiliatis ſtatuiſſe affirmant; nec ulla eſt amplius, aut multo ſaltem minor earum difficultatum vis, quibus ſententiam eamdem oppugnari poſſe vidimus. Sed jam ad ea, quæ de Guidone Portæ Orientalis Capitaneo Flamma ceterique narrant Auctores, expendenda accedimus.

Digitized by Google

XV. Tria ſcilicet illum præſtitiſſe affirmant: S. Bernardo in Clarævallenſis prope Mediolanum cœnobii conſtructione, divitiis ingentibus collatis, plurimum profuiſſe: eumdem primam Humiliatis domum in orientalis portæ regione ædificaſſe; eumdem denique Romam profectum tertii Ordinis Humiliatorum ſtatuta ab Innocentio III. approbanda curaſſe. Enim vero Guidonem quemdam portæ orientalis Capitaneum appellatum, in Clarævallenſis Cœnobii exſtructionem opes ſuas contuliſſe, ex aliis etiam auctoribus accepimus. Nam & Sigonius de Bernardo loquens (*a*), *Monaſterium Claraevallis*, ait, *prope Mediolanum ope Vidonis ex porta orientali Capitanei inſtituit;* quod etiam Joannes Franciſcus Beſutius confirmat (*b*). Sed præſertim ex MS. ipſius Monaſterii Codice id eruitur, quem ſe vidiſſe Puricellius teſtatur (*c*): ibi enim cum multa continentur ad ejuſdem originem pertinentia, tum hæc inter cetera: *Guidonus de Capitaneis portæ orientalis largitus eſt multa bona Monaſterio*. Guidonem pariter quemdam Romam profectum, tertii Humiliatorum Ordinis approbationem ab Innocentio III. impetraturum, certiſſime conſtat. Hoc ſcilicet quicumque fere de Humiliatis ſcripſerunt; hoc eorumdem Chronica omnia confirmant; novumque ac validum ſane hujus rei documentum Cl. Comes Julinius, quæ ejus eſt in minutioribus quibuſque rebus perpendendis diligentia, in ipſis Innocentii litteris deprehendit (*d*), quas ille Humiliatorum tertii Ordinis leges approbans ad eorumdem Miniſtros mittit; etenim inter eos primus occurrit *G. de porta orientali:* Guido ſcilicet videtur omnino prima illa littera deſignari.

XVI. Verum unum eumdemque Guidonem anno MCXXXV. Cla-

(*a*) De Regno Ital. lib. XI. ad an. 1134.

(*b*) Iſtor. Pontific. di Mil. in Vita Anſelmi V. Archiep.

(*c*) Monum. Baſil. Ambroſ. num. 384.

(*d*) Memor. di Mil. T. V. pag. 309.

Claræuallenſis Cœnobii conſtructionem, atque anno MCCI. (hoc enim anno ſuas ad Humiliatos litteras Innocentius dedit) ſui Ordinis approbationem curaſſe, non facile credam. Mitto apud Humiliatos Scriptores nihil umquam innui, quo Guidoni ſuo fuiſſe quidquam cum S. Bernardo commune indicetur. At profecto virum eumdem, qui cum anno MCXXXV. in Mediolanenſi urbe Capitanei dignitatem jam eſſet adeptus, & Claræuallenſes Monachos liberaliſſime ditaret, adulta ſane ætate, ſuique juris eſſe debuit, quique anno MCLII. eo jam proceſſerat, ut filiorum ſuorum tutorem Guerentius quidam Mediolanenſis civis illum renuntiaret (*a*), eumdem, inquam, anno MCCI. non vixiſſe ſolum, ſed ita viribus valuiſſe, ut Romanum iter ſuſciperet, haud facile aſſentiar. Vidit hoc ipſum Cl. Julinius, ac dubius hæſit, num duos forte Guidones diſtingui oporteret. At ex iis, quæ Diſſertatione VI. dicturi ſumus, ubi de illuſtribus morum ſanctitate Humiliatis ſermo erit, conſtabit, unum revera eumdemque eſſe Guidonem, qui optime tum de Claræuallenſi Cœnobio, tum de Humiliatis eſt meritus. Itaque ut objectæ difficultati occurramus, illud animadverſione dignum arbitror, quod in Claræuallenſis Cœnobii codice, quem ſuperius innuimus, dicitur quidem Guido multa cœnobio eidem bona largitus; ſed hoc ipſis S. Bernardi temporibus factum non dicitur. Potuit itaque nonnullis poſt annis id præſtare Guido; quod ſi dicamus, jam veriſimile etiam fiet, eumdem anno MCCI. adhuc vixiſſe. Flamma autem, & Sigonius Flammam ſequutus, qui Guidonem S. Bernardi ſocium hac in re fuiſſe aſſerunt, temporis proximitate decipi facile potuerunt, ut id crederent S. Bernardi ætate factum, quod revera nonniſi aliquot poſt annis contigerat. Verum illud probare non poſſum, quod Flamma, aliique Scriptores referunt, primam ab eo Humiliatorum domum in porta orientali poſitam. Quid

(*a*) Giulini Mem. di Mil. T. V. pag. 530.

Quid enim? An ſecundi Ordinis Humiliatos intelligunt? Minime ſane; hos enim Humiliatos, quibus Guido, ut arbitrantur, primam in porta orientali domum conſtituit, ſecundum ac primum Humiliatorum Ordinem deinde condidiſſe, iidem referunt. Fateantur ergo neceſſe eſt, ſedem illam tertio Humiliatorum Ordini anno MCXXXV. poſitam fuiſſe; eidem, inquam Ordini, cujus initia ad annum MXVII. referenda eſſe vidimus, illis etiam conſentientibus, qui Humiliatos a S. Bernardo leges accepiſſe ſtatuunt. Verum fierine potuiſſe arbitrabimur, ut per CXVIII. annos certam nullam conveniendi ſedem Humiliati haberent, ac domum hiſce conventibus agendis Guido primus ſtatuerit? Sane in eorum Chronicis paullo poſt Humiliatos e Germania reverſos fieri hoc cœpiſſe legimus. *Etiam communibus ſumptibus*, ait Marcus Boſſius, cui ceteri conſentiunt, *conſtruxere unum locum in qualibet Civitate, loco &c. magnum &c. amplum, ita ut omnes fratres caperet*. Hoc vero ante annum MXXXIV. contigiſſe referunt. Quapropter conficta ea videntur, quæ Flamma ceterique auctores de prima hac domo a Guidone Humiliatis conceſſa narrant. Nec tamen conceſſam fuiſſe inficior; quin etiam probabiliter id dici, videbimus, ubi de Joannis vita ſermo erit. At primam omnium illam fuiſſe, quotquot Humiliati habuerunt, nego.

XVII. Interim eum Flammæ ac ceterorum veterum Auctorum verba attentius perpendo, videor mihi, quid illos in errorem induxerit, intelligere, ut Guidonem primam Humiliatis ſedem in porta orientali ſtatuiſſe ſcriberent. Cum enim Guidonem de porta orientali opes ſuas in Claravallenſe Cœnobium contuliſſe legerent, quod certum eſt; cum pariter Guidonem domus, quam Humiliati in orientali porta habebant Fundatorem fuiſſe, eumque Humiliatorum leges ab Innocentio tertio approbandas curaſſe, animadverterent; & Humiliatos inſuper alicubi fratres S. Bernardi appellatos; cum hæc, inquam, viderent, fieri facile potuit, ut omnia ſimul miſcerent; & Ciſtercienſes cum Humiliatis, &

Cla-

Claravallenſe, primum ſcilicet Mediolanenſe Ciſtercienſium Cœnobium cum *domo de porta orientali* confunderent. Hoc autem ex iis præcipue Flammæ verbis ſuadetur: *& iſte Guido tertium Ordinem fratrum de Convenio S. Bernardi in porta orientali conſtruxit in die S. Vincentii*. Hic enim Humiliatos pro Ciſtercienſibus, & domum de porta orientali pro Claravallenſi Monaſterio perperam accepiſſe Flammam, Julinius ipſe non diffitetur. Etenim ipſa ſcilicet S. Vincentii die, nempe XI. Cal. Februar., Cœnobium hoc vetuſtiſſimum conſtructum fuiſſe ex lapide conſtat, qui adhuc in ejuſdem clauſtro viſitur. Is porro, ut Cl. Julinius refert, ſic habet (a): *Anno gratie MCXXXV. XI. Kal. Febr. conſtructum eſt hoc Monaſterium a B. Bernardo Abbate Clarevallis*. Ut mirum proinde non ſit rerum nominumque ſimilitudine deceptum Flammam, quique Flammæ veſtigia ſunt inſequuti, in hujuſmodi narratione haud ſemel lapſos fuiſſe.

XVIII. Nunc quod ſecundo loco inquirendum propoſuimus, aggrediamur, utrum circa illud tempus, quo S. Bernardus Mediolanum advenit, alter Humiliatorum Ordo initium habuerit. Hic vero, quæ a Cl. Helyotto in hanc rem proferuntur, ſunt expendenda. Ille ſcilicet iis commentariis fidens, quos Mediolano ad illum miſſos diximus, quibuſque Torrecchiani, ut ipſe ait, Chronici compendium contineri arbitratus eſt, hanc eſſe illius auctoris opinionem narrat: S. Bernardum, ubi Mediolanum advenit, ab Humiliatis, qui nullis adhuc legibus vivebant, rogatum, ut opportuna religioſæ vitæ præcepta iis traderet; quod cum impetraſſent, ejus conſilia ſequutos propriis ædibus exceſſiſſe, & communem in cœnobiis vitam ducere aggreſſos eſſe. *Dans le ſejour, que S. Bernard fit a Milan, les Humiliés ... prierent ce Saint de leur preſcrire quelques Règlemens pour leurs conduite; il leurs conſeilla de ſe ſeparer de leurs ſemmes, & de vivre en*

(a) Mem. di Mil. T. V. pag. 194.

en commun; & paullo poſt de tribus Humiliatorum membris loquens, ait: *Le ſecond commença, lorſque l'an 1134. par le conſeil de S. Bernard ils ſe ſeparerent de leurs femmes pour vivre dans la continence, prirent des habits blancs . . . & jetterent les fondemens de leurs premier Monaſtere a Milan au quartier de Brera* (*a*). Qua in re duo potiſſimum ſe mirari aît Helyottus; alterum, quod Chronici auctor, qui anno MXIX. prima Humiliatorum initia ſtatuerat, ea loquendi ratione utatur, ut paullo poſt leges illis a S. Bernardo perſcriptas innuat, quem non ante annum MCXXXIV. Mediolanum adveniſſe conſtat; alterum vero, quod, ſiquidem Humiliatorum Ordo anno MXIX. cœpiſſe, ſimulque non antea legibus inſtitutus fuiſſe dicatur, quam S. Bernardus ad Mediolanenſes accederet, totis CXV. annis nullis legibus Humiliatos vixiſſe affirmet. Verum ſi ipſa Humiliatorum Chronica vidiſſet Helyottus, næ ille ab eorumdem auctoribus arguendis abſtinuiſſet. Etenim nihil hujuſmodi apud eos inveniri jam vidimus; nec ſolum paullo poſt inceptum Humiliatorum Ordinem ejuſdem leges a S. Bernardo latas non indicant, ſed de ipſis Bernardi legibus vix aliquid obſcure adeo Chronicorum Scriptores innuunt, ut aliena potius, quod jam probavimus, quam auctoris manu adjectus locus videatur. Hoc ipſum porro non ſub ipſa Humiliatorum initia, ſed anno MCXXXV., quo ſcilicet Bernardus Mediolani fuit, contigiſſe dicitur, ut quicumque ea ſcripſerit, ab Helyotto certe violatæ temporum rationis accuſandus non ſit. Alterum vero, quod Helyottus miratur, Humiliatos ſcilicet per annos CXV. nullis legibus vixiſſe, etſi id ita factum ultro concedamus, non ejuſmodi tamen eſt, ut optime Suyskenius animadvertit (*b*), quod ab Helyotto reprehendi merito poſſit. Hic ipſe

(*a*) Hiſt. des Ord. Relig. T. VI. Cap. XIX.
(*b*) Act. SS. Vol. VII. Sept. in Vita S. Joan. de Meda.

Digitized by Google

ipſe enim de Antuerpienſibus Begardis differens (a), quiddam ſimile indubitate refert; illos nempe ab anno MCCXXVIII. ad annum MCCXC. non ullis legibus quidem, ſed ſolo caritatis vinculo obſtrictos Antuerpiæ vixiſſe narrat. Quidni ergo, inquit, Suyskenius, quod Begardis ad LXII. annos per Helyottum licuit, idipſum Humiliatis ad CXV. annos licuerit? Etſi enim multum inter hæc duo temporis ſpatia intereſſe videatur, nemo tamen non videt in hac cauſſa, quod per annos LXII. fieri non repugnet, ad annos etiam CXV. facile poſſe perduci. Præterquamquod potuerunt utique veteres illi Humiliati leges quaſdam ſibi ipſi perſcribere, quæ poſtea a S. Bernardo aut immutarentur, aut ad meliorem formam redigerentur. Alterum vero Humiliatorum Ordinem a S. Bernardo initium habuiſſe, nec Chronicorum auctores, nec ullus ex antiquis Scriptoribus affirmavit; ut profecto mirer ab eo, qui de Humiliatorum rebus commentarios, quos memorabam, ad Helyottum miſit, ſcribi tam aſſeveranter potuiſſe, Humiliatos S. Bernardo auctore, uxoribus patriiſque domibus relictis, monaſticam vitam amplexos fuiſſe.

XIX. Jam vero quonam potiſſimum tempore factum hoc fuiſſe dicemus? Si Chronicorum auctoritati ſtandum eſſet, ad annum MXXXIV. revocari illa oporteret. Hunc enim annum tum in antiquiori, tum in Boſſiano Chronico margini adnotatum invenio, ubi alterius Ordinis initia recenſentur; & hanc ſane fuiſſe Scriptorum ſententiam, nec annum MXXXIV. pro MCXXXIV. margini per errorem irrepſiſſe, ex iis, quæ mox ſubdemus, conſtabit. Sed ea quidem eſt Chronicorum auctoritas, ut ſi quid in illis affirmari videam, quod ab alio quocumque Scriptore rejiciatur, illis potius quam huic adhærendum cenſeam. At ſi vetera ac certa ſuppetant monumenta, multo majorem hæc fidem, quam ipſi Chronicorum auctores merentur. Itaque ſi quo hujuſ-

G modi

(a) Hiſt. des Ord. Relig. T. VIII. Cap. XXXIII.

Digitized by Google

modi monumento Chronicorum auctoritas oppugnetur, ab eorum ſententia recedere oportebit. Porro, ut in hac quæſtione omnia dilucide fluant, hoc primum ſtatuo, Braidenſem hanc noſtram domum, vulgo *Brera*, omnium, quotquot alterius Ordinis Humiliati habuerunt, fuiſſe antiquiſſimam, ita ut idem ſit domus hujuſce ac alterius Humiliatorum Ordinis initia definire. Primo enim Mediolanenſes Humiliatorum domos ceteris antiquitate præſtitiſſe tum ex communi opinione compertum eſt, tum præſertim ex ipſis Humiliatorum conſtitutionibus. Etenim cum in Mantuano eorumdem conventu anno MCDXXXVI. de immutanda Generalis Magiſtri eligendi ratione ageretur, cuperentque nonnulli veterem atque hactenus uſurpatum morem antiquare, ut ſcilicet Electores ex Mediolanenſi urbe ac diœceſi delecti iis omnibus numero pares eſſent, quotquot ex reliquo Ordine mittebantur; qui veterem comitiorum rationem tuebantur, hæc inter cetera objecerunt: *Quia ſi appareat Præpoſitos & Prælatos Mediolani & Diœceſis Mediolani in aliquo propter dictas Conſtitutiones fore aliquo honore & prærogativa ornatos, iſtud evenit, quia ipſi Præpoſiti ſeu majores ſui fuerint fundatores aliarum domorum* (*a*). At vero inter Mediolanenſes Humiliatorum domos Braidenſem omnium antiquiſſimam fuiſſe tum ex Innocentii III. (*b*), Honorii III. (*c*), & Gregorii IX. (*d*) Apoſtolicis litteris colligimus, in quibus Braidenſis domus prima omnium recenſetur; tum ex duplici domorum omnium Catalogo, quem primi Chronici Scriptor ſuæ hiſtoriæ inſeruit, in quo pariter Braidenſis domus omnibus præponitur; tum ex eo denique, quod in Humiliatorum Comitiis Braidenſis Prælatus ad dexteram poſt Rondenarienſem Præpoſitum (hæc

(*a*) Conſtitut. Ord. Humil. Diſtinct. XIV. Cap. VII.
(*b*) 1202. 2. Id. Jun.
(*c*) 1220. 15. Kal. Febr.
(*d*) 1227. 3. Kal. Jun.

(hæc enim domus primi Ordinis antiquiſſima fuit), primus ſederet. Quare quo tempore Humiliatorum alter Ordo initium habuit, eodem Braidenſem domum conditam fuiſſe arbitror.

XX. Braidenſem autem domum jam ab anno MXXXVI. aut MXXXVII. exſtitiſſe, Chronicorum auctores non affirmant modo, ſed veteribus monumentis productis confirmant. Rem jam attigimus hujus Diſſertationis numero XI. Sed integrum antiquiſſimi Chronici locum, cujus tunc fragmentum protulimus, referre hic juvat. *Anno Domini* 1037. (margini autem hæ voces apponuntur: *legendam videtur* 1036.) *ut viſa eſt & lecta per me & aliis de ordine oſtenſa fuit quædam copia facta per fratrem Gofredum de Crepa nomine dictæ domus* (Braidenſis) *de perticis centum tredecim terræ vidatæ in loco Ronchi dioceſis Mediol. tradita per Creſbenium de Guidonis Notarium quinto Januarii anno ſupradicto, quæ quidem emptio facta fuit ante obitum dicti Joannis Presbiteri annis centum viginti tribus*. Hoc ipſum Humiliatorum monumentum ab alterius Chronici auctore memoratur; ſed anno MXXXVI. tribuitur. *Primas* (Prælatus) *fuit ille de Brera, ut præſumitur, attenta etiam quadam emptione facta per fratrem Guffredum de Creppa nomine dictæ domus anno Domini* 1036. *ſub quinta Indictione, quod fuit ante obitum Beati fratris Joannis Presbiteri annis* 123., *tradita per Creſbinum de Guidonis Notarium*. Præterea eodem prioris Chronici loco chartæ alterius mentionem non ipſe quidem auctor, ſed Georgius Luraſcus addidit his verbis: *Et per me fratrem Georgium Luraſchum domus S. Petri Vicoboldoni Præpoſitum viſum eſt de anno Domini* 1524. *quoddam inſtrumentum locationis libellariæ factum per Dominam Caracoſam uxorem Jacobi Madii in quemdam fratrem Joannem Vaſſallum Rectorem & Miniſtrum domus Roncharii dicti Ordinis dioceſis Laudenſis, quæ domus fuit unita domui de Vicoboldono, quod inſtrumentum rogatum fuit de anno Domini* 1056. *vigeſimo tertio Aprilis Indictione decima quarta per quemdam Aveſtum de Serregno notarium in Melegnano, & extractum per quemdam Bonacurſum de Seregno*.

 Quo

Quo documento quamvis domus Braidenſis origo non innuatur, Humiliatorum tamen Ordinem alterum per ea tempora exortum fuiſſe confirmatur. Atque his monumentis innixos Chronicorum auctores anno MXXXIV. ejuſdem Ordinis initia ſtatuiſſe arbitror. His ipſis Saxius (*a*), & Sormannus (*b*) opinionem hanc ipſam confirmant; eademque ſpectaſſe Puricellius videtur, cum ſe in altera Ambroſianæ Baſilicæ Monumentorum parte [quam numquam edidit, ac forte ne ſcripſit quidem] demonſtraturum pollicebatur (*c*), Braidenſem Humiliatorum domum ab anno MXXXVI. extitiſſe. Ac ſane ſi de eorumdem fide conſtaret, nullum eſſet in hanc rem validius argumentum.

XXI. Verum illam in dubium revocare nuper cœpit Cl. Julinius (*d*); ac tria ſcilicet antiquiori chartæ opponit: Imperatoris nomen, ejuſque Imperii annum prætermiſſum; tum Indictionem quintam anno MXXXVI. non congruentem; quinta enim indictio ſequente anno numerabatur; eam denique nominum rationem, quorum nondum illa ætate uſus invaluerat, quæque rariſſima in illorum temporum monumentis occurrunt, *Gofredus de Crepa*, *& Creſbenius de Guidonis*. Fateor tamen iis, quæ primo & ſecundo loco Cl. auctor objicit, me non ſatis moveri. Quod enim pertinet ad Epocham, ut dicimus, Imperatoris omiſſam, ſi cui monumento deeſſe illam cernerem, quod integrum proferretur, de ejus fortaſſe auctoritate ſuſpicarer. Verum neuter Chronicorum auctor monumentum ipſum recitat, ſed chartæ illius meminit tantum, ut hinc Braidenſis domus comprobetur antiquitas. Quare potuit Indictio in charta ipſa indicari; ſed a Chronicorum auctoribus, ut minimè neceſſaria, prætermitti. Quinta vero indictio

(*a*) Hiſtor. Typogr. Mediol. ad an. 1483.
(*b*) Storia degli Umil. Cap. I.
(*c*) Monum. Baſil. Ambroſ. num. 375.
(*d*) Mem. di Mil. T. III. pag. 382.

dictio non quidem ad annum MXXXVI. pertinet, ſed utique ad annum MXXXVII. quo chartam eamdem vetuſtioris Chronici auctor conſignatam fuiſſe teſtatur, ut vidimus. Quid vero ſibi voluerit, qui voces illas margini addidit: *Videtur legendum anno 1036.* facile intelligo. Videbat nempe paullo poſt a Chronici auctore hæc ſubdi: *Quæ quidem emptio facta fuit ante obitum dicti Joannis Presbiteri annis centum viginti tribus.* Quare cum S. Joannem anno MCLIX. diem ſuum obiiſſe ſciret, CXXIII. annos ab anno MXXXVI. non vero MXXXVII. numerandos eſſe omnino exiſtimavit; itaque Chronici auctorem hoc loco lapſum arbitratus, voces illas, quibus error emendaretur, margini adjecit. Quod deinde in cauſſa fuit, cur alterius Chronici ſcriptor eumdem annum adnotaret; falſa ſupputationis ſpecie in errorem inductus. Verum ſi chartam illam die quinta Januarii an. MXXXVII. ſcriptam fuiſſe animadvertamus; S. Joannem vero die 26. Septembris an. MCLIX. vita defunctum, annos CXXIII., qui interceſſerunt, melius ab anno MXXXVII. quam ab anno MXXXVI. ſupputari intelligemus. Quæ autem ex nominum ratione petitur difficultas chartæ hujuſce auctoritatem ſuſpectam omnino reddit. Enimvero nomina prænomini addita perraro in illius ætatis monumentis occurrunt; & ſi qua occurrunt ea plerumque ex patria ducuntur; ut hoc fere argumento ad chartarum auctoritatem ſtatuendam, aut minuendam utantur eruditi. Itaque cum duos hic reperiamus non prænomine tantum, ſed familiæ etiam nomine deſignatos, de chartæ hujus fide non immerito dubitamus. Minus autem chartæ alteri, quam meminimus, Laudenſi anni MLVI. hæc difficultas nocet. Etenim circa annum ML. aliquanto frequentius nomina hujuſmodi uſurpata animadvertimus. Ita in documento anni MLI., quod Cl. Julinius profert (a), occurrunt *Petrus de la Sala*, & *Johañes Lita*. Verum ſua non deeſt Lau-

(a) Memor. di Mil. T. III. pag. 532.

Laudenſi chartæ, eaque graviſſima, difficultas ex Indictione petita; neque enim anno MLVI. Indictio decima quarta, ut Luraſcus ait, ſed nona numerabatur. An vero id ſpectaverit Sormannus, cum de hoc monumento loquens (a) anno MCXXXVI. illud conſignat, ad quem nempe XIV. indictio pertinebat, an potius typorum errore numerus ille in Sormanni hiſtoriam pro MLVI. irrepſerit, ignoro. Sane ſi hoc vir clariſſimus ſciens fecit, optandum fuiſſet, ut, quorum Codicum auctoritate non levis hæc immutatio inniteretur, innueret. Quid vero ſi utrumque hoc monumentum ſincerum quidem fuiſſe fatear, ſed ad ætatem multo recentiorem pertinere, oſtendam? Quid ſi primum illud non anno 1037. ſed anno 1307., alterum vero non anno 1056. ſed 1256. conſcriptum fuiſſe, evincam? At nec oſtendere id, nec evincere eſt animus, ſed ſolum, quid hac in re conjectura aſſequutus ſim, eruditis viris proponere. Atque hoc primum obſervo, hanc notarum mutationem poſſe facile contingere, ut ſcilicet 1307. mutetur in 1037. & 1256. in 1056. Præterea anno 1037. Indictio V. aſſignatur; at hæc eadem anno 1307. congruit. Annus vero 1056. in charta Laudenſi Indictione XIV. notatur, quæ nullo modo ad illum pertinet. At pertinet illa utique ad annum 1256.. Quid plura? In charta anno 1037. a Chronicorum auctoribus conſignata Guffredus de Creppa domus Braidenſis Frater nominatur; atque hoc familiæ nomen non bene illi ætati convenire oſtendimus. At non ſolum anno 1307. illud convenit, ſed ex illa familia homines per ea tempora exſtitiſſe, atque aliquid cum Humiliatis Braidenſibus commune habuiſſe ex charta an. 1301. 20. Januar. Rog. per Jacobum de Bruziano patet, quæ in noſtri hujus Collegii tabulario aſſervatur, qua *Imblavadus alio nomine Melliorinus venditionem facit Domino Manfredo filio quondam Domini Guillelmi de Crepa juris perito civitatis Mediolani de ficto libel-*

(a) Stor. degli Umil. Cap. I.

bellario... quolibet anno dando & ſolvendo... per prelatum, ſratres, & capitulum domus braide guerzi porte nove &c. Quid ni dicamus Manfredum hunc eumdem eſſe, qui Humiliatis poſtea adſcriptus conventionem illa charta indicatam inierit, cujuſque nomen in *Guffredum* Chronicorum ſcriptores temere immutaverint? Chartam vero Laudenſem anni 1056. vidimus per *Aveſtum de Seregno* rogatam, ut ajunt, fuiſſe. At cum ego veteres chartas in Laudenſi S. Benedicti Cœnobio ſervatas evolverem, una occurrit an. 1253. 8. Septembris, qua profeſſio Jacobæ de Agnate Humiliatæ continetur; notarius porro illi ſubſcribitur: *Avoſtus de Seregnano*. An non hunc eumdem eſſe dicas ac Aveſtum illum de Seregno, qui in Humiliatorum Chronicis memoratur; quique proinde non anno 1056. ſed circa an. 1256. vixerit, cujuſque nomen Chronicorum auctores, aut librarii aliquantulum corruperint? Quæ ſit horum argumentorum vis, viderint eruditi. Certe iiſdem chartarum hujuſmodi auctoritas multo magis dubia redditur. Itaque, cum ſuſpecta ſit horum monumentorum fides, Braidenſis domus, atque adeo alterius Humiliatorum Ordinis initia anno MXXXIV. ſecundum Chronicorum opinionem conſignanda eſſe, nondum ſatis conſtat.

XXII. Hæc cum mecum ipſe agitarem incertus omnino hærebam, quam potiſſimum ſententiam amplecterer. Quamvis enim de monumentorum, quæ memoravimus, fide dubitarem, adhuc tamen Chronicorum auctoritati non parum tribuendum arbitrabar. Sed ſimul ſubibat ſuſpicio, ne Chronicorum auctores iis tantum monumentis in ſententia ſua adſtruenda innixi eſſent; quibus proinde in dubium revocatis, ſententia ipſa fere corrueret. Illud etiam ſuſpicionem augebat, quod certa Humiliatorum monumenta nulla mihi ante annum MCLXXVI., ut videbimus, occurrerent. Vix porro fieri potuiſſe arbitrabar, ut, ſiquidem Braidenſis domus ab anno MXXXVI. extitiſſet, poſt quam alias etiam conſtructas fuiſſe oportuerat, ne unum quidem domus ali-

cujus

cujus monumentum ante annum MCLXXVI. ſuperfuiſſet. Nihilominus Chronicorum auctoritas haud videbatur mihi deferenda, niſi illa certis monumentis everteretur. At monumentum hujuſmodi in noſtri hujus Collegii tabulario deprehendere tandem licuit, chartam ſcilicet anno MCLXXVIII. conſcriptam, qua Chronicorum de alterius Humiliatorum Ordinis initiis opinio omnino evertitur. Diligenter enim illa perlecta accurateque expenſa viſus ſum Braidenſis domus, atque adeo alterius Humiliatorum Ordinis initia poſſe illius auctoritate definire. Quin etiam cum dubitationes hujuſmodi meas cum Cl. Comite Julinio communicaſſem, quo eruditi hominis hac de re ſententiam exquirerem, me ille ſcilicet confirmavit, ut ex chartæ ipſius verbis, quæ vix poſſent alio ſenſu explicari, quæſtionem ipſam abſolverem.

XXIII. Chartam porro ipſam omnium quotquot hactenus nanciſci potuimus, præter Vicoboldonenſem, quam commemorabimus Diſſertatione VII., antiquiſſimam, in monumentorum collectione proferemus. Nunc ea tantum expoſuiſſe ſufficiat, quæ in rem noſtram faciunt. *Anno dominice Incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo, ſeptimo die menſis novembris Indictione duodecima.... finem & refutationem atque ceſſionem fecerunt martinus presbiter eccleſie ſancti Johannis que dicitur quattuor facies ex parte ipſius eccleſie, & Anricus & Johannes atque otto....... in manu Gulielmi presbiteri eccleſie ſancti Ylarii..... de tota illa decima, quam jam dictus martinus presbiter..... habebant in terra, que eſt in braida, que fuit de guertio de badaglio, quam ſuzo bagutanus, & Johannes bellus de Arcuri ac petrus de Sologno emerunt a vicimonte Cumino, que eſt pertice duodecim & tabule octo ad partem religioſorum hominum, qui habitare debebant in illa terra..... Ibi ſtatim.... inveſtivit ſupraſeriptus Gulielmus presbiter, atque ceſſit.... predicto Suzo bagutano ad partem illorum hominum & feminarum qui & que ſunt humiliati per Deum ad domum illam que edificata eſt ſuper predictam terram &c.* Vides, hic ſcilicet anno MCLXXVIII. Suzonem Baguta-

gutanum decimam redemiſſe, cui obnoxia erat Braida, *quam* idem *Suzo Bagutanus*, *& Johannes bellus de Arcuri*, *ac petrus de ſologno emerunt... ad partem religioſorum hominum qui habitare debebant in illa terra*; & hanc illum decimam redemiſſe *ad partem illorum hominum & feminarum qui & que ſunt humiliati per deum ad domum illam*, *que edificata eſt ſuper predictam terram*. Braidenſis itaque domus exſtructa jam erat quo tempore illam Suzo hac decima liberavit; & terram antea illi exſtruendæ Suzo idem cum duobus aliis ſociis emerat. Ac ſane verbis illis: *quam Suzo bagutanus &c.* primam Braidenſis domus originem indicari facile ſuadetur. Quo enim potius ſenſu illa explices? An dicas Braidenſem quidem domum jam exſtitiſſe, ſed illi amplificandæ hanc agri partem Suzonem & ſocios emiſſe? Hoc ſuſpicatus & ipſe fueram, cum alterius Humiliatorum Ordinis exordium anno MXXXIV. tribuendum exiſtimarem. Sed re diligentius perſpecta, non licere illa hoc ſenſu explicari animadverti. Etenim nulla ibi domus jam exſtructæ, nulla habitationis amplificandæ, nulla veterum incolarum mentio; quam tamen fieri oportuerat, ſi de ædibus tantummodo augendis ſermo fuiſſet. An potius dicemus, conductam antea in Braidenſi agro domum Humiliatos habuiſſe, quam deinde Suzo ac ſocii emerint? At ne ſic quidem intelligi poſſe allata verba exiſtimo: ſic enim dici vides: *ad partem religioſorum hominum qui habitare debebant in illa terra*; quæ ſane loquendi ratio male iis congrueret qui jam *in illa terra* habitarent. Enimvero cum de decimæ redemptione anno MCLXXVIII. peracta eſt ſermo, quo ſcilicet tempore Braidenſem domum Humiliati incolebant, ſic dicitur: *ad partem illorum hominum & feminarum qui & que ſunt humiliati per Deum ad domum illam que edificata eſt ſuper predictam terram*. Quas diverſas loquendi rationes ſi invicem conferas, intelliges ſane, ubi terræ emptio commemoratur, nondum ibi domum exſtructam fuiſſe indicari; exſtructam vero oſtendi, cum de decimæ redemptione agitur. Habes itaque in Suzone Bagutano

H ejuſque

ejuſque ſociis primos Braidenſis domus emptores, atque adeo conditores; adeoque multo poſt annum MXXXVI. conſtructam illam fuiſſe certiſſimum eſt.

XXIV. At quonam potiſſimum anno conſtructam illam dicemus? Num eodem anno MCLXXVIII., aut paullo antea? Ita quidem libenter ſtatuerem, & Mediolanenſium ſub Friderico Ænobarbo calamitates opportuniſſimam alterius Humiliatorum Ordinis origini occaſionem ſuppeditare viderentur. Sed illud præſertim obſtat, quod tertius Humiliatorum Ordo, qui deinde ex Sacerdotii dignitate primus eſt appellatus, quique certiſſime poſt Ordinem ſecundum inſtitutus eſt, antequam Fridericus bellum in Mediolanenſes moveret jam initium habuerat; quod mox conſtabit, cum oſtendemus primum hunc Ordinem circa annum MCXL. coaluiſſe. Itaque ante annum MCXL. Braidenſis domus initia locanda ſunt. Nihil porro veriſimilius in tam incerta re ſtatui poſſe arbitror, quam ſi dicamus circa annum MCXXXVI. aut MCXXXVII. alterius Humiliatorum Ordinis fundamenta jacta. Quamvis enim Humiliatos S. Bernardo auctore id præſtitiſſe nemo ex antiquis Scriptoribus retulerit, ut vidimus, fieri tamen facillime potuit, quod jam innuimus, ut plurimi ſanctiſſimi hominis ſermonibus hortationibuſque excitati ad tertii Ordinis Humiliatos ſe adjungerent; ac paullo poſt ex iiſdem nonnulli ſanctius adhuc vitæ genus amplexi in cœnobia ſecederent, ac ſecundi Humiliatorum Ordinis initia ponerent. Profecto cum hujus origo nec poſſit poſt annum MCXL. retrahi, nec multo ante eumdem annum conſtitui, nullum videtur opportunius illi definiendæ tempus. Dixi non poſſe alterius Humiliatorum Ordinis initia multo ante annum MCXL. conſtitui; quin immo aliqua in nos difficultas exoritur, cum hanc ſententiam amplectimur. Suzo enim ille, quem locum Braidenſi domui ædificandæ emiſſe vidimus, vixiſſe adhuc anno MCXCVIII. videtur. Etenim in eodem noſtri hujus Collegii tabulario charta alia ſervatur, qua *anno a nativitate Domini*

noſtri

noſtri Jeſu Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimo octavo tertio die menſis Februarii Indictione prima venditionem .... fecerunt Romanus qui dicitur de niguarda, ac arnoldus frater ejus .... in Suzonem prelatum congregationis fratrum de braida &c. Itaque cum Suzo adhuc anno MCXCVIII. viveret, ſi idem anno MCXXXVII. vel MCXXXVI. Braidenſem domum conſtruxit, dicendum eſt illum XX. circiter aut XXX. annos natum id præſtitiſſe, ſimulque LXXX. aut etiam XC. vitæ annum attigiſſe. Qua in re quamvis nihil abſurdi appareat, neceſſe tamen eſt, aliquam nobis dubitationem ſuboriri. Verum donec fieri id nullo modo potuiſſe nemo oſtendat, integrum nobis erit, quod fieri potuit, id revera contigiſſe arbitrari. Quod ſi adhuc facilior hujus rei explicatio requiratur, dicemus potuiſſe quidem Humiliatos ad paucos aliquot annos ædem aliam conducere, quam incolerent, donec Braidenſi agro coempto certam ibi domum ſtatuerent, quæ omnium antiquiſſima jure optimo appellaretur, cum vetuſtior illa breve tantum commodatumque hoſpitium præbuiſſet. Ita Mediolanenſem Societatis noſtræ domum ad S. Fidelis earum, quas, Mediolani habemus, antiquiſſimam appellare nemo dubitabit. Attamen certum eſt ædes in Carrubio, ut dicimus, poſitas ad quinque circiter annos Jeſuitas incoluiſſe, donec certa illis a S. Carolo ſedes ad S. Fidelis ſtatuta eſt. Fieri ergo pariter potuit, ut anno circiter MCXXXVI. Humiliati Monaſticam vitam aggreſſuri domum aliquam initio conducerent; tum paucos poſt annos Suzo ſociique Braidenſem fundum emerent, fixamque ibi Humiliatis ſedem ponerent; ac deinde anno MCLXXVIII. Suzo ipſe decimam illam redimeret, quam Braidenſis eadem domus ſolvere tenebatur, ut vidimus. Ex his omnibus ſatis, opinor, evidenter oſtendimus, alterius Ordinis initia circa annum MCXXXVI. locanda eſſe, eodemque tempore, aut ſane non multo poſt Braidenſis domus conſtructionem.

XXV. Jam vero ad alia accedimus, quæ ex eadem charta

intelligimus. Suzo Bagutanus, Johannes Bellus de Arcuri, ac Petrus de Sologno, qui inter primos alterius Ordinis auctores profecto ſunt recenſendi, ut certam Humiliatis ſedem figerent, locum *in terra que eſt in braida* coemerunt. Braida porro idem eſt, ut exemplis allatis Cangius probat, ac *campus vel ager ſuburbanus* (*a*), voce ut videtur a Latino vocabulo *prædium* corrupta. Atque hoc nomine ager vocabatur extra illam hujus urbis portam jacens, quæ quondam prope Humiliatarum Cœnobium patebat S. Catharinæ in Braida adhuc nuncupatum. Novo deinde murorum ambitu aucta urbe anno MCLVII., ager hic, ſeu Braida urbi incluſa eſt; ac porta ibi poſita, ubi adhuc viſitur, atque ex templo proximo S. Marci nomen obtinet; antea Porta Beatrix a Beatrice Eſtenſi Ludovici Sfortiæ uxore dicta; ſed antiquis temporibus Puſterula, ſeu Porta Braidæ Guercii appellabatur. Locus tamen ille Braidæ nomen adhuc retinet. Sed de his plura vide apud Julinium, qui veterem hujus urbis topographiam diligentiſſime illuſtravit (*b*). Hanc vero Braidam fuiſſe *de Guertio de Badaglio* ſeu de Badagio, eadem nos charta docet. Quibus verbis loci dominus aperte indicatur. Arbitratus eſt Sormannus (*c*), ac probabiliter id fieri potuiſſe Julinius exiſtimavit (*d*), nomen hoc Braidæ inditum a Guertio quodam ab Hoſtiolo nuncupato; qui ab anno MCL. ad annum MCLXXXVIII. ſæpe Mediolanenſis Reipublicæ Conſul fuit. Sed Guertium alium de Badagio nuncupatum Braidæ dominum fuiſſe, ex charta hac noſtra manifeſte evincitur, ut deinde Julinius ipſe animadvertit (*e*). Nec vero a Guertio Humiliati, ſed a Vicimonte Cumino Braidæ partem coemerunt, qui

(*a*) Gloſſar. Med. & Inf. Latin. T. I. edit. Ven. col. 1305.
(*b*) Memor. di Mil. T. IV. pag. 399. T. VI. pag. 74, & pag. 450.
(*c*) Stor. degli Umil. pag. 112.
(*d*) Mem di Mil. T. VI. pag. 188.
(*e*) Ib. T. IX. pag. 67.

qui illius dominium, quacumque tandem de cauſſa, adeptus fuerat. Ab hoc itaque *perticas duodecim & tabulas octo ad partem religioſorum hominum qui habitare debebant in illa terra* Suzo Bagutanus, ſociique emiſſe dicuntur. Qui vero eſſent *religioſi homines* hi, de quibus eſt ſermo, clarius aliis iis verbis oſtenditur: *ad partem illorum hominum & feminarum qui & que ſunt humiliati per Deum*. Ex his enim intelligimus non viros ſolum ſed & mulieres monaſticam vitam eodem tempore amplexas; ut unum idemque fuerit & alterius Humiliatorum Ordinis & Humiliatarum Monialium initium.

XXVI. Sed illæ etiam voces diligenter animadvertendæ: *qui & que ſunt humiliati per Deum;* quæ hoc ſane indicant, non ita tunc fuiſſe Humiliatorum nomen uſurpatum, ut tamquam illius cœtus proprium adhiberetur. Enimvero nec in Innocentii literis, quibus eorum leges confirmat, nec in ullo alio ante annum MCCXI. monumento, *Humiliatorum Religio*, vel *Humiliati Fratres* occurrunt. Solum, ut innuebam, anno MCCXI. in Girardi Cardinalis Legati literis ad Humiliatos datis XII. Cal. Majas nominatur *Religio quæ Humiliatorum appellatur*. Quo deinde nomine ſemper deinceps in reliquis monumentis iidem deſignantur; ut hoc tantum tempore crediderim, proprium hujus Cœtus fieri cœpiſſe Humiliatorum nomen; quamvis, cum propoſitum illis eſſet, ut in Humiliatorum tertii Ordinis legibus videmus, *humilitatem cordis, & manſuetudinem in moribus juvante Domino cuſtodire* potuerit hoc ipſum, cum de iis ſermo erat, aliqua ratione indicari, ut in hac charta illis verbis factum cognoſcimus: *qui & que ſunt humiliati per Deum*. Nec tamen idcirco illa rejicere cogimur, quæ a Chronicorum auctoribus narrari prima Diſſertatione audivimus, Humiliatos ſcilicet ab Henrico Cæſare primos illos Inſubres appellatos fuiſſe, qui ad ejus pedes ſupplices abjectique prociderunt. Quamvis enim factum id fuiſſe fateamur, potuit tamen ſerius in Italia nomen hujuſmodi ad illorum Societatem deſignandam uſurpari.

pari. Sed jam ſatis in charta hac expendenda immorati ſumus; nec tamen irritum cecidiſſe laborem noſtrum ſperamus, cum plura hinc hactenus ignorata aſſequi nobis licuerit. Itaque quo tempore alter Humiliatorum Ordo initium duxerit, ſatis videtur conſtare. Pauca nunc de ejuſdem auctore proferenda.

XXVII. Ac Suzonem Bagutanum quidem, Joannem Bellum de Arcuri, ac Petrum de Sologno inter primos fuiſſe, qui alterum Humiliatorum Ordinem amplecterentur, eadem charta docemur. Cur enim externos homines fuiſſe arbitremur, qui fundum Humiliatorum domui conſtruendæ emerunt, non Humiliatos ipſos? Multo autem clarius id conſtabit, ſi animadvertamus Suzonem hunc ipſum Braidenſis domus Prælatum aliquot poſt annis fuiſſe. Attamen alium fuiſſe ſuſpicor, qui primus Humiliatos ad perfectius vitæ genus ſuſcipiendum impulerit. Inter MSS. Bibliothecæ Ambroſianæ Codices, quorum mihi uſus ab eruditiſſimo ejuſdem Pro-præfecto Balthaſſare Oltrocchio humaniſſime conceſſus fuit, in quoddam Necrologium incidi in ea Humiliatorum domo inventum, quæ de Ottaciis appellabatur, eadem ſcilicet, quæ nunc in pauperum ſenum noſocomium converſa eſt. Necrologium hoc ſæculo XIII. ex characterum forma conſcriptum crediderim; eorumque nomina continet, qui in eadem domo obierant in anni dies diſtributa. Animadvertendum porro eſt Ottaciorum domum ad ſecundum Humiliatorum Ordinem pertinuiſſe. Jamvero in hoc Necrologio Idibus Aprilis commemoratur: *F. Petrus de Puteo qui fuit ædificator hujus Congregationis*. Quæ verba ſi diligenter perpendamus, vix alio ſenſu explicari poſſe videntur, quam ſi dicamus Petrum hunc alterius Humiliatorum Ordinis fundatorem fuiſſe. Quid enim? An domus ipſius conditorem intelligemus? At hunc Fratrem Ottacium fuiſſe, plura nos monumenta docent, in quibus illa *Domus Fratris Ottatii* appellatur. Nam & Gothofredus Buſſerus apud Julinium (a) *Eccleſiam Fratris Ottatii*

(a) Mem. di Mil. T. VII. pag. 461.

Ottatii nominat; & in Canturienſis Capituli tabulario charta aſſervatur anno MCCLVI. conſcripta, quam ab humaniſſimo ejuſdem Capituli Nobili Canonico Carolo Barnaba Carcano nobis communicatam ſuo loco edemus, ubi domus eadem appellatur: *Domus humiliatorum que dicitur fratris Ottatii porte Vercelline*. Quibus ſane verbis videtur ipſius conditor deſignari; cur enim ab eo nomen mutuaretur, quem fundatorem non agnoſceret? Quod eo etiam clarius patet, quod non multo ante hunc annum MCCLVI. hujus domus initia a Chaleo ſtatuuntur (*a*), ſcilicet circa annum MCCXXXII. *Per idem tempus concedente Gulielmo Archiepiſcopo fratres Humiliati novum Cœnobium condidere porta Vercellina, cui de primarii ipſorum & ſenioris nomine Othacii nomen fuit*. Itaque Chalcus etiam ſtatuit a fratris Ottatii nomine fuiſſe domum illam appellatam. Sed non alia ratione id factum, quam quod primarius inter Humiliatos illos ac ſenior Ottatius eſſet, haud facile credam. Majus enim quiddam requiri videtur vulgo, ut alicujus nomine domus quæpiam perpetuo deſignetur. Itaque ab Ottatio ipſo Cœnobium illud exſtructum veriſimillimum arbitror. At his poſitis, quid aliud voces illæ *hujus Congregationis ædificator*, quibus F. Petrus de Puteo ornatur, ſignificent, quam illum alterius Humiliatorum Ordinis parentem a ſuis agnoſci? Duo objici poſſe video: alterum Petrum hunc in Ottaciorum domo obiiſſe, cum illius nomen in ejuſdem domus necrologio occurrat; non potuiſſe autem probabiliter primum Humiliatorum parentem, qui circa annum MCXXXVI. floruerit, in Ottaciorum domo decedere, quæ nonniſi circa annum MCCXXXII. conſtructa fuerit. Alterum vocem illam *ædificator* alio omnino ſenſu interdum accipi; ut is ſcilicet denotetur, qui pia vivendi ratione ceteris exemplo præeſt; ut videre eſt apud Cangium (*b*). Verum quod ad primum attinet, quam-

(*a*) Hiſtor. Mediol. lib. XIII. ad an. 1232.
(*b*) Gloſs. Med. & Inf. Latin. T. I. edit. Ven. col. 183.

quamvis Petrus de Puteo in Ottaciorum domo non obierit, primi tamen parentis nomen potuiſſe ab ejuſdem domus Humiliatis necrologio ſuo inſeri nemo dubitabit. Quæ enim ex patris morte jactura ac dolor percipitur, filios afficit univerſos, ut æquum ſit ab omnibus illius memoriam quotannis revocari. Ad alterum vero quod pertinet, poſſe & hoc ſenſu vocem illam explicari non inficior. Sed cum in hoc Necrologio Petro uni appellatio hujuſmodi tribuatur, cum tamen alios etiam ibidem obiiſſe exiſtimem ſane, qui optimo fratres ſuos exemplo juverint, videtur peculiari alio ſenſu illa explicanda, ut is ſcilicet deſignetur, quem Ordinis ſui auctorem Humiliati fateantur. Quod ſi minus Latine *Congregationis ædificator* pro *fundator* dicitur, Humiliatos non adeo de Latini ſermonis elegantia ſollicitos arbitror fuiſſe, ut non potuiſſe illos ſic loqui exiſtimem. Profecto ne alio quidem, quem ſupra innuimus, ſenſu Latino vocabulo *ædificator* aliquis appelletur. His adductus minime a vero me aberraturum crederem, ſi Petrum de Puteo alterius Humiliatorum Ordinis auctorem ſtatuerem. Verum cum prolata in hanc rem argumenta non ea ſint, quibus hujuſmodi opinioni validum auctoritatis pondus accedat, totum hoc eruditis viris dijudicandum relinquo.

XXVIII. Supereſt denique, ut quam illi vivendi formam amplexi ſint, breviter evolvamus; neque enim opus eſt ea fuſius enucleare, quæ ita ex Humiliatorum Chronicis conſtant, ut nullus dubitationi locus ſuperſit. Ex Humiliatis igitur nonnulli perfectioris vitæ ſtudio excitati, patriis ædibus relictis, communem ac monaſticam vitam amplexi ſunt. Quas illi ſequerentur leges, proxima Diſſertatione quæremus. Nunc pauca tantum de eorum veſtibus addimus. Cinereis itaque, ſeu, ut dicebant, *berettinis* veſtibus poſitis, albas induunt. Quæ cujuſmodi eſſent ex tertii Chronici ſcriptore audiamus: *Aſſumpſerunt ſibi habitum alium a berettino, ſcilicet tunicam & honeſtam albam ſine capucio: in capite berettam altum & album, a quo dicebantur tunc temporis fratres berettani;*

tani ; extra domum autem deferebant mantellum ſeu mantelleſſam, alio nomine dicebatur gabanum ; quod erat integrum de ante & non nimis latum, cum duobus foraminibus pro brachiis emittendis, puta ut hodie deferunt in domo fratres humiliati. Quæ omnia clara adeo ſunt, ut explicatione non egeant. Illud ſolum animadvertendum *boneſtam* [quam vocem miror in Cangii Gloſſario deſiderari] apud medii ævi ſcriptores eamdem eſſe, quam nos vulgo dicimus, *ſcapolare*. Omnis autem veſtiaria Humiliatorum ſupellex in eorum legibus ab Innocentio III. approbatis diſtinctius recenſetur; quæ tamen leges etiam ad Sacerdotes Humiliatos pertinebant, ut videbimus: *Veſtimenta fratrum ſint : Camixia, brage & tamen groſſe, pellitiam quoque habere liceat, veſtitum, guarnatiam*, [ſcilicet tunicam] *manſtrucam agninam nudam vel opertam* [pelliceum veſtis genus, quo forte domi arcendo frigori utebantur] *mantellum, caligas, ſcoſones, patitos, ſubtulares* [tribus his vocabulis, ut Cl. Julinius monet (*a*), diverſa calceorum genera ſignificantur]: *nocturnales quoque calceos habeant, ſi permiſerit Prelatus. Stramenta autem lectorum ſunt hec. Biſacium vel filtrum* [culcitra], *capitale quoque eis liceat habere, & duo lintea de lana. Alteram quoque manſtrucam habere liceat Infirmis, aut habere liceat culcitram & linteum de ſtupa vel lino*.

XXIX. Hominum exemplum mulieres protinus imitatæ ſunt; vidimus enim in Braidenſi domo viros ſimul fœminaſque ab initio habitaſſe. Hic ſcilicet fuit antiquis temporibus Humiliatorum mos, ut in eadem domo, certis tamen intervallis diſtincti, Fratres ac Moniales viverent, qua de re fuſius alibi loquemur. At quonam tempore ſeparata mulieribus cœnobia conſtrui cœperint, non ita facile definiri poſſe arbitror. Tertii Chronici auctor hæc habet de Monialium origine, ubi etiam, quam habitus formam aſſumpſerint, explicat: *Mulieres ſimiliter ut monachas*

I (ita)

(*a*) Mem. di Mil. T. VII. pag. 156.

(ita) *ligaverunt ſe quandarinis, & velis albis ligaverunt capita ſua, induerentque ſe tunicis albis honeſtiſque ſine aliquo capucio, & his qui in ſocietate ſua aggregari volebant, dabant habitum ſuum ſive viris, ſive mulieribus, ita quod multi fecerunt per ſe domos, & ſimiliter per ſe mulieres;* ubi vides omnia uno contextu narrari, ut quo tempore ſingula acciderint non ſatis conſtet. Si quibuſdam Bartholomæi Zucchii literis fides habenda eſſet, quas XV. Auguſti MDCXXVIII. ad Puricellium datas in Bibliotheca Ambroſiana deprehendi, Humiliatarum S. Margaritæ Cœnobium, adhuc Modoetiæ exiſtens, ante ipſum XII. ſæculum conditum fuiſſe, ſtatuere oporteret: ait enim: *hanno Scritture antiche, che provano l'antichità del monaſtero forſe di 700. anni*. Verum, quæ tunc fuerint in Cœnobio illo monumenta, ignoro. Illud certo affirmare poſſum, me chartas omnes ibi adhuc ſuperſtites evolventem, nullam ne ipſo quidem XIV. ſæculo conſcriptam offendiſſe, quamvis tamen multo antea conſtructum illud fuerit. Ut uno verbo dicam, diſtincti ab Humiliatorum domibus Humiliatarum Cœnobii monumentum hactenus nullum ante XIII. ſæculum comperire mihi licuit. Qua itaque auctoritate fretus Cl. Helyottus jam ab anno MCXXXIV. Humiliatarum Cœnobii, olim de Blaſſono nunc S. Catharinæ Braidenſis appellati, fundamenta jacta fuiſſe narraverit (*a*), ignoro. Certe nec Chronicorum ſcriptores, nec veterum monumentorum auctoritas quidquam hujuſmodi tradunt. Sed de hoc aliiſque Humiliatarum Cœnobiis alibi ſermo recurret. Quæ Humiliatarum veſtes fuerint, ſuperius vidimus. Vox illa *quandarinis*, ſeu ut antiquioris Chronici ſcriptor habet, *guandarinis* quid ſignificet, non ſatis intelligo: ſuſpicor genus illud veli eſſe, quod collo ſanctimoniales obducunt. Eumdem porro veſtiendi morem plerumque ſervant, quæ ſuperſunt Humiliatæ Virgines; quamvis apud nonnullas immutatio aliqua contigerit. Sed nobis veterum Humiliatorum

(*a*) Hiſt. des Ordr. Relig. T. VI. Cap. XX.

Digitized by Google

torum res perſequi, non Monialium adhuc exiſtentium mores perpendere, propoſitum eſt.

XXX. Jamvero ad alterius Humiliatorum Ordinis initia progredimur, qui quamvis tertius poſt ſuperiores illos exortus ſit, ceteris tamen dignior habitus, primuſque appellatus. Quæ Diſſertationis extrema pars multo erit ceteris brevior: hic enim certa fere omnia, nobiſque adeo leviter attingenda, qui non comperta fuſius explicare, ſed incerta ac ignota quoquomodo veſtigare ac perſequi decrevimus. Itaque S. Joannem ex Sacerdotio, quo primus inter Humiliatos eſt functus, Presbiterum appellatum, cuique ex patrio Mediolanenſis Diœceſis Vico Meda cognomen acceſſit, primi Humiliatorum Ordinis auctorem exſtitiſſe, nemo umquam dubitavit. Atque ea quidem, quæ de ejus vita ac rebus geſtis commemoranda occurrunt, tum proferemus, cum de viris, qui inter Humiliatos vitæ ſanctitate claruerunt, agendum erit. Nunc ea tantum, quæ ad primum hunc Ordinem conditum pertinent, breviter evolvenda. Ac duo potiſſimum hic ſunt, quæ in quæſtionem cadant: alterum ſcilicet, num in ſecundum Humiliatorum Ordinem cooptatus fuerit Joannes, antequam tertii fundamenta poneret; alterum, ſui hæc Ordinis fundamenta quo tempore jecerit.

XXXI. Ac primo Tattus, qui Joannis Vitam erudite conſcriptam anno MDCLXXVII. Novocomenſibus typis evulgavit, non ſolum illum ſecundo Humiliatorum Ordini adſcriptum ſtatuit (*a*), ſed etiam Deiparæ, quæ ſe illi videndam præbuerit, albamque illi Humiliatorum veſtem induerit, juſſu ad hoc compulſum affirmat. Cujus rei tres ille teſtes affert, Hieronymum Borſierium (*b*), Gregorium Bulzium (*c*), & Joannem de Vico (*d*).

(*a*) Cap. III.

(*b*) Supplem. della Nobiltà di Milano Cap. IV.

(*c*) Vita S. Joannis MS. apud Tattum.

(*d*) Vita S. Joannis apud eumdem.

Digitized by Google

At Burſierii quidem, & Bulzii non ea eſt auctoritas, qua ſatis factum hujuſmodi comprobetur, ubi certum ejuſdem rei monumentum nullum in medium proferant: nullum vero ab iiſdem prolatum Tattus commemorat; ac nullum ſane Borſierius, cujus librum ipſemet vidi, innuit. Borſierius enim ſæculo XVII. ineunte (*a*), ſerius adhuc Bulzius floruit: hic enim Gallii, ut ajunt, Novocomenſis PP. Somaſchorum Collegii Præpoſitus anno MDCXLV. Vitam S. Joannis, quæ numquam edita eſt, per id tempus conſcripſit, cum ſacrum illius Corpus ſolemni pompa translatum eſt, ut Tattus refert (*b*). Joannis de Vico Humiliati Scriptoris, qui XV. ſæculo exeunte floruit, non magnam eſſe auctoritatem alibi oſtendemus. Quin immo, etſi multum illius teſtimonio dandum concederemus, hoc loco certe ſecum ipſe pugnat. Nam in B. Joannis Vita, quam hexametris verſibus deſcripſit, quamque ſub oculis habuiſſe Tattus videtur, hæc habet:

Alba veſte virum donavit Virgo Joannem:
Caſtà ſic vixit ſibi ſemper mente devotus.

Duos eoſdem verſus tabulæ pictæ inſculptos, ac B. Joannis tumulo appoſitos olim fuiſſe Silveſter Maurolycus teſtatur (*c*), additque Deiparæ hoc beneficium in Joannem collatum, vetuſti neſcio cujus Codicis auctoritate confirmari, quem ipſe Novocomi inſpexit. At in alia Joannis vita Italica, ex ſermonibus ejuſdem Joannis de Vico collecta, de qua Differt. VI. ſermo erit, longe aliter res narratur. Ibi enim non modo nulla Deiparæ hac in re mentio, ſed Joannes, qui jam in Rondenarienſem ſolitudinem ſeceſſiſſet, ſacriſque initiatus eſſet, Humiliatorum quorumdam, quibuſcum agere conſueverat, conſuetudine atque exemplis permotus, iiſdem ſeſe addidiſſe dicitur. Itaque quod illic Joannes de

(*a*) Argel. Biblioth. Script. Mediol. in ejus Elogio.
(*b*) Cap. XXIV.
(*c*) Mare Oceano delle Religioni L. III.

de Vico ſtatuerat, hic negare videtur. Nihilominus ad ejuſdem Italicæ vitæ calcem nonnulla addit, ex veteribus quibuſdam tabulis deſumpta; atque hoc potiſſimum: *Moſtra queſta Pittura, come egli ebbe la forma ed il colore delle veſtimenta dalla B. Vergine Madre d'Iddio, perchè egli procurò parimenti, che gli Frati ad imitazion ſua ſi veſtiſſero*. Quæ forte tabula in cauſſa fuit, cur hoc B. Joannis viſum in Italica vita omiſſum, Vitæ Latinis verſibus conſcriptæ Joannes de Vico adderet. Enimvero veteres tabulas hujuſce rei teſtes adhuc ſuperſtites Tattus commemorat; quarum ſane non levis eſt auctoritas, atque illius præſertim, quam Joannes de Vico commemorat, quamque veterem appellat. Itaque non tam ſcriptorum, quos Tattus profert, quam veterum tabularum auctoritate fere adducor, ut Joannem Deipara monente Humiliatis ſe adſcripſiſſe fatear. Nihilotamen minus, cum nec in omnium antiquiſſima Joannis Vita, quam primus edidit Suyſkenius, nec in Humiliatorum Chronicis, nec in ſacris de Joannis Vita Lectionibus nullum rei hujuſce, quæ minime omittenda fuiſſet, veſtigium appareat, non poſſum quin cum Suyskenio ipſo dubius hæream, ſuſpicerque veteribus illis tabulis occultam potius Deiparæ, Joannem ad ſanctiorem vitam tacita voce invitantis, opem, quam apertam manifeſtationem indicari (*a*).

XXXII. At nulla certe auctoritate alterum illud ſtatuit Tattus, Joannem in ſecundum Humiliatorum Ordinem cooptatum fuiſſe, antequam primi fundamenta poneret, atque in Braidenſi domo tirocinium poſuiſſe, ex qua deinde Præſulum juſſu Novocomum conceſſerit. Non enim id apud primi alteriuſque Chronici auctores, non in iis, quas memorabamus, Lectionibus, non in ulla de Joannis rebus geſtis narratione, non in vetere ullo certæ fidei monumento id uſquam innuitur. Quin etiam antiquus Vitæ S. Joannis Scriptor ea utitur loquendi ratione, ut Sanctum Virum a paternis

(*a*) Acta SS. Sept. T. VII. ad diem XXII.

ternis laribus recta ad Rondenarienſem ſolitudinem contendiſſe oſtendat, ubi profecto nulla tunc erat Humiliatorum domus; quod etiam ex commemoratis Lectionibus infertur: ibi enim hæc habentur: *Paternis igitur ſic laribus relictis pervenit, Dei gratia duce, vir Sanctus in quoddam ſuburbium memoratæ urbis Comenſis, Rondenarium nomine*. Et primi etiam Chronici auctor; *acceſſit*, inquit, *ad Civitatem Cumanam, & ex ſe ipſo habitum ſumpſit*. Solus tertii Chronici auctor contrarium innuere videtur: *Quidam vir*, ait, *nobili genere natus Joannes, poſt aſſumptionem habitus ſecundi membri, Spiritu Sancto inſpirante, augmentare in divinis hanc noſtram religionem diſpoſuit.... unde accedens ad Civitatem Comi &c.* Quibus verbis alterius Ordinis habitum a Joanne aſſumptum teſtari videtur. Sed cum aliorum auctorum pro contraria opinione auctoritatem habeamus, cumque præſertim poſſint verba hæc alio ſenſu commode explicari, ut iis ſcilicet ſignificetur, primum a Joanne Ordinem inſtitutum, poſtquam *ſecundi membri habitus* jam fuerat ab Humiliatis *aſſumptus*, ſeu poſtquam alter Humiliatorum Ordo exortus jam fuerat, non ea eſſe videtur loci allati vis, ut nos a noſtra opinione dimoveat. Idipſum Joannes de Vico in Italica S. Joannis Vita narrat; Joannem ſcilicet ſponte in Rondenarium ſeceſſiſſe; ibique aliquandiu divinis rebus vacantem ſolitarium vixiſſe; a Novocomenſi deinde Epiſcopo fuiſſe illum ſacris initiatum; ac denique Humiliatorum ſanctitate permotum, eorum ſocietatem iniiſſe, eorumque nonnullis perſuaſiſſe, ut ſecum eodem in loco vitam ducerent; ſacroſque, ut ajunt, Ordines ſuſciperent. Diximus ratione ipſa oſtendi ſententiam hanc multo eſſe alia probabiliorem; quod ex iis, quæ mox dicturi ſumus, perſpicuum erit.

XXXIII. Illud ſcilicet ultimo loco expendendum occurrit, quo anno noviſſimi hujus Humiliatorum Ordinis initia ſint conſignanda. Qua in re duo in dubium revocari minime poſſunt. Alterum, Humiliatorum hunc cœtum poſt duos alios exordium ha-

habuiſſe ; id enim & Chronicorum auctoritas , & omnium Scriptorum conſenſus , & Pontificiæ ipſæ litteræ docent , quibus Innocentius III. ſingulis ſingulos Humiliatorum Ordines litteris confirmans ad tertium primo , tum ad ſecundum , denique ad primum ſcribit . Alterum , S. Joannem primi hujus Ordinis auctorem anno MCLIX. ſupremum diem obiiſſe : id quoque enim plurimorum Scriptorum auctoritate apud Tattum confirmatur (a) , quibus ex recentioribus ii omnes addendi , qui de Humiliatorum rebus ſcripſerunt . Itaque & poſt annum MCXXXVI. vel MCXXXVII., quo alterum Humiliatorum Ordinem cœptum oſtendimus , & ante annum MCLIX. , quo Joannes obiit , primi Ordinis origo eſt ſtatuenda . Multa porro Joannem ad Humiliatorum incrementum præſtitiſſe , multa ſui Ordinis cœnobia conſtruxiſſe , alibi videbimus ; ut pluribus illum annis ſui Ordinis initiis ſupereſſe oportuerit . Quibus ego omnibus adducor , ut credam circa annum MCXL. cœpiſſe illum de novo Humiliatorum genere cogitare ; quod deinde conſilium ſequentibus annis uſque ad MCLIX. ad exitum feliciſſimo eventu perduxerit . Optandum ſane eſſet , ut authentica monumenta exſtarent , quibus hæc eadem opinio multo adhuc validius confirmaretur . At Litterarum Pontificiarum ad primi Ordinis Humiliatos pertinentium nullas ego hactenus anno MCLXXXVI. antiquiores comperi ; Urbani nempe III. literas , quibus Vicoboldoni Humiliatos ſub Apoſtolica protectione ſuſcipit . Aſſervantur illæ apud virum totius antiquitatis eruditiſſimum , ac clariſſimum Mediolanenſem Patricium Carolum Abbatem Trivultium , qui earumdem exemplar mecum humaniſſime communicavit . Ex his ipſis tamen primum Humiliatorum Ordinem multo antea cœpiſſe , manifeſte conjicias . In iis enim hæc habet Pontifex : *Eapropter dilecti in Domino filii .... præfatam Eccleſiam .... ad exemplar felicis recordationis Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri ſub*

beati

(a) Vita di S. Gio. Cap. XXI.

beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus. Cum itaque Alexander III. ab anno MCLIX. ad annum MCLXXX. Eccleſiæ præfuerit, hoc temporis intervallo Vicoboldonenſem Humiliatorum domum jam exſtitiſſe certum eſt. Ac certe ante annum MCLXXVI. exſtitiſſe illam monumentis aliis prolatis videbimus; ubi Diſſertatione VII. de Humiliatorum Domibus ſermo erit. At vero ante Vicoboldonenſem Novocomenſis exſtitit Humiliatorum primi Ordinis domus, quæ *de Rondenario* nuncupabatur; ac probabile eſt unam illam per aliquot annos Humiliatos eoſdem incoluiſſe, donec paullatim eorum nominis fama latius ſerpente alibi etiam pedem figerent. Vides itaque his ipſis, quæ ſuperſunt, litteris novum aliquod auctoritatis pondus ſententiæ noſtræ accedere. Quæ cum ita ſint, ſin minus certis, probabilibus ſaltem argumentis inniti videor, cum primum hunc Humiliatorum Ordinem circa annum MCXL. initium duxiſſe ſtatuo.

XXXIV. At primi ac tertii Chronici auctores, cum primi Ordinis initia referunt, annum 1119. margini adſeribunt; tunc ſcilicet Joannem in Rondenarii apud Comum ſolitudinem ſeceſſiſſe narrantes. At hic etiam errorem in numerorum notis irrepſiſſe omnino arbitror. Qui enim Joanni licuit locum urbi proximum anno MCXIX. incolere, cum ſæviſſimo Mediolanenſes inter ac Comenſes bello ſæviente, quod anno MCXVII. cœptum, nonniſi anno MCXXVIII. funeſto Comenſis urbis excidio confectum eſt, omnia circa urbem eamdem tumultu armiſque reſonarent? Itaque annum 1119. pro 1129. notatum facile crediderim. Enimvero nonniſi poſt Comenſem Urbem a Mediolanenſibus deletam, Joannem ad Rondenarium acceſſiſſe, ex iis conſtat, quæ in antiqua ejus vita a Suyskenio edita leguntur: *O quondam ſterile*, exclamat auctor, *& luctuoſum nunc fertile ſolidumque Rondenarium! olim vepribus ac ſalicibus obſitum, nunc vero fructiferis arboribus fœcundatum, vineiſque uberrimis ſpatioſum . . . . . eras quondam ſpelunca latronum, thorus incontinentium, domus infidelium; nunc*

es

es domus orationum, *thalamus continentium*, *palatium hoſpitum vero Hoſpiti famulantium*. Quæ Rondenarii deſcriptio quamvis Tatto ac Suyskenio nimis a veriſimili abhorrens viſa ſit, negentque illi de proximo urbi ſuburbio, cujuſmodi eſt Rondenarium, dici hæc vere potuiſſe, ſecus tamen fortaſſe judicabit, qui tunc temporis Novocomenſem Urbem ſolo proſtratam jacuiſſe animadvertat: quamvis enim paullo poſt excidium inſtaurari illa quoquo modo cœperit, vix tamen anno MCL. urbis formam eidem redditam Tattus refert (*a*). Quis vero non videat exciſæ urbis ſuburbium, ſuis & ipſum ruinis obrutum, facile ad eam vaſtitatem redigi potuiſſe, quæ tutum criminibus latibulum præberet? Ita enim fit, ut deſertis hujuſmodi ſoliſque maceriis impii homines ad nefaria quæque ſcelera ſæpe abutantur. Itaque anno MCXXIX. Joannes ad Rondenarium acceſſit, nihil aliud, ut videtur, cogitans, niſi de vita ſua recte ſancteque inſtituenda, donec circa an. MCXL. aliis nonnullis, ut ſupra memorabam, in ſocietatem adſcitis, qui & ipſi ſacris Ordinibus aut initiati jam eſſent, aut cum fas eſſet, initiandi, novi Humiliatorum Ordinis in Rondenarienſi ſolitudine initia jecit.

XXXV. Locum hunc, ut diximus, in Novocomenſi ſuburbio, quod antiquum adhuc Vici nomen obtinet, poſitum, ubi nunc ſcilicet PP. Somaſchorum Collegium exſtat, quod Gallium vocant, *Rondenarium* appellatum fuiſſe, ait Tattus, cum potius *Arundinetum*, voce ex arundinibus, quibus frequens ſcatebat, deſumpta, appellari debuiſſet; atque ita ſane in publicis tabulis ſcribi addit, quibus S. Abundii Monaſterium (ad hoc enim locus ille pertinuit) ab Albèrico Comenſi Epiſcopo anno MX. conſtituitur. Verum, ut Suyskenius animadvertit, fallitur hic certe Tattus: in illis enim tabulis, quas Tattus idem protulit (*b*), dicitur:

K

(*a*) Annali Sacri di Como Decade II. pag. 413.

(*b*) Ibid. pag. 818.

citur: *Quartum Molendinum ad Rondenarium*; quo nomine etiam in Joannis vita a Suyskenio edita, & in Humiliatorum Chronicis ac monumentis locus ille appellatur. Addit Tattus, neſcio quo auctore, locum ipſum a S. Abundii Abbate Joannem emiſſe. At veteribus tabulis illis, quas ad calcem Italicæ vitæ ex Joannis de Vico ſermonibus excerptæ commemorari diximus, contrarium ſuadetur: *Moſtra ella parimente*, ait, *ch' egli comperò il ſito di Rondennajo del Padrone della Città, il quale, come alcuni vogliono, era della famiglia delli Ruſconi*. Sed hæc levioris momenti. Sociis a ſe collectis veterum Humiliatorum habitum paulliſper immutavit Joannes: qua de re Marcus Boſſius: *habitum potiorem retinuit*, ait, *ſed capinum cum honeſta conſutum addidit, & mantellum ante apertum & ex lateribus pro brachiis emittendis, prout hodie ut plurimum utimur extra clauſtrum, ſibi impoſuit*. Capinum vero, ſeu capitium, ut plerumque ſcribitur, Cangio teſte (*a*) nunc tunicæ oram ſuperiorem denotat, ac illud videtur tunc ſignificare, quod vulgo *collare* vel *collarino* dicimus; nunc capitis operimentum, quod Italice *cappuccio* appellamus. Atque hoc ſenſu ſumendam eſſe hoc loco vocem illam, ipſe Humiliatorum Sacerdotum habitus, quem depictum coloribuſque expreſſum vidi, demonſtrat. Vides itaque, quid diſcriminis inter utriuſque Ordinis habitum intereſſe Joannes voluerit. Suſpicatus quidem eſt Julinius (*b*) antiquiſſimis temporibus nigras ex parte fuiſſe Humiliatorum veſtes; quam ille ſuſpicionem ex iis verbis concepit, quæ Sormannus protulit ex Humiliatorum primi Ordinis, ut ille arbitratur, regula excerpta (*c*). Quæ verba hic proferam, non ut in Sormanni libro exſtant, ubi typorum, credo, errore mendis plurimis fœdata apparent, ſed ut in Puricelliano Codice in Ambroſiana Bibliotheca exſtant (*d*): *Hæc indumenta videntur facſi-*

cere

(*a*) Gloſſar. Med. & Inf. Latin. T. II. col. 244.

(*b*) Mem. di Mil. T. VII. pag. 256.

(*c*) Storia degli Umil. Cap. VIII.

(*d*) Cod. C. 74. fol.

cere iſtis fratribus, cappa, & capitinus (ita), *manſtruca agnina, & tres tunicæ, pellicia vel quarta tunica, tria paria caligarum, totidem pedulium, ſubtulare & botæ vel patiti* (*pedulia* porro ſunt pedum indumenta uti etiam *botæ*, nempe ocreæ). *Poſſunt etiam habere veſtem ſtupeam & craſſam ſuper alias veſtes. Si cui Præpoſitus cauſſa alicujus utilitatis vel infirmitatis, ſeu debilitatis camiſias ſeu bragas concedere voluerit, libere poteſt groſſas de ſtupa. Sorores habeant camiſias tres groſſas & de ſtupa; pellicias & manſtrucas duas hiemales & eſtivales & tunicam unam. Habeant etiam veſtes duas ſtupeas & groſſas ſuper alias veſtes & capitinum unum. Omnia autem indumenta tam fratrum quam ſororum lanea ſint naturalis coloris, non ſint tincta vel dealbata, vel artificioſe criſpa: ſtupea vero ſint nigra exceptis camiſiis & brachis.* Sed primo hanc regulam ad Humiliatos omnes non ad Sacerdotes tantum pertinuiſſe, ſequente Diſſertatione oſtendemus; ex qua etiam conſtabit anno ſolum MCCCCXXXVI. illam amplexos fuiſſe Humiliatos. Ac præterea ſi recte animadvertamus, quænam tandem his verbis *ſtupeæ ac nigræ* veſtes deſignentur, non eas eſſe videbimus, quæ propriæ Humiliatorum eſſent, eoſque a ceteris Religioſis familiis ſecernerent. Non enim aliam *ſtupeam* veſtem appellatam invenies, exceptis *camiſiis & brachis*, quam *veſtem ſtupeam & craſſam ſuper alias veſtes*, domeſticum ſcilicet indumenti genus, arcendo tantum frigori, ut videtur, aliis veſtibus ſuperinductum.

XXXVI. Si Chronicorum auctoribus credimus, mulieres etiam in novum hoc Humiliatorum genus cooptatæ. *Ibique fratres*, ait primi Chronici ſcriptor, *& mulieres religioſas, ligatas ac velatas, & incluſas, & alias religioſas Ordini brevi aggregavit* (S. Joannes) *tempore; ſalvo quod addidit caputium conſutum cum honeſta, & velum deſuper portabant.* Ex quibus illud intelligimus inter Humiliatas ipſas diſcriminis aliquid fuiſſe; numquam tamen animadverti, ut virorum, ita etiam mulierum ex cœtu Humiliatorum primum alterumque Ordinem diſtingui. Quas vero leges Humiliatis ſuis Joannes propoſuerit, ſequente Diſſertatione quæremus. Nunc alterius primique Humiliatorum Ordinis initia inveſtigaſſe ſufficiat.

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

DE HUMILIATORUM LEGIBUS, DEQUE TERTII EORUMDEM ORDINIS PROGRESSU, VICIBUS, EXITU.

I. CUM ea fere omnia, quæ ad prima Humiliatorum tempora pertinent, incerta ſunt, tum illud præſertim non ſatis conſtat, quibuſnam illi ante S. Joannem Medenſem legibus viverent. Etenim quamvis nonnullas tertii Ordinis Humiliatis leges a S. Bernardo latas fuiſſe, ultro concederemus, primi alteriuſque Ordinis Fratres iiſdem uſos fuiſſe nemo umquam ſcripſit; nec monumentum aliquod exſtat, ex quo huic quæſtioni lux ulla affulgeat. Veriſimile itaque eſt Humiliatos ipſos inter ſe conveniſſe, legeſque nonnullas, quæ omnibus ſervandæ eſſent, mutuo conſenſu ſtatuiſſe, non unas tamen eaſdemque omnibus, ſed pro locorum domorumque diverſitate diverſas; quod præſertim alterius Ordinis Humiliatis contigiſſe ex iis patebit, quæ mox de iiſdem dicturi ſumus.

II. At vero S. Joannem de Meda Humiliatis ſuis perſuaſiſſe, ut S. Benedicti leges amplecterentur, quamplurimi auctores tradunt, ex quibus commemoraſſe ſufficiat Sigonium (*a*), Miræum (*b*), Bucelinum (*c*), Tattum (*d*), Helyottum (*e*). Nec tamen ingenti hoc Auctorum numero ita moveor, ut minus recte id dici non audeam affirmare, eoque confidentius audeam, quo certiora habemus hac in re monumenta. Ac primo ſi hoc illi

(*a*) De Regno Ital. Lib. VIII.
(*b*) Origin. Benedict.
(*c*) Menolog. Benedict. 16. Sept.
(*d*) Vita di S. Gio. da Meda Cap. X.
(*e*) Hiſt. des Ord. Relig. T. VI. Cap. XIX.

illi ſentiant, utriuſque Ordinis Humiliatos, Joanne auctore, Benedicti leges ſuſcepiſſe, Chronicorum verbis (quorum major eſt, quam ceterorum Scriptorum & antiquitas & auctoritas) refelluntur. Hoc enim inter cetera circa an. MCXCVIII., ſcilicet vix XL. poſt Joannis mortem annis, Humiliatis objectum fuiſſe Marcus Boſſius narrat, *quod fratres tertii membri ſeu primi Ordinis* (cujus Joannes ipſe auctor fuerat) *habebant regulam ſive modum vivendi non conformem alicui Religioni approbatæ, nec a Summo Pontifice approbatum; ſimiliter quia fratres ſecundi membri diverſa forma vivendi utebantur*. Hæc Boſſius, eademque ante illum retulerat Joannes Braidenſis. Honorius III. præterea literis ſuis ad Braidenſes ſecundi Ordinis Humiliatos datis Id. Dec. MCCXXVI. ait ab ipſis Humiliatorum initiis ex iis nonnullos *diverſas obſervantias variaſque vivendi formulas ſibi minus provide perſcripſiſſe*, ac Braidenſes præſertim Humiliatos *quandam formulam... a principio inſtitutionis domus ejuſdem, ut aſſerebant, conceptam Pontifici obtuliſſe, quæ non ſolum in quibuſdam Innocentii tertii regulæ obviabat, ſed etiam quiddam minus Catholicum ſapiebat*. Vides itaque non eadem ſane vivendi norma primi atque alterius Ordinis Humiliatos uſos fuiſſe. Atqui prolata Chronici verba illud etiam oſtendunt, ne primi quidem Ordinis Humiliatis S. Benedicti leges a S. Joanne datas fuiſſe. Quid enim? Qui S. Benedicti leges ſequerentur, iine leges *non conformes alicui Religioni approbatæ* ſequi dicerentur? An dicemus Humiliatos, poſtquam Benedicti leges, Joanne hortatore, amplexi fuerant, eaſdem non multo poſt rejeciſſe? Sed quid plura? Leges a Joanne Humiliatis traditas alias omnino a S. Benedicti legibus fuiſſe diſerte teſtatur Marcus Boſſius: *Regulam quoque ſanctam, cujus tenorem non potui habere, ipſemet Joannes Pater noſter edidit; quam primo cuſtodiens ceteris fratribus ſervandam tradidit, in qua maxime agebatur de clauſura monialium, & de modo cum fratribus converſandi ceteriſque ſecularibus*. Quis umquam S. Benedicti leges hic indicari arbitretur? Ullnm ne in hujus Inſtitutionibus *de Mo-*

nialium

Digitized by Google

nialium Clauſura verbum? An vero Joannis leges, quæ eædem cum legibus Benedicti eſſent, nanciſci ſe non potuiſſe, Boſſius quereretur? Itaque hoc unum ſtatuere poſſumus, quod in Joannis vita ex ſermonibus Joannis de Vico collecta refertur, leges illum nonnullas Humiliatis ſuis conſcripſiſſe, quarum normam ex S. Benedicti legibus deſumpſerat.

III. Dum res ita ſe haberent, gravis in Humiliatos omnes procella excitata eſt, quam placet Boſſii ipſius verbis referre: *Orta murmuratione non modica contra hunc noſtrum Ordinem, licet haberentur omnes boni & ſancti Religioſi, pluribus ex cauſis; ſcilicet, & quia fratres tertii membri, ſeu primi Ordinis habebant regulam ſive modum vivendi non conformem alicui Religioni approbatæ, nec a ſummo Pontifice approbatum; ſimiliter quia fratres ſecundi membri diverſa forma vivendi utebantur; & quia fratres primi, ſecundi, & tertii membrorum nolebant, etiam ubi opus erat, jurare; & quia Religioſas intra domus ſuas licet ſæculares communiter habebant, & quia iſti fratres tertii membri dicebant ſe eſſe Canonicos Regulares, deliberatione in Capitulo Generali habita, ne fama eorum apud bonos & graviores viros denigraretur, miſerunt ad Summum Pontificem Innocentium III. &c.* Hæc autem tunc potiſſimum dictitari in Humiliatos cœpiſſe arbitror, cum Lucius III. an. MCLXXXIV. Concilio Veronæ coacto graſſantes per ea tempora Hæreticorum ſectas damnavit. In iis enim ſimul cum Catharis, Patarenis, Pauperibus de Lugduno, Humiliati etiam nominati ſunt, qui iidem cum Pauperibus de Lugduno fuiſſe videntur (*a*). Hinc enim factum eſt etiam, Innocentio III. Pontifice, ut nonnulli qui inter utrumque Humiliatorum genus non ſatis diſtinguerent, utroſque perperam ut Hæreticos execrarentur. Veronæ potiſſimum id contigiſſe Spondanus narrat (*b*): *Cum Archipresbiter Veronenſis, auctoritate literarum*

(*a*) Manſi Supplem. ad Concil. T. II. col. 722.
(*b*) Annal. Eccleſ. ad an. 1199. num. XI.

rum ab eodem Pontifice (Innocentio III.) *contra Gazaros, Arnaldiſtas, Pauperes de Lugduno, & Humiliatos . . . ipſi directarum, nulla habita diſtinctione etiam Humiliatos cum ceteris hæreticis excommunicationi ſubjeciſſet; indeque nonnulli, quos licet invitos populus Humiliatos vocabat, eo quod in humilitate cordis & corporis ſtuderent Domino famulari, cum alioquin fidem ſaperent orthodoxam, a multis vitarentur, ut excommunicati, ne ſic innoxii cum innocentibus damnarentur idem Pontifex præcepit &c.* Quin non iis tantum, ſed poſterioribus etiam temporibus non ſatis interdum pius Humiliatorum cœtus ab hæretica Humiliatorum ſecta diſtinctus eſt. Qua in re graviter lapſus eſt Conradus Urſpergenſis Abbas hæc ſcribens (a). *Eo tempore mundo jam ſeneſcente exortæ ſunt duæ Religiones in Eccleſia, cujus ut aquilæ renovatur juventus, quæ etiam a ſede Apoſtolica ſunt approbatæ, videlicet Minorum Fratrum, ac Prædicatorum. Quæ forte hac occaſione ſunt approbatæ, quia olim duæ ſectæ in Italia exortæ adhuc perdurant, quorum alii Humiliatos, alii Pauperes de Lugduno ſe nominabant. Quos Lucius Papa quondam inter hæreticos ſcribebat, eo quod ſuperſtitioſa dogmata & obſervationes in eis reperirentur . . . . Alii videlicet Prædicatores in locum Humiliatorum ſucceſſiſſe creduntur. Humiliati quippe nulla habita auctoritate aut licentia Prælatorum, mittentes falcem in meſſem alienam populis prædicabant, & vitam eorum plerumque regere ſatagebant, & confeſſiones audire, & miniſteriis ſacerdotum derogare. Quæ volens corrigere Papa, Ordinem Prædicatorum inſtituit & confirmavit: illi quippe rudes & illiterati cum eſſent, operibus manuum inſtabant, & prædicabant, accipientes neceſſaria a ſuis credentibus; iſti vero ſtudio & lectioni Sacræ Scripturæ jugiter inſiſtentes &c.* Quibus verbis ut falſa veris miſcuerit, ut rudem ſe in Humiliatorum hiſtoria præbuerit, nemo non videt.

IV. Itaque cum hæc in Humiliatos dicerentur palam, Jacobum Rondenarienſem ac Lafrancum Laudenſem Præpoſitos Romam ad

(a) Chronic. ad an. 1212.

ad Innocentium circa an. MCXCIX. miſerunt illi, qui Pontifici vitæ ab iiſdem inſtitutæ rationem explicarent, eaſque proferrent, quibus hactenus vixerant, leges. Iis humaniter exceptis Innocentius præcepit, ut diverſas illas, quibus utebantur, leges in unam cogerent, atque Alberti Vercellenſis Epiſcopi, ac Petri Locedienſis Abbatis conſilium hac in re exquirerent, quibus graviſſima per id tempus apud Mediolanenſes munera Innocentius demandarat (*a*). Cerretenſem etiam in Laudenſi agro Abbatem iis ſocium addidit; ſed hic per eadem tempora vita exceſſit. Humiliati Pontificis juſſa faceſſunt. Ex diverſis, quibus eatenus uſi fuerant legibus, certam unam vivendi normam efformant; Vercellenſi Epiſcopo, ac Lucedienſi Abbati expendendam tradunt; a quibus cum emendata eſſent nonnulla, eamdem ad Pontificem Humiliati remittunt. Hic Gratiano SS. Coſmæ & Damiani, ac Petro Capuano S. Marcelli Cardinalibus operam dat, ut leges eaſdem iterum accurate expendant; quod cum illi præſtitiſſent, nonnullis iterum emendatis, literis illas ſuis Innocentius comprobavit.

V. Sed hæc Innocentii literarum mentio nos monet, ut numquam ne antea Romanorum Pontificum, aut Mediolanenſium Antiſtitum comprobatione Humiliatorum cœtus ornatus fuerit, diligentius inquiramus. Mitto Joannis Franciſci Beſutii commentum (*b*), qui Benedictum IX., ſcilicet medio circiter ſæculo XI.; Humiliatis conceſſiſſe ſcribit, ut Sacris initiarentur; eo videlicet tempore, quo nondum erat Humiliatorum Clauſtralium cœtus conflatus. At Lucium III., qui ab an. MCLXXXI. ad an. MCLXXXV. Pontificiam ſedem obtinuit, Humiliatorum Societatem comprobaſſe, Thuanus (*c*), Spondanus (*d*), Papebrochius (*e*), aliique non-

(*a*) V. Giulin. Memor. di Mil. T. VII. pag. 174. 190.

(*b*) Serie degli Arciv. di Mil. *ubi de Ariberto*.

(*c*) Hiſtor. Lib. XLVIII.

(*d*) Annal. Eccleſ. ad an. 1570. num. XXII.

(*e*) Acta SS. April. T. III. ad d. 16. in Vita B. Aldobrandeſchæ.

nonnulli ſcripſerunt. Qui ſi id intelligant, voce tenus Lucium hoc præſtitiſſe, nihil eſt quod eorum ſententiæ opponamus. Sin vero literas hac de re a Lucio datas fuiſſe arbitrantur, mirum ſane eſt, nemini umquam viſas fuiſſe illas, ut ne annus quidem, quo ſcriptæ fuerint, innoteſcat. Sed multo magis mirum eſt, nullam hujuſmodi literarum mentionem ab Innocentio fieri; cum Romanis Pontificibus ſolemne ſit, quid eorum deceſſores eadem in cauſſa fecerint, commemorare. Alexandrum III. tamen, ac deinde Urbanum III. literas ad Vicoboldonenſes Humiliatos dediſſe alias oſtendimus. Sed aliud eſt, Eccleſiam aliquam in Apoſtolicæ Sedis patrocinium recipere, quod unice præſtiterunt illi; aliud eſt Cœtum ipſum univerſum, inſtitutamque ab illo vitæ rationem comprobare. Itaque nullum e Romanis ante Innocentium III. Pontificibus Humiliatorum cœtum literis ſuis confirmaſſe exiſtimo. Probabiliorem arbitror aliorum aliquot Auctorum, ac Latuadæ (*a*) præſertim, & Saxii (*b*), opinionem, qui a S. Galdino Mediolanenſi ab an. MCLXVI. ad an. MCLXXVI. Archiepiſcopo, comprobatum illum fuiſſe ſcribunt. Quorum Scriptorum ſententiam dum expenderem, lepidum illud profecto animadverti, quod uterque P. Godefridum Henſchenium Soc. Jeſu ſibi adverſarium fingit ſimul, ſimulque illum contraria loquentem inducit. Si enim Latuadam audimus, Henſchenius hanc opinionem oppugnat, quod multo ſerius Humiliatorum cœtum coaluiſſe arbitratur: *Il P. Godifredo Enſchenio ſi dimoſtra difficile ad approvarla, adducendo per fondamento del ſuo dubbio eſſere queſti* (Ordo Humiliatorum) *incominciato molto più tardi*. Contra Saxius ideo Henſchenium huic opinioni adverſari ait, quod multo citius Humiliatorum initia ſtatuenda exiſtimat: *Traditionem hanc refellere nititur Gotefridus Henſchenius, loco laudato, quia multo ante hunc Archiepiſco-* L *pum*

(*a*) Vita di S. Galdino pag. 63

(*b*) Series Archiep. Mediol. T. II. pag. 579.

pum inſtitutus fuerat ille Ordo. At Henſchenius nec ſe huic ſententiæ amplectendæ difficilem præbet, nec ſerius citiuſve locanda Humiliatorum initia arbitratur. En illius verba (a): *Non attingimus etiam Ordinem Humiliatorum, quem a S. Galdino juſſa Summi Pontificis comprobatum, multi recentiores habent, quia eum Ordinem ſub Lucio III. Pontifice Alexandri ſucceſſore captum fuiſſe ſcribunt Silveſter Marulus ſeu Maurolycus... & Paulus Morigia... at Triſtanus Calchus... facit multo antiquiorem &c.* Quibus verbis id unice Henſchenius ait, nolle ſe hanc quæſtionem ingredi, cum de Humiliatorum origine alia alii ſentiant. Ceterum, ut dixi, probabile eſt, id præſtitiſſe Galdinum, cum & maxime per id tempus Mediolanenſes Humiliati florerent, atque hac re videretur, ut optime ait Latuada, non parum dignitatis atque auctoritatis iis additum iri, ut ſtrenue in hæreticos decertarent, qua in re plurimum Humiliatos deſudaſſe videbimus.

VI. Verum ut ad Innocentii literas revertamur, per hæc eadem tempora tertii Ordinis Humiliati Guidonem de porta orientali ad Innocentium miſerant, ut eorumdem leges approbandas curaret, quemadmodum II. Diſſertatione retulimus. Quod cum Guido impetraſſet, anno MCCI. Junio menſe tres Humiliatorum Ordines eorumque leges literis ſuis Innocentius comprobavit. Etenim VII. Id. Jun. Humiliatorum tertii Ordinis leges literis ad eorumdem Miniſtros datis, quibus leges easdem inſeruit; tum II. Id. alterius Ordinis inſtituta literis ad Prælatos datis; aliis denique ad primi Ordinis Præpoſitos XVI. Cal. Jul. ſcriptis eorumdem leges confirmavit, quas easdem ſcilicet cum alterius Ordinis legibus eſſe impoſterum juſſit. Easdem poſtea leges ſubſequentibus annis Honorius III., Gregorius IX., Innocentius IV. comprobarunt, quorum omnium literas ſuo loco edemus. Leges hujuſmodi fratribus ac ſororibus communes erant; utroſque

(a) Acta SS. April T. II. ad d. XVIII. in V. S. Galdini.

Digitized by Google

utroſque enim Pontificiæ literæ appellant. Diu autem incerti hæſimus, an, leges eaſdem publici juris fieri oporteret, quarum præter recentia exemplaria nonnulla, bina ſatis vetuſta exſtant, alterum in Ambroſiana Bibliotheca, alterum in Braidenſi hac noſtra.. Præterquamquod illas Italice redditas, non integras tamen, edidit Cl. Sormannus (a). Sed illis attente perlectis, multa cum S. Benedicti legibus ad verbum convenire animadvertimus, alia ex legibus iiſdem hinc illinc excerpta, aliqua Humiliatorum omnino propria; qui id ſpectaſſe ſcilicet videntur, cum leges ſuas Innocentio III. exhibendas conflarunt, ut plurima ex S. Benedicti inſtitutis haurirent, quo facilius eædem a Pontifice comprobarentur.

VII. Nonnulla itaque proferre ſufficiat, quæ privatos quoſdam ac peculiares Humiliatorum mores indicant. De hora refectionis, & temporibus jejuniorum: *Omni tempore quando fratres jejunant, reficiant poſt nonam, appoſito uno vel duobus cibis coctis, preter in quadrageſima, in qua cenent & reficiant poſt orationem veſpertinam. Aliis autem diebus comedant ad ſextam, & poſt veſperas cenent, appoſito tantum ad cenam uno ferculo ſimiliter cocto... A die ſancto reſurrectionis domini uſque ad pentecoſten fraternitas reficiat bis in die, excepta ſexta feria poſt octavam reſurrectionis domini. Tamen in vigilia ſanctorum apoſtolorum philippi & jacobi, & in tribus diebus letaniarum, & in vigilia pentecoſten fratres jejunent & abſtineant. A pentecoſte uſque ad adventum domini fratres jejunent tribus diebus in ebdomada. Ab adventu uſque ad nativitatem domini continuent jejunium. Ab ipſa nativitate domini uſque ad ſeptuageſimam jejunent tribus diebus in ebdomada; ſecunda feria omni tempore, excepta quadrageſima natalis domini & majori, ſit in arbitrio prelati ſolvere jejunium.* (Jejuniorum haſce leges mitiores deinde reddidit Innocentius IV. literis ſuis ad ſecundi Ordinis Humiliatos datis an. MCCXLVI.

 XXX.

(a) Stor. degli Umil. pag. 55. & ſequ.

XXX. Octob., conceſſitque ut a Pentecoſte ad feſtum S. Michaelis, præter jejunia Chriſtianis omnibus communia, ſexta tantummodo feria jejunarent). *A ſeptuageſima uſque ad predictum diem ſancte reſurrectionis jejunent continuum, niſi in itinere. Omni tempore in diebus jejuniorum omnes fratres abſtineant a caſeo, ovis, & lacte.* De veſtimentis Fratrum. *Veſtimenta fratrum ſint camiſcia, brage, tamen groſſe; pelliciam quoque liceat habere, veſtitum, guarnaciam, maſtrucam agninam nudam vel coopertam, mantellum, caligas, ſcoſonos, patitos, ſubtellares: habeant quoque calceos nocturnales, ſi prelatus permiſerit.* De ſtramentis lectorum. *Stramenta lectorum ſunt hec, biſſantium vel ſiltrum; & liceat eis habere capitale, & duo linteamina de lana, & liceat habere alteram maſtrucam. Infirmis liceat habere culcidram, & linteamina de lino vel ſtupa. Que lecta frequenter ſunt viſitanda a prelato propter opus peculare, ne inveniatur; & ſi fuerit inventum cui, quod non acceperit a prelato, ſubjaceat graviſſime correctioni.* Quoties fratres ſanguinem ſibi minuant, radant, & lavent. *Fratres, qui volunt, minuant ſibi ſanguinem ter in anno, in menſe aprilis vel maii, in menſe ſeptembris, & menſe februarii, & plus ſi fuerit viſum prelato, qui tunc non utantur carnibus niſi forte infirmi & debiles, ſed ovis, caſeo, & piſcibus, & hoc concedente prelato. Per quindena vero, qui volunt, abluant capita. Barbam radant ſemel in menſe; capillos incidant; pedes lavent alter alterius ter in anno; videlicet in vigilia nativitatis domini, & in cena domini, ac in vigilia pentecoſten. Tamen qui debent lavare pedes ſemper elligantur per prelatum, vel eum, cui ſit commiſſa illa cura. Preterea unuſquiſque habeat pectinem, & cultelum, & acum, & ut cuncta peragantur in pace & ſilentio.*

VIII. Humiliatorum itaque leges cum Benedictinis magna ex parte conveniebant, non ita tamen, ut cœtibus, qui S. Benedicti legibus vivunt, adnumerari Humiliati poſſent. Enimvero quibus literis Humiliatorum inſtituta Pontifices comprobant, numquam illos Ordinis S. Benedicti vocant; quod pariter de ceteris

omnibus

omnibus Pontificiis literis ad Humiliatos datis dicendum eſt, ſi unas excipias Innocentii III. ad Humiliatos de Foſſato alto XIII. ſui Pontificatus anno XVII. Cal. Jul. ſcriptas. At unius exempli non ea eſt auctoritas, qua opinio noſtra everti poſſit. Ita etiam in pauciſſimis aliquot monumentis videmus Humiliatos Ordinis S. Benedicti appellari; legum enim ſimilitudo efficiebat interdum, ut ejuſdem cœtus membra haberentur. Quin etiam Humiliati ipſi S. Benedictum, ut parentem, colere, diem illi feſtum ſolemni ritu celebrare, interdum etiam illius leges publice recitandas curare conſueverant, ut ex eorumdem Conſtitutionibus patebit. Quæ omnia in cauſſa fuerunt, cur ex Humiliatis nonnulli, ſe ad S. Benedicti Ordinem revera pertinere arbitrarentur. Sed hos fuſe in Chronico ſuo Joannes Braidenſis refellit, hoc inter cetera argumento uſus: *Nemo de Ordine noſtro facit, nec meo tempore fecit profeſſionem, ut ſub regula S. Benedicti, ut faciunt Monachi Nigri, & Fratres Montis Oliveti, ſed ſub regula hujus Congregationis, ſcilicet hujus Ordinis, faciunt profeſſionem, quæ profeſſio eſt ſecundum modum prediċtæ regulæ: Omnis boni principium &c.*

IX. Hiſce legibus Humiliati omnes Clauſtrales utebantur; nec ullum hac in re erat inter primum alterumque Ordinem diſcrimen. Nihilominus ſi clariſſimos Scriptores nonnullos audimus, in iis, quas primi Ordinis Humiliati ſequebantur, legibus Canonicorum nomine diſtinguebantur illi, quique proprius iis erat ſacrorum peragendorum ritus, *Canonicorum officium* appellabatur. Id diſerte in primis tradit Fridericus Card. Borromeus in erudiriſſima ad S. Mariæ Magdalenæ ad Circulum Sanctimoniales epiſtola, de qua mox ſermo erit: *Praterea conſtat in Regula Ordinis propria, cujus exemplar MS. ac bene antiquum vidimus, eumdem ritum expreſſe praſcriptum eſſe nomine Officii Canonicorum, quo Humiliati in eadem etiam nuncupabantur.* Profecto ſi antiquum hunc Codicem ille vidit, qui ſcilicet ante an. MCCCCXXXVI. exaratus fuerit (poſteriorum enim nulla eſt auctoritas, ut infra oſtendemus) res confecta eſt;

dicen-

dicendumque erit, duplices fuiſſe Humiliatorum leges, alteram eorumdem propriam, cujus initium eſſet: *Omnis boni principium &c.*, alteram S. Benedicti. Certe in antiquis primæ exemplaribus a me inſpectis numquam Canonicorum nomen occurrit; numquam in Pontificiis literis Canonicos vocari illos vidi. Cumque Guillelmus Faba, de quo multa erunt nobis in proxima Diſſertatione dicenda, in Commentario ſuo ad S. Benedicti leges, Humiliatos Canonicos Regulares eſſe dixiſſet, illius opinionem Joannes Braidenſis refellit, qui Caput XIX. Chronici ſui, in quo hac ſuper re diſputat, ſic inſcribit: *De diſpenſatione juramenti; & de Fratrum & non Canonicorum cognomine*. Auſuſne porro fuiſſet Joannes Canonicorum nomen Humiliatis ſuis negare, qui nomine hoc ipſo in ſuis legibus denotarentur? An non id ſaltem ſibi ille objeciſſet, Canonicorum nomine illos in eorumdem legibus deſignari? Attamen hac de re ne verbum quidem. Ac videmus utique in Pontificiis literis ad Humiliatos primi Ordinis datis decerni, ut *Canonicus Ordo* ab iiſdem ſervetur. Sed nemo eſt, qui iis verbis Clauſtralem vitam tantummodo ac legitimam Sacrorum celebrationem indicari non intelligat. Sæpiſſime etiam videmus primi Ordinis domos *Canonicas* dici. Ita in Laudenſi charta an. MCCCXX. VI. Mart. *frater Guillelmus de Melzo prepoſitus canonice omnium ſanctorum Laudenſis diocefis;* in Bergomenſi an. MCCCIV. XI. Jan. *Fr. Petrus Tiraboſchi Domus Canonice de Galgario procurator, & Sindicus Umberti Prepoſiti*, atque alibi frequentiſſime. Sed *Canonicam* domum atque Eccleſiam quamcumque interdum dici, quam homines certis legibus viventes divinoque cultui addicti incolant, eruditi norunt. Ita apud Cangium (*a*): *Canonica, Eccleſia ubi Regulares morantur*. Quo ſenſu Humiliatos etiam potuiſſe Canonicos appellari non inficior: appellatos fuiſſe ut plurimum, nego.

X. Qui itaque Canonicorum *officium* & nomen ſuſceptum olim

(*a*) Gloſſar. T. II. col. 170. Edit. Ven.

olim ab Humiliatis ſcripſerunt, ſuſpicor illos non ſatis tempora atque ætates diſtinxiſſe. Anno enim MCCCCXXXVI. cum Mantuæ ad Comitia collecti eſſent Humiliati, neſcio qua de cauſſa, antiquis legibus rejectis Benedictinas amplexi ſunt; decretumque hujuſmodi hac ſuper re editum: *Definimus & ordinamus, quod omnes tam primi quam ſecundi Ordinis noſtri vivamus & gubernemur ſub titulo & Regula Almi Patris noſtri Benedicti, quæ incipit: Auſculta o fili præcepta Magiſtri; rejecta illa quæ incipit: Omnis boni principium eſt Deus.* Tunc itaque ſtrictiore ſenſu ad S. Benedicti ordinem pertinere Humiliati cœperunt. In ipſis tamen S. Benedicti legibus, ut Fratribus ac Monialibus ſuis opportunius congruerent, nonnulla immutarunt. Sanctimonialium leges Italice redditas publici juris fecit Puricellius. Fratrum vero quæ nominibus tantum mutatis eædem ſunt ac Monialium leges, MSS. in Ambroſiana Bibliotheca ſervantur; atque in iis ſcilicet factum videmus, quod de antiquioribus nonnulli referunt, ut Abbatis & Monachorum nomen, quod in S. Benedicti legibus frequens occurrit, in Præpoſiti & Canonicorum nomen verteretur. Sic enim poſt Præfationem incipit: *Præpoſitus, qui præeſſe debet Canonicis.* Ad calcem vero hæc adduntur: *Regulam B. Benedicti, quibuſdam exceptis Capitulis, præterquam in Divinis Officiis celebrandis* (in his enim ritus peculiares ſuos Humiliati conſtanter retinuerunt, ut mox videbimus) *Deo annuente obſervandam ſuſcepimus. Canonicorum enim officium & ſtatum Omnipotentis Dei invocato auxilio obſervare decrevimus.* Audin? In recentioribus hiſce videlicet, non in vetuſtioribus illis legibus *Canonicorum Officium & Statum* Humiliati amplexi ſunt. Subditur vero, quænam ex S. Benedicti legibus capita excluſerint. *Capitula Regulæ B. Benedicti exceptata* (ſcilicet omiſſa) *ſunt hæc: de Decanis Monaſterii; de Septimanariis Coquinæ; de ſuſcipiendis hoſpitibus, pro quo ſuſcepimus Capitulum de regula Panoſſ* (de hac voce paullo poſt agemus); *de veſtimentis & calceamentis; de menſa Abbatis; de filiis nobilium vel pauperum, qui offeruntur; de Sacerdotibus, qui volunt in mona-*

monaſterio habitare; de Monachis peregrinis; de ordinando Abbate. Atque hæc ſcilicet ſunt, quæ S. Benedicti leges cum recentioribus Humiliatorum legibus a Puricellio editis conferentes, his deeſſe videmus. At vox illa *Panosj* quid ſit ignoro. Suſpicari quis forte poſſit, *Pachomii* ſcribendum eſſe, quaſi ex illius legibus caput illud excerptum fuerit; ſed nihil hujuſmodi in Pachomii legibus occurrit. Suſpicor potius, ſi conjecturæ, quamvis non ſatis firmæ eſt locus, ſcriptum olim fuiſſe *de regula Pa. nos.j.*, ſcilicet *de regula Patris noſtri Joannis*, quod ſcilicet Humiliati traditione acceperint, in illis, quas Joannes Humiliatis ſcripſerat, legibus, caput illud iiſdem verbis conceptum fuiſſe, ac proinde eadem omnino ſervare voluerint; rudem vero librarium uno ductu *Panosj* ſcripſiſſe. Sed hæc per conjecturam dicta ſunto.

XI. Hunc in modum ab an. MCCCCXXXVI. ad extremum uſque S. Benedicti legibus uſi ſunt Humiliati nonnullis exceptis, iiſque præſertim, quæ ad Sacrorum ritus ſpectant; qua de re breviter nunc eſt diſſerendum. Peculiarem Humiliatis fuiſſe in Divinis laudibus perſolvendis ritum, is facile viderit, qui impreſſos in hanc rem eorum Codices legerit, quos paullo poſt commemorabimus. At quæſtio oritur, quandonam Humiliati illo uti cœperint. Arbitror tamen quæſtioni vix locum eſſe, ac certiſſime conſtare jam ab antiquiſſimis temporibus Divinorum Officiorum rationem illam Humiliatos uſurpaſſe, quam ſemper deinde ſervarunt. Ac primo habemus hac in re Chronicorum teſtimonia: *Quando fratres ſecundi membri*, ait Joannes Braidenſis, cui ceteri conſentiunt, *regulam Innocentii tertii acceperunt, ipſi devote, qui litteras ſciebant, licet non eſſent Clerici, pſallebant Horas Canonicas juxta regulam; ſcilicet media nocte peracta ſurgebant & pſallebant in oratorio nocturnum, & in aurora laudes decantabant. Primam vero hora debita pſallebant; ſimiliter Tertiam, Sextam, & Nonam, & Veſperas in ſuis horis pſallebant. In ſolis autem occaſu Completorium cantabant. Quod quidem offitium illud eſt, quod in preſentiarum uſitatur ab Ordine;*

ne ; & quod ſuſceptum fuit per anteceſſores prædictorum Præpoſitorum (ideſt per alterius antiquioris Ordinis Prælatos) *uſque a principio, quo habitum Ordinis ſuſceperunt*. Ex quibus verbis illud etiam intelligimus, ipſa B. Joannis Medenſis ætate vetuſtiorem eſſe hunc ritum; neque huic propterea, quod nonnulli exiſtimant, tribuendum; quod ipſum clarius adhuc Marcus Boſſius teſtatur: *Initiatus Sacris* (Joannes) *divinum offitium debitis horis ſecundum ordinem illorum de ſecundo membro (& ipſe eſt quo nunc utimur) una cum ſuis fratribus quotidie in Eccleſia devote & ſapienter pſallebant*.

XII. Non ita tamen hujuſmodi Sacra Humiliati omnes ſuſceperant, ut nullum eſſet hac in re inter eoſdem diſcrimen. Quod cum ad Innocentium IV. delatum eſſet, literis ad Humiliatorum Magiſtrum III. Nov. MCCXLIX. edixit, ut *quandoquidem per Sedem Apoſtolicam ſtatutum eſſe* dicebatur, *ut unus modus cantandi & legendi in divinis officiis in Ordine Humiliatorum debeat obſervari*, unum eumdemque proinde omnes amplecterentur. Mediolanenſes nihilominus Humiliati Ambroſianis ritibus uti conſueverant; quod inde præſertim factum arbitror, quod cum Humiliati Epiſcoporum juri obnoxii olim eſſent, a Mediolanenſibus Archiepiſcopis communes provinciæ ritus uſurpare juſſi fuerint. Enimvero in literis tum Philippi Mediolan. Archiep., tum Goffridi Cardinalis pro Braidenſis Eccleſiæ ædificatione datis, quas alibi commemorabimus, id etiam cautum videmus, ut cum alterius Ordinis Humiliatos, quorum erant Braidenſes ædes, externis Sacerdotibus ad peragenda ſacra uti oporteret, facultas illis eſſet *divina in ea officia a quocumque presbitero, dum tamen Ambroſiano recipiendi*. At Alexander IV. de hac re certior factus literis ſuis ad Humiliatorum Magiſtrum XIII. Cal. Jun. an. MCCLVIII. datis, illi edixit, ut Mediolanenſes Humiliatos, qui *conſuetudinem Mediolanenſis Eccleſie modo, qui obſervatur in predicto Ordine* (Humiliatorum) *contrariam* ſequebantur, memoratæ Innocentii legi obſequi juberet; quod etiam ab alterius Chronici auctore narratur. Verum Humiliati

Mediolanenſes Pontificiæ legi ſuſcipiendæ difficiles ſe præbuerunt. Habemus enim Honorii IV. literas VII. Apr. MCCLXXXVI. ad Humiliatorum Magiſtrum, quibus narrat Mediolanenſes Humiliatos a memorata lege ad Apoſtolicam Sedem appellaſſe; ac Magiſtro proinde mandat, ut, ſi opportunum illi videatur, rei exequutionem, non tamen ultra biennium, differat. Quid deinde factum ſit non legimus; ſed cum certo conſtet, Mediolanenſes Humiliatos ipſos ab Ambroſianis ritibus defeciſſe, cumque Petri Card. Peregroſſi opera factum id fuiſſe Chalcus narret (*a*), qui anno MCCLXXXVIII. Humiliatorum protector erat, ut ſequente Diſſertat. videbimus, probabiliſſimum eſt biennio illo elapſo, Peregroſſo præſertim auctore, Innocentii legi Mediolanenſes Humiliatos paruiſſe.

XIII. Deinceps vero Humiliati ritus ſuos conſtanter retinuerunt. MSS. Codices multos vidiſſe ſe Puricellius teſtatur, quibus illi ad Sacra utebantur; aliquos nos etiam vidimus, qui in S. Catharinæ Braidenſis ac S. Eraſmi Cœnobiis ſervantur, qui tamen ſæculo XV. antiquiores non videntur. Typographica vero arte in Italiam deducta, haud ſegnes in illius uſu Humiliati fuere. Itaque primo anno MCCCCLXXXIII. Mediolanenſibus typis per Joannem Antonium de Honate Divinorum Officiorum liber ſecundum Humiliatorum ritus editus eſt; quam editionem a Stephano Nottio curatam Cl. Saxius egregie illuſtrat (*b*). Binas alias ejuſdem Libri editiones commemorat Card. Fridericus Borromeus in ea, de qua mox ſermo erit, epiſtola, ſcilicet an. MDIV. & MDXXXV., quas nobis videre haud licuit. Eaſdem innuit Maximus Vicecomes in Præfatione ad editionem an. MDXLVIII. *Non ſemel impreſſioni, ut ſcis, jam olim mandata fuerunt noſtri ordinis breviaria, quæ dicunt . . . ſed ſecundo & tertio*. Anno autem MDIV. editum

(*a*) Hiſtor. Patr. Lib. XVIII. ad an. 1295.
(*b*) Hiſtor. Typogr. Mediol. col 253. & 579.

editum eſt etiam Mediolani *Miſſale ſecundum morem & conſtitutiones fratrum ordinis humiliatorum ſub divi benedicti regula militantium. Anno Domini MDIV. die XXV. Januarii expletum*. Aſt anno MDXLVIII. cum ea eſſet hujuſmodi librorum inopia, *ut*, ait Vicecomes idem, *ne unum quidem alicubi, ac ſi lac gallinæ eſſet, venale haberetur*, cumque menda in eoſdem plurima irrepſiſſent, quæ fuſe ſcriptor idem exaggerat, de nova editione cogitatum eſt. Quod onus cum Vicecomes ſuſcepiſſet, Hieronymus Torchius Generalis Humiliatorum Magiſter literas XXI. Nov. eodem anno datas a Paullo III. impetravit, quibus *Breviarium* illud ſecundum Humiliatorum ritum Apoſtolica auctoritate comprobatum eſt. Hunc in modum anno MDXLVIII. quarta editio a Maximo Vicecomite curata eſt, cui & memoratæ Paulli III. literæ, & Vicecomitis ad Torchium Epiſtola, & bina ejuſdem Epigrammata præmittuntur. Diſſoluto deinde an. MDLXXI. Humiliatorum cœtu, Sanctimoniales ſuperſtites antiquos Humiliatarum ritus, uti & leges, alicubi retinuerunt; nec quidquam a S. Carolo tentatum videmus ut Romanos illæ aut Ambroſianos ritus ſuſciperent. Quin etiam an. MDCXXI. nova Papienſibus typis ejuſdem *Breviarii* editio curata eſt. Sed paullo poſt, anno ſcilicet MDCXXVIII. Hieronymus Curtius Mediolanenſium Humiliatarum Monialium ritus oppugnare aggreſſus eſt; & ſcriptum quoddam Alexandro Magentæ Monialium, ut ajunt, Vicario obtulit, quo Romanos ritus omnino ab illis ſuſcipiendos eſſe contendebat. Quod cum ad Friderici Card. Borromei manus veniſſet, hic Puricellio legendum tradidit, ejuſque judicium exquiſivit. Puricellius erudita Diſſertatione conſcripta, quæ ſimul cum Curtii ſcripto MS. in Ambroſiana Bibliotheca ſervatur, Curtii ſententiam rejecit. Qua occaſione injectam fuiſſe eruditiſſimo Cardinali mentem arbitror, ut Humiliatorum undique monumenta per Puricellinm colligenda curaret. Curtius cauſſa cecidit; ac Borromeus doctiſſimas ad S. Mariæ Magdalenæ ad Circulum Sanctimoniales literas dedit X. Apr.

Digitized by Google

an. MDCXXXI., quibus rituum, quibus illæ utebantur, vetuſtatem aſſerens, oſtendenſque minime illos Pii V. lege contineri, qui ritus ſacrorum omnes, præterquam qui CC. ante annos recepti fuiſſent, uſurpari vetuerat, Sanctimoniales iiſdem conſtanter uti juſſit. Exſtant illæ Italice apud P. Jo. Bartholomæum a S. Claudia (*a*), Latine apud Saxium (*b*). Anno denique MDCCLI. Humiliatorum *Breviarium* elegantiſſimis Joſephi Marelli typis iterum impreſſum eſt.

XIV. Proprium hunc Humiliatorum ritum fuiſſe Caſſanæus ſcribit (*c*), *quod in Sabato Paſchæ celebrant eorum officium illius diei de ſero poſt meridiem in introitu noctis, ita quod miſſa illius diei de nocte in vigilia Paſchæ cantatur*. Id unde hauſerit Caſſanæus, ignoro. Certe in tot Humiliatorum monumentis, totque ſeu MSS. ſeu impreſſis Codicibus, quibus eorum ritus in ſacris peragendis traduntur, nullum ego hujuſce moris indicium vidi; nullum pariter Puricellius vidit, qui in ſchedis ſuis, non ſatis ſe Caſſanæi auctoritati hoc loco fidere, ait. Niſi forte id apud Humiliatos receptum dicamus, cum apud alios etiam mos idem uſurpabatur; quod in Eccleſiis nonnullis uſque ad ſæculi XV. initia factum fuiſſe nonnulli arbitrantur (*d*). Illud potius in Sacris Humiliatorum Libris animadverſione dignum eſt, quod cum antea vulgata verſione in SS. Bibliis uterentur, Iſidori Clarii deinde interpretationem amplexi ſunt, ut ex editione an. MDXLVIII. conſtat; eamque adhuc Humiliatæ Sanctimoniales uſurpant. Ad ceteros Humiliatorum ritus quod attinet, & longum foret ſingulos perſequi, & cum plures hujuſmodi Librorum editiones curatæ ſint, occurrunt interdum in Bibliothecis eorumdem exemplaria, quæ quiſque

(*a*) Luſtri Storiali degli Agoſtin. Scalzi pag. 522.

(*b*) Hiſt. Typograph. Mediol. col. 254.

(*c*) Gloria Mundi P. IV. Conſid. 60.

(*d*) V. Benedict. XIV. de Feſtis D. N. J. C. Cap. VIII. num. 2.

quiſque conſulat. Hæc de Humiliatorum legibus ritibuſque generatim dicenda erant. Quibus hoc unum addendum, ut ſcilicet quonam illi ſigno ſeu ſtemmate uterentur, paucis inquiramus. Ac vidimus jam Diſſertat. II. num. XII. erraſſe Pagium, cum Humiliatos S. Bernardi effigiem ſtemmatis loco uſurpaſſe ſcripſit. Id enim a tertii Ordinis Humiliatis tantummodo, qui Modoetienſi Convenio præerant, factum fuiſſe conſtat. Maurolycus (*a*) Humiliatorum ſignum albo cane conſtare conſueviſſe ait, qui chartulam ore emitteret, his vocibus notatam: *Tuta fides*. Helyottus contra ex picta Braidenſis S. Catharinæ Cœnobii tabula colligit, non canis, ſed agni effigie illos uſos, verba hæc præferentis: *Omnia vincit humilitas*. At Cl. Mannius in veteribus Florentinorum monumentis egregie ſi quis umquam verſatus, ovem Florentinos Humiliatos in ſtemmate prætuliſſe affirmat (*b*), nec voces ullas commemorat illi adjectas. Ego ſane non video, quid canis effigies ad Humiliatos pertineret. Contra veriſimillimum eſt ſeu agni ſeu ovis imaginem uſurpaſſe illos, ut laneum opus, quo maxime exercebantur, deſignarent; quo ſigno Florentinum etiam Lanariorum Collegium uſum fuiſſe, Mannius teſtatur. Voces autem, ſi quæ adjectæ erant, illæ potius Humiliatis congruere videntur, quas Helyottus profert, quam quæ a Maurolyco recitantur. Nunc ut cœtus hujuſce indolem diligentius cognoſcamus, ſupereſt, ut quid diſcriminis utrumque Ordinem intercederet, ac quamdiu diſcrimen hoc manſerit, inveſtigemus.

XV. Ac primo quid inter clauſtralem utrumque Ordinem intereſſet paucis, exponit alterius Chronici auctor: *Secundum* (membrum ſeu, alter Ordo) *habet Prælatam cum boneſta alba & bireto, ut in Variſio. Tertium* (ſcilicet primus Ordo, origine tertius) *habet Præpoſitum cum boneſta alba, & Capuccio, ut nunc in Brera.* Duplex

(*a*) Mare Oceano Lib. III.

(*b*) Oſſervaz. ſopra i Sigilli T. I. Sig. II.

plex itaque diſcrimen ſtatuit; alterum in veſtis genere; quæ cum alba utriſque eſſet, primi Ordinis Fratres *Capuccium* illi addebant; cujus loco alterius Ordinis Humiliati bireto quodam caput tegebant, iis temporibus apud Laicos ipſos uſitato. Diſcrimen alterum a Præſidis nomine petebatur; qui enim alterius Ordinis domos regebat, Prælatus plerumque, interdum etiam in antiquioribus chartis Miniſter dicebatur; Præpoſitus vero, qui primi Ordinis domibus præerat. Nec tamen unum erat appellationis diſcrimen; nam primo, ut Joannes Braidenſis in ſuo Chronico narrat, Præpoſito eligendo, unus ex Fratribus communi conſenſu ſtatuebatur, qui tres alios Fratres, ex quibus duos Sacerdotes eſſe oportebat, electionis ſocios vocabat. Hi autem jejunio ad triduum peracto, ac Fratrum omnium voluntate inveſtigata, in quem pleroſque conſentire animadverterent, illum Præpoſitum jubebant, quem deinde quattuor illi præcipui univerſi Ordinis Præpoſiti, aut, poſtquam ille Humiliatis eſt datus, Generalis Magiſter confirmabat. Eadem Prælati eligendi ratio erat, ut ex Innocentii IV. literis an. MCCXLVI. XXX. Octobris datis patebit, ſed nulla hic confirmatione indigebat. Perpetua inſuper Præpoſiti dignitas; at Prælati anno, aut ad ſummum biennio, definiebatur. At deinde, præſertim cum B. Tiberius Parmenſis Humiliatis præeſſet, Prælatorum eligendi modus ac jus idem ac Præpoſitorum eſſe cœpit, ac ipſi alterius Ordinis Præſides Præpoſiti appellati. Magiſtrorum Generalium arte factum id dolet Joannes Braidenſis, ut in Præſides omnes confirmationis jus haberent, quod in Prælatos antea non obtinebant. Ac denique in Mantuanis an. MCCCCXXXVI. Comitiis lex lata eſt, ut quicumque impoſterum domui alicui præeſſet, qui quidem Sacris eſſet initiatus, Præpoſitus appellaretur.

XVI. At maximum inter utrumque Cœtum diſcrimen illud erat, quod primus Sacerdotibus, Laicis alter conſtaret, ut vidimus cum de utriuſque origine diſſereremus. Sed hoc etiam diſcrimen tolli paullatim cœpit. Anno enim MCCLVI. Alexander IV.

IV. literis ad Bertramum Generalem Humiliatorum Magiſtrum datis edixit, ut & in ſingulis alterius Ordinis domibus extruendas Eccleſias, ſicubi nondum exſtructæ eſſent, & in ſingulis nonnullos ex Fratribus Sacris initiandos curaret. In Comitiis an. MCCCXLII. videmus Clericorum numerum pro ſingulis alterius Ordinis domibus definitum, ac plerumque non tenuem, ſcilicet XXV. in Braidenſi domo, XV. in domibus S. Spiritus ac Glaxiatenſi, X. in domibus S. Calimerii & de Monteforti &c. Hinc factum eſt, ut primi alteriuſque Ordinis nomina paullatim in deſuetudinem abierint, vixque poſt ſæculi XV. initia diſcriminis quidquam inter illos eſſet.

XVII. Ad Moniales quod attinet, quamvis, ut ſuperiore Diſſertatione monuimus, aliquod inter illas veſtium diſcrimen eſſe S. Joannes voluerit, ut nempe, quæ in primi Ordinis Fratrum domibus vivebant (videbimus enim Diſſertat. VII. Fratrum domos mulieribus etiam communes fuiſſe) primi Ordinis veſtes ferrent, alterius vero, quæ in alterius Ordinis ædibus morabantur, vix tamen videntur illæ hoc appellationis diſcrimine deſignatæ. Singulis domibus, ſeu Fratrum Cœnobiis conjunctæ eſſent, ſeu ab iiſdem ſejunctæ, Miniſtra præerat, quæ interdum etiam Magiſtra, aut Antiana, raro Prioriſſa, numquam, niſi ſub extrema tempora interdum, Abbatiſſa, diei conſueverat. In communibus domibus rei familiaris adminiſtratio penes Prælatum aut Præpoſitum erat. Aſt ubi de gravioribus rebus agendum eſſet, Fratres ſimul ac Sorores conveniebant. Hinc in Canturienſi charta an. MCCLVI. XXIII. Jul. ſuo loco edenda habemus: *In Capitulo ſeu conventu domus humiliatorum ſecundi Ordinis, que dicitur domus de planella de burgo canturio de intus.... more ſolito convocato in loco ſolito, in quo capitulo aderant frater Johannes Boſſius prelatus & anzianus dicte domus, & frater obizo de ſilva &c. & jam dicte ſorores dicte domus, quarum nomina ſunt hec, ſomia de lanonis, agnexa de coſſa &c.* Sejunctæ autem domus quamvis liberior eſſet apud Miniſtram adminiſtra-

niſtratio, videmus tamen alicujus Humiliatorum Domus Præpoſito vel Prælato illas etiam, præſertim, ut dicimus, in ſpiritualibus obnoxias fuiſſe. Enimvero Monialium Profeſſiones nonnullas habemus, quas plerumque coram Præpoſito aliquo emitti videmus. Earumdem Confeſſionibus excipiendis Humiliati a Præpoſitis Prælatiſve ſeligebantur; qui mos uſque ad an. MDLXVIII. obtinuit, quo tempore Pius V. Humiliatas Moniales Ordinariorum juri obnoxias eſſe juſſit. De illarum autem Clauſura ſermo erit Diſſertat. VII.

XVIII. Locus denique hic eſt, ut, quoniam reliquæ Diſſertationes Humiliatos Clauſtrales plerumque ſpectabunt, pauca hic de tertii Ordinis Humiliatis diſſeramus. Quod illi vitæ genus amplexi eſſent, quibuſque legibus viverent, ſatis ex Innocentii III. literis patebit, quibus eorumdem leges approbat. Pleraque autem generalibus quibuſdam præceptis continentur, de manſuetudine ſervanda, de condonandis injuriis, de modo in cibo ac potu adhibendo, aliaque hujuſmodi. Quæ illis peculiaria erant, ea fere ſunt, quartæ & ſextæ feriæ jejunium, Canonicarum horarum recitatio, quæ tamen in eo poſita erat, ut Orationem Dominicam ſepties in ſingulas horas, Apoſtolicum vero ſymbolum ad Primam atque ad Completorium recitarent; certæ preces pro iis perſolvendæ, qui ex eorumdem cœtu vita excederent; conventus denique ſingulis Dominicis diebus celebrandi (ex quo *Fratres de Convenio* appellatos fuiſſe illos diximus), ubi ex fratribus aliquem de Divinis rebus familiari ſermone loquentem audirent, *ita quod de articulis fidei & Sacramentis eccleſie* non diſſererent. Hinc etiam fiebat, ut non certas ſolum his conventibus celebrandis ædes, ſed Eccleſias etiam alicubi haberent, ac Papiæ præſertim, ut Diſſertat. VII. videbimus. Ad veſtium genus quod ſpectat, vidimus antiquiſſimos Humiliatos cinereo colore uſos fuiſſe. Hunc autem morem apud poſteros perſeveraſſe docet alterius Chronicæ auctor: *Primum membrum* (primum ſcilicet origine) *habet Miniſtrum in habitu bar-*

retino,

retino, ut in Papia. Quibus verbis indicat anno MCCCCXXI. (hoc enim anno ſcribebat) Humiliatos tertii Ordinis cinereis veſtibus indutos fuiſſe adhuc Papiæ. In memoratis tamen eorumdem legibus nihil hac de re ſtatutum videmus; ſed hoc unice in iiſdem præcipitur: *Veſtimenta vero nec nimium nitida, nec plurimum debent eſſe abjecta; ſed talia in quibus nihil irreligioſum poſſit notari, quia nec affectate ſordes, nec exquiſite munditie conveniunt Chriſtiano*. Quin etiam ex Florentino monumento an. MCCLXXV. apud Cl. Mannium (*a*), tertii Ordinis Humiliatas albis ibi veſtibus fuiſſe uſas colligimus, ac Sorores Pœnitentiæ appellari conſueviſſe: *Angneſa Pinzochera ſeu Soror Pœnitentiæ de veſtitis albis de Ordine Humiliatorum*. Tertii vero Ordinis fuiſſe illam hinc diſcimus quod Ciſtercienſium inſtituta ampleċti velle eadem dicitur.

XIX. Porro ut tertii Ordinis Humiliati cœptum vivendi genus alacrius perſequerentur, multis illos juribus Romani Pontifices, eorumque Legati ornarant. Ac primo habemus Gerardi Cardinalis ac Legati Apoſtolici literas ad Epiſcopos omnes ceteroſque Eccleſiarum Rectores datas an. MCCXI. *duodecimo die ante Kal. Maii*, quibus eos hortatur, ut tertii Ordinis Humiliatorum conventus adjuvent foveantque. Habemus pariter Innocentii IV. literas XXI. Aug. an. MCCLI., quibus teſtatur ab Apoſtolica ſede id conceſſum illis fuiſſe, ut arma capere bello urgente nulla ratione cogerentur, vetatque proinde, ne quis hac de cauſſa pecuniam ab iiſdem per injuriam extorqueat. Licebat iis quoque, cum Urbi alicui Sacris interdiceretur, ad Clauſtralium Humiliatorũ templa ſe conferre, ac Sacris intereſſe, quibus illi ex Sedis Apoſtolicæ facultate fungi poterant, ut ex edendis monumentis patebit. *Scias etiam*, addit Joannes Braidenſis, *quod iſti Fratres tertii Ordinis ita ſunt exempti a vexationibus ſecularibus, ut alii fratres de ordine ſecundum privilegia Ordinis*. Olim ad Generalia Humiliatorum Comitia illi etiam advocabantur; *& ibi*, ait Joannes Braidenſis, *dum de temporalibus loquebatur, permanebant. Sed ex quo ordo habuit Magiſtrum Loderengum;*

(*a*) Oſſervaz. ſopra i Sigilli antichi T. VII. Sig. VIII.

eſt mutatus modus; ſcilicet quod ipſi non vocabantur ad Capitulum .... ſed bene ipſi poſtmodum convocabant Capitulum generale per ſe; & quæ ordinabantur ad Magiſtrum, & ad Capitulum generale totius Ordinis per deſinitores ſui capituli tranſmittebantur confirmanda. Mittimus hic de Noſocomiorum cura iiſdem ſæpe commiſſa loqui, de qua ſermo erit Diſſertat. V.

XX. Ubicumque vero Clauſtralium Humiliatorum domus erant, iiſdem fere in urbibus aut pagis tertii Ordinis Humiliati vigebant. Quin etiam ſuſpicio ſubit, multo longius hos proceſſiſſe. Suſpicionem injiciunt Conradi Marchionis Montisferrati filii bina diplomata Tyri data an. MCLXXXVIII. quorum alterum publici juris fecit Muratorius (a); alterius exemplar MS. Piſis ad me tranſmiſſum eſt; ſed illud idem eſt forte, quod Muratorius a Troncio in Piſanis annalibus editum fuiſſe ait. Iis porro domos, pagos, caſtra nonnulla ac bona alia quamplurima Acconenſis ditionis concedit *Piſanis viris de Societate Umiliorum, qui*, ait ille, *mecum in ipſius Tyri defenſionem pro honore nominis Unigeniti Dei Filii, totiuſque Chriſtianitatis fideliter atque conſtanter permanſerunt*. Hos porro Umilios Mercatorum Piſanorum ſocietatem quamdam fuiſſe Muratorius affirmat, Tyrum deductam, quæ opibus ſuis plurimum in expeditione illa Chriſtianis profuerat. Jamvero quidni dicamus Humiliatos hic deſignari? At tertius hic Humiliatorum cœtus ut ante alios exſtiterat, ſic etiam ante alios diſſolutus eſt. Jamque ab anno MCCCCXIX. vix umquam ſimul illos conveniſſe Joannes Braidenſis teſtatur: *Ordinaverunt ut unus eſſet Miniſter in qualibet urbe & terra, qui ſic etiam hodie nominatur ..... ſed de præſenti in deſuetudinem eorum comitia abierunt*. Hinc ipſum paullatim Humiliatorum numerum imminutum fuiſſe veriſimile eſt; ac non multo poſt, ſcilicet ſæculo XV. exeunte, eorumdem ſocietatem omnino evanuiſſe. Certe ſæculo XVI. nulla umquam, quod ſciam, tertii Humiliatorum Ordinis mentio occurrit. Sed jam ad Clauſtrales Humiliatos redeamus.

DIS-

(a) Antiquit. Ital. T. II. col. 911.

DISSERTATIO IV.

DE GENERALIBUS HUMILIATORUM MAGISTRIS.

I. QUanam regiminis forma ante eorum leges ab Innocentio III. approbatas Humiliati uterentur, non ſatis conſtat. Quamvis enim Præpoſitum ſuum primi Humiliatorum Ordinis domus, Prælatum vero alterius domus ſingulæ ſibi ipſæ præficerent, ut Chronicorum auctores tradunt; nec ex iiſdem Chronicis tamen, nec ex eorum temporum monumentis, quorum maxima eſt inopia, colligere licet, ſingulæ ne domus ſolo Præpoſiti Prælative arbitrio regerentur, an alicui ſuprema domorum omnium totiuſque cœtus cura committeretur. At poſtquam Innocentius III. Humiliatorum leges, ut ſuperiore Diſſertatione vidimus, confirmavit, hanc primi ſimul alteriuſque Ordinis regendi rationem eſſe voluit. Quattuor primi Ordinis domus ceteris antiquitate ac dignitate præibant, Novocomenſis ſcilicet, quæ de Rondenario dicebatur, Vicoboldonenſis (Vicoboldonus pagus eſt Diœceſis Mediolanenſis extra portam Romanam) Papienſis de Vigalono nuncupata, ac Laudenſis. Earum Præpoſitos ſingulos ſingulis in vicem annis Ordini univerſo præeſſe Innocentius juſſit literis XVI. Cal. Jul. anno MCCI. datis, quas ſuo loco proferemus, ſimulque, quid eorum muneris eſſe deberet, expoſuit; Præpoſitis ſcilicet ceteris invigilare, generalem utriuſque Ordinis conventum cogere, aliaque hujuſmodi.

II. Hæc fere fuit Humiliatorum Ordinis regendi ratio ab anno MCCI. ad annum MCCXLVI., quo primum tempore Generalem Ordinis Magiſtrum ſibi ipſi Humiliati præfecerunt. Totam rei ſeriem tum ex eodem Chronico, tum ex Innocentii IV. literis III. Idus Octob. ejuſdem anni datis, quibus recens electum

Magiſtrum confirmavit, colligemus. Eo ſcilicet anno Humiliatorum nonnulli, trium Ordinum Præpoſitis, Prælatis, ac Miniſtris jubentibus, Lugdunum ad Innocentium IV. profecti (in hanc enim urbem duobus ante annis (*a*) ob graviſſimas cum Friderico II. Cæſare diſſenſiones ſeſe Pontifex receperat), communi Humiliatorum nomine ab eo petierunt, ut Præpoſitum aut Magiſtrum aliquem Ordini univerſo præeſſe juberet. At Pontifex Humiliatorum votis difficilem ſe initio præbuit, ut ipſe in iiſdem literis fatetur, viſuſque eſt parum illorum deſideriis favere. Qua in re tamen hoc Pontificem ſpectaſſe Chronici auctor ſcribit, *ne forte etiam perſonam eis exoſam, vel Ordini inutilem traderet*. Enimvero Pontifex non multo poſt, cum unius Magiſtri electionem e re Humiliatorum fore intelligeret, eorum voluntati morem gerere ſtatuit. Itaque rem totam Ottoni Portuenſi ac S. Rufinæ Epiſcopo committit; qui literis ad Humiliatos in Generali Conventu collectos datis, eos hortatus eſt, ut totius Ordinis Magiſtrum renunciarent. Voti ergo compotes, domus S. Lucæ Brixienſis Præpoſitum, qui omnium digniſſimus viſus eſt, primum nova hujuſmodi dignitate ornaverunt. Bertraminus in Innocentii literis, prout in Ambroſianæ Bibliothecæ Codice deſcriptæ ſunt, ille vocatur; ſed Beltramum illum appellatum fuiſſe non modo ex Chronicis ceteriſque Scriptoribus omnibus conſtat, ſed ex charta etiam, quam in Canturienſis Capituli tabulario aſſervari altera Diſſertatione vidimus, in qua Beltrami nomen ipſius manu ſcriptum legitur: *Ego frater Beltramus Ordinis humiliatorum magiſter &c.* Qua ille ex familia fuerit, ignoraremus, niſi illam nobis Corius & Calchus commemoraſſent. Ille enim (*b*) cum Mediolanenſes de eligendo Prætore diſſentirent, Religioſos viros nonnullos arbitros conſtitutos narrat, atque inter hos: *Fratre Beltramo Zoccora Magiſtro*

(*a*) V. Baron. ad an. 1244.

(*b*) Hiſtor. di Milan. ad an. 1256.

giſtro de Frati humiliati. Calchus vero levi illum diſcrimine *Zotoram* vocat (*a*). At ſuprema hac dignitate in Beltramum collata, ipſam dignitatis appellationem Humiliati Innocentio permiſerunt. Ipſe vero Beltramus Lugdunum profectus, humaniterque a Pontifice exceptus, & dignitatis ſuæ confirmationem, & totius Ordinis Humiliatorum Magiſtri nomen impetravit. Quæ omnia Pontifex literis, quarum ſuperius meminimus, rata eſſe juſſit.

III. Dolendum ſane eſt pauca de primo hoc Humiliatorum Magiſtro literis conſignata fuiſſe. Nos quæcumque potuimus, hinc inde collegimus diligenter, quibus præclari hominis memoria quoquomodo illuſtretur. Ac primo antiquioris ejuſdem Chronici auctor hæc tantum de Beltramo habet: *Fuit fundator Præpoſituræ S. Lucæ Brixiæ, ut audivi*. Nolim ego hanc Beltramo gloriam denegare; ſed vereor, ne Chronici auctor falſa audierit; qua in re tamen illius diligentia laudanda, qui certa a dubiis ſecernens ſatis ſe cautum in ſcribenda hiſtoria præbet. Enimvero ante Beltramum Brixienſis hujus domus Præpoſitum fuiſſe Lanfrancum anno MCCXXXV. ex documento cognoſcimus, cujus initium Cl. Carolus Doneda, de noſtro hoc Opere egregie meritus, protulit (*b*). Potuit tamen fortaſſe Beltramus S. Lucæ domum ſuis opibus condere, cum Præpoſiti munere fungi nondum illi per ætatem liceret; atque ad hanc deinde dignitatem poſt Lanfrancum evehi. At alia nec levis gloria, ſi Sormanno credimus (*c*), Beltramo debetur, qui illum ſcilicet narrat, cum præter Regulam ab Innocentio III. comprobatam, cujus initium eſt: *Omnis boni principium &c.* plurimas alias Conſtitutiones in Generalibus Humiliatorum Comitiis editas intelligeret, quæ nondum tamen in ordinem redactæ eſſent, nonnullæ etiam emendatione aliqua indi-

(*a*) Hiſt. Patriæ ad eumd. an.

(*b*) Notiz. di S. Coſtanzo Cap. VI. pag. 42.

(*c*) Storia degli Umiliati p. 93.

indigerent, adhibito Definitorum conſilio, Conſtitutiones eaſdem in unum collectas, & diligenter expenſas, publici juris feciſſe, atque edixiſſe, ut ab omnibus ſervarentur. At non Beltramo I., ſed Beltramo alteri Humil. Magiſtro, qui ab an. MCCCVIII. ad an. MCCCXVII. ſuis præfuit, gloriam hanc tribuendam eſſe alibi videbimus. Illas vero cum ceteris Humiliatorum monumentis ex Ambroſianæ Bibliothecæ Codice ſuo loco proferemus.

IV. Florebant porro per id tempus potiſſimum Humiliatorum res; hac enim ætate præſertim mira illa eorumdem per Inſubriam in primis propagatio contigit, cui parem in reliquis Religioſorum Cœtuum hiſtoriis invenias nullam, de qua alia Diſſertatione ſermo erit. Hinc etiam factum eſt, ut Humiliatorum familiam nova in dies incrementa capientem Pontifices privilegiis plurimis ornarint: etenim hoc ipſo anno plures habemus Innocentii IV. Apoſtolicas ad Beltramum, ceteroſque Humiliatos literas, ex quibus duæ præſertim propenſum in Humiliatos Pontificis animum egregie teſtantur; alteræ ſcilicet III. Cal. Novemb. datæ, quibus, poſt eximias illorum virtutes commemoratas, eorumdem Inſtituta iterum legeſque approbat; alteræ Idib. Novemb., quibus Beltramo mandat, ut Eccleſias in alterius ſui Ordinis domibus, quæ plerumque illis carebant, exſtruendas curet. Enimvero nemo forte ex Romanis Pontificibus exſtitit, cujus magis, quam Innocentii IV., patrocinio Humiliati gloriarentur. Etenim ſupra triginta habemus illius ad Humiliatos literas ſuperſtites; nec vero dubitandum eſt, quin plures aliæ temporum injuria interciderint. Alexandri vero IV., qui anno MCCLIV. exeunte Innocentio ſucceſſit, unas hactenus vidimus ad Beltramum literas X. Cal. April. anno MCCLVI. datas, eaſque Beltramo ipſi non ſatis faventes; cum enim objurgat, quod *magis quam illius honori & animarum ſaluti conveniat circa præmiſſa remiſſus exiſtens*, Innocentii literas, quas ſecundo loco ſuperius memoravimus, non ea, qua par erat diligentia, executioni mandarit. Tunc vero Bel-

tramum

tramum Pontificiæ voluntati morem geſſiſſe, nonnulloſque alterius Ordinis Fratres Sacris initiandos curaſſe, ex prioris Chronici Scriptore diſcimus; ait enim: *Iſti quoque fratres* (nempe alterius Ordinis) *effecti ſunt Clerici pro majori parte ab anno Domini* 1255. *citra* (ita per errorem pro 1256.) *ex induſtria Alexandri Papæ IV., qui hoc in mandatis dedit Magiſtro Ordinis &c.* Beltramus denique, ut ex eodem auctore diſcimus, anno MCCLVII. vivere deſiit, quare XI. circiter annos Humiliatis præfuit.

V. Humiliatis hunc in modum Magiſtro ſuo deſtitutis, generalis eorumdem Conventus habitus; at quonam loco, aut quonam potiſſimum tempore non conſtat. Quæ autem primum Humiliatis Magiſtrum ſuffecerat, S. Lucæ Brixienſis domus, eadem alterum dedit Præpoſitum ſuum, Petrum nomine; quam electionem deinde Alexander IV. confirmavit. At Humiliati Scriptores, qui pauca admodum de Beltramo nobis reliquerunt, de rebus a Petro geſtis omnino ſilent. Hoc unum antiquioris Chronici auctor narrat, illum ſua ſe dignitate ultro exuiſſe. *Nota*, ait, *quod iſte renunciavit Magiſterium Ordinis ſponte, ut vidi in quadam Scriptura facta* 1272., *& ejus refutatio* (dignitatis nempe ſuæ abdicatio) *facta fuit in Capitulo Generali celebrato in domo S. Mariæ Matris Domini anno* 1272., & paullo poſt: *Sponte Magiſtro Petro renuntiante, ut reperi in certis poſitionibus domino Ottoni Vicecomiti Archiepiſcopo Mediolani oblatis pro controverſia Ordinis*. Quæ vero cauſſa illum compulerit, ut ſponte ſe regimine abdicaret, nec Chronicorum auctores innuunt, nec ex Apoſtolicis literis aliiſque Humiliatorum monumentis erui quoquomodo poteſt; ac fruſtra in tantis tenebris aliquid conjectura aſſequi aggrederemur. Videtur autem Petrus deinceps in Ottaciorum domo Mediolani vixiſſe, ibidemque ſupremum diem obiiſſe. Illius enim nomen in ejuſdem domus Necrologio occurrit, quod II. Diſſertatione commemoravimus his verbis: 2. *Non. Apr. Obiit Fr. Petrus de S. Luca, qui fuit Magiſter Ordinis Humiliatorum*. Sed annus non adnotatur.

VI.

Digitized by Google

VI. Petro communibus Humiliatorum ſuffragiis eodem anno MCCLXXII., atque in eodem, ut arbitror, generali conventu in domo S. Mariæ Matris Domini Mediolani habito, Loderengus ſuffectus fuit, domus Miraſolis, qui pagus eſt Mediolanenſis diœceſis, Præpoſitus, ac patria, ſi Wionio credimus (*a*), Mediolanenſis; quem Othobonus de Fliſco, Cardinalis S. Hadriani, hoc ipſo anno a Gregorio X. Humiliatis protector datus, ut Petrus Maria Campius (*b*), & Joſeph Vulpius narrant (*c*), Gregorii ipſius juſſu confirmavit, quod ipſe antiquioris Chronici auctor teſtatur, ubi tamen Gregorius IX. per errorem appellatur. Nullas tamen aut Gregorii, aut Othoboni hac de re literas ſuperſtites habemus. Magiſtri hujus præclara fuit apud Humiliatos memoria. Binæ inter ceteras exſtant Honorii IV. ad illum literæ, quibus quanti Humiliatorum Ordinem faceret, diſerte teſtatur: alteris enim Romæ datis Kal. Jun. MCCLXXXVI., Humiliatorum Præpoſitos, quamvis Diœceſani Epiſcopi approbatione non impetrata, munus tamen ſuum obire juſſit: alteris eodem anno IV. Non. Jul. datis edixit, ut qui deinceps Generales Humiliatorum Magiſtri renunciarentur, munus ſuum, etiam ante approbationem a Sede Apoſtolica impetratam, inirent, quam tamen poſtea, ut primum commode liceret, poſtularent. Sed illud in primis Loderengum apud ſuos celeberrimum reddidit, quod ejus opera Humiliatorum Ordo immediate Apoſtolicæ Sedi ſubjectus eſt. Placet altius rem totam repetere, quod multa occurrunt, quorum cognitio non erit eruditis viris, ut arbitror, injucunda.

VII. Poſt Humiliatorum leges ab Innocentio III. approbatas, eorum cœtus nullis Pontificiis literis ab Epiſcoporum jure ſolutus fuerat. Ea tamen Humiliatis Pontifices indulſerant, ut

illos

(*a*) Lignum Vitæ Lib. I. Cap. LX.

(*b*) Stor. Eccleſ. di Piacenza T. II Lib. XIX. pag. 148.

(*c*) Iſtoria de' Viſconti Lib. III. num. XXII.

illos tamquam Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectos habere viderentur. Etenim Innocentius ipſe, quibus literis Humiliatorum leges approbavit, iiſdem Præpoſitorum electionem Humiliatis permiſerat; atque electos quidem confirmari ab Epiſcopo juſſerat, ſed caverat ſimul, *ne Dioceſanus Epiſcopus ei, qui ſic electus, & approbatus fuerit, confirmationis beneficium malitioſe audeat denegare*. Clarius adhuc Innocentius IV. literis III. Cal. Novemb. anno MCCXLVI. datis, edixit; ut *nullus epiſcopus vel qualibet alia perſona regularem electionem præpoſiti, vel prælati impediat, aut de inſtituendo eo, qui pro tempore fuerit, ſe aliquatenus intromittat*. Electos vero ad Epiſcopos quidem accedere juſſit, ſed ita ut *abſque examinationis ſcrutinio confirmentur*. Quin etiam poſtea, quamvis non impetrata Epiſcopi confirmatione, Præpoſitos munere ſuo fungi juſſerat Honorius IV., ut vidimus. Gregorius IX. præterea, cum anno MCCXXVII. II. Non. Sept. literas ad Rogerium Subpriorem Bononienſem, ac Fratrem Melioratum ambos ex Dominicana familia, ac presbiterum Joannem de Gambaro daret, quibus Religioſos Ordines *præſertim Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectos viſitandos* mandabat, Humiliatos etiam inter illos recenſuit. Cum tamen Humiliati ab Epiſcoporum jure ſoluti manifeſta ſententia numquam fuiſſent, jus in illos ſuum Epiſcopi tueri, atque exercere interdum curaverant. Ita Philippus Mediolanenſis Archiepiſcopus cum circa annum MCCI. Braidenſibus Humiliatis templi exſtruendi facultatem faceret, cenſum libræ ceræ impoſuit, *quam*, ait, *nomine cenſus, & in ſubjectionis ſignum . . . noſtro decernimus annuatim dari capitulo*. Hac porro conditione, ut ſcilicet Epiſcoporum juri ſubderentur, complura Humiliatorum templa ædificata fuiſſe, alibi videbimus.

VIII. Hæc cum ita ſe haberent, gravis, Loderengo Humiliatorum Magiſtro, in hanc rem quæſtio oborta eſt; quam nos tum ex Chronicis, tum ex Pontificiis literis aliiſque monumentis hauriemus. Epiſcopis nonnullis ita ſe gerere Humiliati videbantur,

tur, ac ſi Romanæ tantum ſedis jura agnoſcerent. Inter alios Otho Vicecomes Mediolanenſis Archiepiſcopus, ac Brixienſis, & Novocomenſis Epiſcopi Berardus Madius, & Joannes de Advocatis ægre id imprimis ferebant. Itaque Humiliatorum domos luſtrare, ceteraque juris ſui munera exercere aggreſſi ſunt. Quin etiam Provinciali Synodo ab Othone Mediolani collecta anno MCCLXXXVII. (cujus acta primus edidit Muratorius (a)), duo in Humiliatos decreta ab Epiſcopis lata fuerunt (b); quorum altero, quod ſequente Diſſertatione proferemus, prohibebantur illi, ne ad populum verba facere, non impetrata Epiſcopi facultate, auderent; altero vero apertius Humiliatorum immunitas oppugnabatur his verbis: *Item ſtatuimus, quod Humiliati ſuo Diœceſano obediant, & quod dodias* (quid hæc vox ſignificet non intelligo: forte legendum *decimas*), *fodra & collectas una cum alio Clero ſolvant*. At Loderengus, qui ſuorum jura hac ratione violari arbitraretur, pro iiſdem ſtrenue ſtetit, atque Epiſcopis obſtitit, ne ulla in Humiliatos poteſtate uterentur. Res ad Nicolaum IV. Pontificem delata eſt, qui anno MCCLXXXVIII. IV. Non. Sept. literis ſuis ad Loderengum datis Humiliatos Epiſcoporum juri ſubduxit. Cl. Sormannus integras ſe has literas apud PP. Conventuales S. Franciſci hujus urbis vidiſſe ait (c). At humaniſſimis ejus Cœnobii Patribus literas eaſdem, me rogante, diligentiſſime conquirentibus numquam invenire licuit. Verum opportuniſſime illarum ad nos exemplar Florentiæ aſſervatum tranſmiſit Cl. Dominicus Maria Mannius cum aliis compluribus Humiliatorum monumentis, quibus labores hos noſtros Vir eruditiſſimus egregie adjuvit. Alias etiam Nicolai ejuſdem literas, datas hoc ipſo anno Reate quarto Idus Septemb., ſuo loco ex Ambroſianæ Biblio-

(a) Vol. VIII Script. Rer. Ital. col. 1053. & ſequ.

(b) Cap. XXV. & XXVI.

(c) Stor. degli Umil. pag. 101.

Digitized by Google

bliothecæ Codice in lucem edemus. Illis autem *dilecto filio titulo S. Mariæ in via lata Diacono Cardinali, ac Ven. fratribus Papienſi ac Vercellenſi Epiſcopis* mandat Nicolaus, ut Humiliatis adſint, quos ſe ab Epiſcoporum jure liberaſſe ait, atque, ut illi impetrato beneficio tranquille utantur, efficiant. Aliud porro certiſſimum hujuſce rei indicium habemus in Romanæ Eccleſiæ cenſuum libro, quem Cencius Camerarius conſcripſit anno MCCXCII., quemque deinde Muratorius edidit (a): Ibi enim hæc inter cetera habentur: *Anno Domini MCCLXXXVIII. quarto Nonas Septembris Pontificatus Domini Nicolai Papæ IV. anno primo, Ordo Humiliatorum per eumdem Dominum Papam exemptus, & factus eſt Cenſualis in duabus libris de auro fino ſolvendis Cameræ Sedis Apoſtolicæ annuatim prædicto die* (b).

IX. Totam hujus beneficii Humiliatis conceſſi gloriam Petro Petrogroſſo, ſeu Petrigroſſo, aut, ut alii malunt, Peregroſſo Cardinali ac Civi Mediolanenſi, Ciaconius tribuit (c): *Hic* (Peregroſſus) ait, *ſua induſtria, conſenſu Archiepiſcopi Mediolanenſis Othonis Vicecomitis & Suffraganeorum fratres Humiliatos ab Ordinariorum juriſdictione exemit, & Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjecit.* Ac ſane Petrus Humiliatis Protector fuerat hoc ipſo anno a Nicolao Pontifice datus, ut mox videbimus; quare veriſimillimum eſt, ſtrenuam illum operam hac in re Humiliatis ſuis præſtitiſſe. Enimvero hoc ipſum teſtari Corius videtur: *Coſtui* (Peregroſſus) *con ſua induſtria e poſſanza ſotto lo examine de lo Arciveſcovo de Milano & altri ſuoi Veſcovi fece exempti tutti li Frati del terzo Ordine delli humiliati; il perchè fu de neceſſitate, che tutti quegli abandonaſſino li myſterii Ambroſiani, e faceſſino li Romani, il che alla Comunità de Milano fu gran danno* (d). Quamvis enim tertium Humiliatorum

O 2 Ordinem

(a) Antiquit. Ital. Vol. V. col. 851. & ſequ.

(b) Ibid. col. 868. V. etiam Giulini Mem. di Mil. T. VIII. pag. 419.

(c) Vit. Pontif. T. II. col. 267. Edit. Rom. 1677.

(d) Hiſtor. di Milan. ad an. 1295.

Ordinem Corius memoret, erraſſe tamen in hoc videtur, quod tertium pro primo alteroque Ordine appellarit: nam tertium ab Epiſcoporum jure immunem fuiſſe nemo umquam arbitratus eſt. Quod vero de Ambroſianis ritibus, a quibus Humiliati tunc receſſerint, Corius refert, idipſum Calchus confirmat: *Curavit* (Petrus).... *Fraternitatem Humiliatorum, ritu Ambroſiano hactenus ſacra tractare ſolitam ad Romanam diſciplinam traduci* (*a*). Sed de hoc ſuperiore Diſſertatione ſermo fuit. Quod autem Ciaconius refert, Othone Mediolanenſi Archiepiſcopo conſentiente, Humiliatos id impetraſſe, difficile adducor, ut credam. Qui enim, ut ex Nicolai Pontificis ſuperius commemoratis literis conſtat, inter Præſules illos numeratus eſt, qui Humiliatis in hac cauſſa adverſarentur, non videtur certe patrocinio atque auctoritate ſua Humiliatos ad beneficii ejuſdem impetrationem adjuviſſe.

X. At novum hoc a Loderengo additum Humiliatis decus non cum exteris tantum hominibus controverſias, ſed domeſticas etiam turbas, eaſque graviſſimas, excitavit; quarum cognitionem non Chronicorum auctoribus, apud quos nullum hac de re verbum, ſed ipſis Petri Cardinalis Petrigroſſi literis debemus, quarum autographum in noſtra hac Bibliotheca aſſervatur. Atque ex iis quidem non conſtat, quænam cauſſa Humiliatos illos impulerit, ut audacter in Loderengum inſurgerent: ſed cum eo ipſo tempore, quo maxime de Epiſcoporum in Humiliatos jure controverſia agitabatur, has turbas concitatas fuiſſe animadvertimus (Petri enim literæ datæ ſunt 5. *menſis Julii an.* 1288., duos circiter ante Nicolai literas menſes), iiſque in urbibus Humiliatos Loderengo rebelles exſtitiſſe, quarum Epiſcopis præcipua erat cum Loderengo ipſo contentio, Mediolani ſcilicet ac Novocomi, vix fieri videtur potuiſſe, quin tumultuum auctores ex hac ipſa re turbarum occaſionem arripuerint. Nec mirum eſt inter Humilia-

tos

(*a*) Hiſtor. Patr. ad eumdem an.

Digitized by Google

tos eoſdem exſtitiſſe, qui pro Epiſcopis ſtarent, atque eorum potius quam ſolius Romani Pontificis imperiis parere optarent. Verum quæcumque illos cauſſa commoverit, graves ſane fuiſſe ab iiſdem excitatos tumultus, Petri literæ nos docent: ſic enim loquitur: *Quidam dicti ordinis fratres, quod non ſine mentis turbatione referimus, religionis quidem geſtantes habitum, ſed a religionis actibus diſcrepantes, in eodem ordine pacis emulo inſtigante, ſeditiones multiplices excitarunt; & aſſumpto rebellionis ſpiritu contra Magiſtrum ejuſdem ordinis & ſuos prelatos ſe in ſuperbiam erexerunt, ac horrendis ab eis nimium exceſſibus perpetratis plurima in predicto Ordine ſcandala ſuſcitarunt in ſuarum animarum periculum & ipſius ordinis detrimentum*. Turbarum præcipui auctores in iiſdem literis nominantur, ſcilicet *Jambellus de Garbagnate*, *Creſinus de Dexio*, *Accurſius de Vergano domus. de Braida Mediolani; Bertramus & Accurſius domus de Vico Cumarum*, ideſt Novocomi. Petrus igitur Cardinalis, quem ſuperius meminimus, cum illi, ut ex ejuſdem literis patet, Humiliatorum cura a Nicolao demandata fuiſſet, re intellecta, Joanni de Scantio Canonico Bergomenſi, qui deinde ejuſdem urbis Epiſcopus fuit, ac Bertramino de Brolio Clerico S. Salvatoris Bergomenſis literas dedit, quibus poſt rebellium Humiliatorum exceſſus graviſſimis verbis exaggeratos, clementia ſe nihilominus in eoſdem uſurum profeſſus, in diverſas ſingulos urbes diverſaſque Humiliatorum domos deduci jubet, nempe *Jambellum Veronam ad domum de Glarea*, *Creſinum Bononiam ad domum S. Jacobi de Savina*, *Accurſium de Vergano Placentiam ad domum de Argine*, *Bertramum Alexandriam ad domum de Quargnento*, *Accurſium alium Brixiam ad domum de medio*. Quod ſi parere abnuant, publico illos anathemati ſubjici jubet. Quis horum tumultuum exitus fuerit, ignoramus; neque enim monumentum aliud occurrit, quo eorumdem mentio renovetur. Crediderim tamen rebellibus hac illac diſſipatis, redditam fuiſſe veterem Humiliatis pacem, ac Loderengum tranquille dignitate impoſterum, atque auctoritate ſua uſum fuiſſe.

XI.

XI. Parum tamen ſedatis tumultibus Loderengus ſuperfuit. Illum enim aut anno MCCLXXXIX. exeunte, aut ineunte anno MCCXC. obiiſſe hinc colligimus, quod, qui illi ſuffectus eſt, ſexto Nonas Martias an. MCCXC. renunciatus fuiſſe in Braidenſi Chronico dicitur. Brignanus is fuit, qui tunc Mediolanenſi domui de Ottaciis appellatæ præerat; duaſque olim Alexandriæ Humiliatorum domos rexerat, alteram S. Michaelis, alteram S. Joannis de Capucio nuncupatam. Huic Generalis Magiſtri dignitatem *in Capitulo Generali celebrato ad Grantiam Montis Luparii fratrum Braidæ* collatam fuiſſe, teſtatur ejuſdem Chronici auctor. *Grantiam* porro, ſeu potius *Grangiam* idem eſſe ac villam, ſeu prædium ruſticum omnes norunt (*a*). Mons autem Luparius locus eſt haud longe ab urbe extra Portam, quam Tonſam vocant, poſitus, vulgo *Monlovè*. Amplum ibi fuiſſe Braidenſium Humiliatorum non prædium tantum, ſed etiam domicilium ex ipſo Chronici auctore diſcimus. Cum enim jacta Eccleſiæ de Marliano, de qua alibi ſermo erit, fundamenta commemorat, quod anno MCCLXXV. contigit, ait id fuiſſe *poſt ædificationem Eccleſiæ de monte lupario fratrum Breræ annis octo*. Ibi itaque jam ab anno MCCLXVII. Humiliatorum Braidenſium templum, ac proinde etiam ſatis ampla, ut videtur, domus exſtabat; ibique anno MCCXC. collecti, forte ut urbanos tumultus effugerent, novum ſibi ipſi Magiſtrum Brignanum præfecerunt. Montis Luparii Eccleſia, atque ipſa Humiliatorum domus adhuc ſupereſt, Parochialibus uſibus addicta. Duos tantum annos Humiliatis hunc præfuiſſe alterius Chronici auctor teſtatur; ſed antiquioris potius Chronici auctoritatem ſequar, quo diligentius plerumque res deſcribuntur. Illius porro auctor quattuor annos Magiſtro huic attribuit. Utinam aliquid de geſtis ejuſdem rebus Humiliati Scriptores literis prodidiſſent. Sed ita fit plerumque, ut nudum Magiſtrorum ſuorum nomen, tem-

pusque

(*a*) V. du Cange ad vocem *Grangia*.

ruſque adminiſtrationis recitent illi; nobiſque hunc laborem relinquant, ut ex diſperſis hac illac monumentis ea colligamus, quibus eorumdem hiſtoria quoquomodo illuſtretur. Sed nec monumenta ulla ſuppetunt, ex quibus, ſi quid ille geſſerit, conſtet. Itaque ad illius ſucceſſorem progredimur, qui narrationem paullo ampliorem ſibi vindicat.

XII. Guidottus itaque, quondam Bergomenſis domus de Galgario appellatæ, tum vero Vicoboldonenſis domus Præpoſitus, Brignano e vivis erepto, ſucceſſor datus anno MCCXCIV. Qua ille ex familia fuerit egregio monumento docemur, quod in Tabulario PP. Clericorum Regularium S. Paulli ad S. Barnabæ in hac urbe aſſervatum nobiſcum communicavit, ſuo loco edendum, humaniſſimus atque eruditiſſimus P. D. Angelus Cortenovis ejuſdem Ordinis, nunc Utinenſis domus Præpoſitus, cujus egregia in noſtris hiſce laboribus adjuvandis opera, ſæpiſſime nobis erit, ac maximà ſemper cum laude commemoranda. Pertinet illud ad an. MCCXCVIII. 2. Maji; ibique inter ceteros nominatur *Dominus frater Guidottus riboldus, qui venerabilis patris domini magiſtri totius ordinis humiliatorum auctoritate, qua fungitur a ſummo Pontifice . . . confirmat &c.* Quantam vero integri prudentiſque viri famam obtineret, ſatis illud indicat, quod, cum Galgarii Præpoſitus eſſet, graviſſimæ inter Epiſcopum & Canonicos Bergomenſes controverſiæ definiendæ arbiter electus eſt, illamque feliciſſimo exitu compoſuit (a). XIV. annos Humiliatis Guidottus præfuit, quo tempore turbatum aliqnid Humiliati S. Joannis de Capucio Alexandriæ in illum concitarunt, ut ex Benedicti XI. literis cognoſcimus ad Magiſtrum, Præpoſitoſque ceteros ac Prelatos ex Ordine Humiliatorum datis IV. Id. Februar. MCCCIV., quæ in Bibliotheca noſtra aſſervantur. Domus enim illius Humiliati, aut ejuſdem domus antiquitate, aut quocumque alio jure innixi, *non ſolum*

(a) Ughell. Ital. Sacr. T. IV. in Epiſc. Bergom. col. 476. Edit. 1719.

ſolum Magiſtros ac Viſitatores in Capitulo generali electos ad viſitandum ſe recuſabant *admittere, verum domos aliquas dicti Ordinis, quarum ſe* aſſerebant *fundatores, viſitare ac corrigere, ac eos qui in ipſarum domorum prepoſitos* eligebantur, *approbare debere* contendebant. Simile quiddam ipſis Beltrami temporibus eveniſſe arbitror. Exſtant enim in Ambroſianæ Bibliothecæ Codice Innocentii IV. literæ, quibus conqueritur, domos Humiliatorum nonnullas Magiſtri ſui imperium detrectare, eaſque jubet ejuſdem præceptis parere. At majores, Guidotto Magiſtro, turbæ excitatæ ſunt; magnas enim piorum hominum offenſiones exortas eſſe, ſuis literis Pontifex dolet ſimulque gravibus verbis rebellium audaciam caſtigat, eoſque jubet Generali Magiſtro impoſterum obtemperare.

XIII. At Guidottus provincia ſua per XIV. annos adminiſtrata, anno MCCCVIII., qua cauſſa impulſus ignoro, *renuntiavit*, ait antiquioris Chronici auctor, *in Capitulo Generali celebrato Cremonæ*. Huic inſequente anno, ut auctor idem teſtatur, Beltramus alter Vicoboldonenſis domus præpoſitus ſuffectus eſt; qui antea etiam Modoetienſi S. Petri domui præfuerat. In charta permutationis, ut ajunt, cujuſdam, quæ in noſtri hujus Collegii tabulario aſſervatur, anno MCCCX. 17. Decemb. conſcripta, Bertramus hic *de Colzano* vocatur; eodemque modo illum Arnoldus Wionius appellat (*a*). Joſeph Breſſianus Cremonenſis in MSS. ſuis apud Ariſium (*b*), Beltramum ex Burga familia fuiſſe, ac patria Cremonenſem aſſerit. Contra Lazarus Auguſtinus Cotta (*c*) ex Burga quidem familia Beltramum fuiſſe ſtatuit, ſed patriam illi Gaudianum oppidum, vulgo *Gozzano*, in Novarienſi provincia fuiſſe contendit. At neuter opinionem ſuam monumentis confirmare aggreditur. Certe nullum mihi hactenus monumen-

(*a*) Lignum Vitæ Lib. I. Cap. LX.
(*b*) Cremon Litter. T. 1. pag. 202.
(*c*) Muſeo Novareſe pag. 107.

numentum occurrit, quo Beltramus hic noſter Burgus vocetur. Ad patriam vero, quod attinet, nominis forte ſimilitudo effecit, ut Cotta cum Beltramum de Colzano audiret, illum Gaudiani, quod vulgo, ut diximus, *Gozzano* dicitur, ortum crederet, eo magis, quod, ut Cl. Novarienſis Canonicus Jo. Baptiſta Bartolus, nobis ſæpe cum laude memorandus, ſuis ad nos literis teſtatus eſt, frequens in Gaudianenſium Canonicorum tabulario Burgæ familiæ nomen incidit; ac præterea ſæpe in veteribus monumentis oppidum illud non ſolum Gaudianum, ſed Gozzanum, & Colzanum etiam vocatur. Itaque Cottæ potius quam Breſſiano aſſentior: nullum enim in Cremonenſi agro oppidum eſt, cui *Colzano* nomen ſit; ſed ſolum *Olzano;* quæ forte cauſſa fuit, cur Breſſianus Beltramum Cremonenſem diceret. Hæc de Beltrami nomine ac patria. At de ejuſdem rebus geſtis ſilent omnino Chronicorum auctores; & maximas, quibus vexatus eſt, turbas ignoraremus omnino, niſi ex egregio monumento in Papienſi S. Thomæ Cœnobio Ord. Prædicatorum ſervato nobis innotuiſſent, cujus humaniſſimus ac Oratoria non minus quam Poetica arte clariſſimus P. Pius Franciſcus Lucca ejuſdem Ord. copiam nobis fecit. Joannis ſcilicet XXII. literæ illo continentur, X. Kal. Mart. anno MCCCXXI. datæ, quibus Matthæum Vicecomitem Mediolani Dominum (quem jam ab anno MCCCXI. anathemate damnarat Caſſonus Turrianus Mediolan. Archiep., ut hiſtorici Mediolanenſes omnes, ac poſt illos Cl. Saxius (*a*) narrant) eadem anathematis pœna mulctat, præſertim ob excitatas in Humiliatos eorumque Magiſtrum Beltramum turbas. Rerum omnium geſtarum ſeriem narrat Pontifex ipſe: *Collectam triginta millium librarum tertiolorum Ordini Fratrum Humiliatorum Civitatis & diſtrictus prædictorum* (Mediolan.) *duxit* (Matthæus) *pro ſuo libito imponendam; ipſamque per Officiales ſuos violenter extorſit ab eis, mittendo*

P

(*a*) Series Archiep. T. II. pag. 771.

do ſtipendiarios ſuos per domos ipſorum Fratrum ad comedendum & devaſtandum bona eorum, ex eo quod dictam pecuniam non ſolvebant; ac cepit & carceri mancipavit Religioſum virum Fratrem Beltrammum, tunc Generalem Magiſtrum Ordinis prælibati, ex eo quod conſentire nolebat, quod hujuſmodi collecta dicto Matthæo per Fratres ſui Ordinis ſolveretur; nec iis contentus, ſed extendens amplius hujuſmodi poteſtatis abuſum, Galvaneum de Melengiano (forte de Melegniano) Fratrem dicti Ordinis, qui in impoſitione & extorſione dictæ collectæ favebat & aſſentiebat eidem, per impreſſionem fecit eligi & intrudi in Magiſtrum Ordinis memorati; ac Petrum de Vigolono fratrem dicti Ordinis, & Petrum de Lamerla tunc Prælatum domus Sanctæ Agathæ Mediolanenſis ejuſdem Ordinis capi fecit, & diriſſime tormentari, ac etiam Albertinum de Cantarellis ejuſdem Ordinis fratrem ſimiliter capi faciens, ipſum fecit tribus diebus juxta equuleum in carcere detineri. Domum etiam omnium Sanctorum dicti Ordinis Laudenſis Diœceſis per Gentes ſuas fecit funditus demoliri, ac Oliverium Fratrem domus Sancti Joannis de Alexandria Presbiterum dicti Ordinis per Marcum filium ſuum capi ac duci fecit violenter ad Palatium Communis Alexandriæ, & diris quæſtionibus tormentari; idemque Oliverius ſemivivus relictus ad Civitatem Papienſem in quadam navicula fuit delatus. Jacobum etiam de Alliate fratrem Ordinis ſæpe dicti per impreſſionem procuravit & fecit eligi & intrudi in Magiſtrum dicti Ordinis Generalem. Hæc ſcilicet paſſus eſt Beltramus, dum Humiliatis præeſſet. Videmus tamen Galvaneum illum a Matthæo ad Humiliatos regendos evectum, agnitum ab illis non fuiſſe, neque enim ejus nomen in ſerie Magiſtrorum legitur. Et Jacobus, qui pariter eadem ratione dignitatem eamdem eſt aſſequutus, videtur a Jacobo illo diſtinguendus, quem Humiliatorum Magiſtrum mox commemorabimus. Hic enim Jacobus de Lomeno, ſeu de Lemine dicitur, ille autem Jacobus de Alliate. Quod vero ad Conſtitutiones pertinet a Beltramo collectas, cum longiorem inveſtigationem hæc quæſtio requirat, tunc illam ingrediemur, cum Conſtitutiones ipſas tertio Volumine edemus.

XIV.

XIV. Ad annum uſque MCCCXVII. Humiliatis præfuit Beltramus de Colzano; cui deinde ſucceſſit Jacobus, de quo hæc antiquioris Chronici auctor: *Sextus* (Magiſter Generalis) *frater Jacobus de Lomeno (ubi Præpoſitus fuit non reperio)*. Itaque qui antea dolebamus, pauca nobis fuiſſe, quæ de Beltramo diceremus, de Jacobo ſilere omnino cogimur, cujus non modo res geſtas, ſed familiam etiam ignoramus, domumque Humiliatorum, cui antea præfuerit. Quod autem *de Lomeno* ſcribit Chronici auctor, *de Lemine* legendum eſſe arbitror, quo nomine Jacobi patria deſignetur. Ita enim Bergomenſis diœceſis pagus olim vocabatur, ut alibi videbimus, vulgo *Almenno*. Quatuor circiter annos Humiliatis præfuit Jacobus; anno enim MCCCXXI. Benedictus de Alzate ſucceſſor illi datur eſt. Suſpicor tamen illum non morte præreptum eo anno fuiſſe, ſed dignitatem abdicaſſe. Videntur enim Humiliati, quo tempore Jacobus Magiſter juſſus eſt, in ſuis comitiis edixiſſe, ut Magiſter impoſterum triennio exacto dignitate ſua excederet, niſi in eadem iterum confirmaretur. Id ex Conſtitutionibus diſcimus, quæ in generali Humiliatorum conventu habito Modoetiæ anno MCCCXXI., cum ſcilicet Jacobo Benedictus ſuffectus eſt, editæ ſunt. In iis enim hæc habentur: *Definierunt & ſtatuerunt, quod omnes Conſtitutiones, quæ ſunt in corpore Conſtitutionum (dempta illa, qua cavetur, quod Dominus Magiſter tenetur per Sacramentum de triennio in triennium reſignare, quam irritant prorſus at totaliter annullant) ſint probatæ & confirmatæ*. Decreti hujus, quod hic commemorari videmus, fruſtra indicium aliquod in antiquioribus Humiliatorum monumentis requiras; nec ullum Magiſtrum umquam aut triennio exacto ſua ſe dignitate exuiſſe, aut iterum in eadem confirmatum vidimus. Arbitror itaque id tunc ſancitum fuiſſe, cum Jacobus renunciatus eſt; ut hic triennio exacto (potuit enim anno MCCCXVII. exeunte dignitatem inire, atque anno MCCCXXI. ineunte eadem excedere) Magiſtratu ſe abdicare coactus fuerit; nec is fuerit Humilia-

torum in eumdem animus, ut honorem hunc iterato illi defer. rent.

XV. Quacumque tandem ratione ſe res habuerit, anno MCCCXXI. Benedictus de Alzate, domus Miraſolis Præpoſitus, Generalis Humiliatorum Magiſter renunciatus eſt. Hunc Argelatus (a) ex nobiliſſima Mediolanenſi Alciatorum familia genitum ſtatuit; ſed optandum fuiſſet, ut auctoritate aliqua opinionem ſuam muniret. Nominis certe ſimilitudo non facit, ut ex eadem familia genitos eos arbitremur omnes, in quibus illa deprehenditur. Benedicti vero pater quis fuerit, ex charta an. MCCCX. die 17. Decembris conſcripta colligimus, quæ in noſtri hujus Collegii tabulario aſſervatur, ubi inter ceteros nominatur: *dominus frater benedictus de Alzate prepoſitus domus humiliatorum de miraſole filius quondam domini Johannis*. Nihil de hujus quoque rebus geſtis accepimus. Illud unice ex vetuſtioris Chronici auctore diſcimus, uſque ad annum MCCCXXXVI. Humiliatis illum præfuiſſe. In memorato autem Ottaciorum domus Necrologio illius obitus dies ſic annotatur: 3. *Cal. Feb. Obiit Fr. Benedictus Magiſter Ordinis*.

XVI. Jamvero ad Guillelmum Fabam progredimur, de quo plura tum ex ejuſdem Chronici auctore, tum ex aliis monumentis proferemus. Benedicto Humiliatorum Magiſtro adhuc vivente, Joannes XXII. P. M. edixerat, ut illo obeunte, ſucceſſoris electio ad Sedem Apoſtolicam pertineret. Atque ipſas quidem Joannis literas non habemus; ſed hoc Benedictus XII. iis, quas mox innuemus, literis teſtatur. At Joanne primum anno MCCCXXXIV., tum Benedicto Humiliatorum Magiſtro anno MCCCXXXVI. e vivis erepto, Humiliati, aut Pontificii decreti immemores, quod tamen difficile fieri potuiſſe reor, aut Legiſlatore ſublato lege ſe amplius non teneri rati, aut denique Benedictum XII., qui Joanni ſucceſſerat, Avenione degentem, non multum

(a) Biblioth. Script. Mediol. T. I. P. II. col. 18.

multum de prædeceſſoris ſui legibus, deque iis, quæ in Italia fierent, ſollicitum fore arbitrati, Guillelmum Fabam, ſeu Villam (utroque enim nomine in veteribus monumentis ille appellatur, ſed plerumque Faba), Vicoboldonenſis domus Præpoſitum, Magiſtrum juſſere. Nec oblatam ille dignitatem abnuit. Deinceps tamen aut de Pontificio edicto commonitus, aut Pontificis iram metuens, *ad Apoſtolicam ſedem*, inquit Benedictus XII. in literis ſuis, de quibus mox ſermo erit, *devote ſe contulit, & juri, ſi quod habebat, in noſtris manibus ſponte ceſſit, noſque hujuſmodi ſuam recepimus ceſſionem*. Quibus verbis, an ſe Guillelmus ipſe Avenionem contulerit, ubi Pontifex morabatur, an per literas potius nuntioſve egerit, non ſatis explicatur. Pontifex itaque his auditis ad Rondenarienſem & Vicoboldonenſem ipſum Præpoſitos, atque ad Mediolanenſem Braidæ, & Brixienſem S. Mariæ Magdalenæ Prælatos literas ſuas Idibus Jul. an. MCCCXXXVIII. dedit, quibus, quæcumque in hac cauſſa contigerant, narrans, Humiliatos generalem Alexandriæ Conventum cogere jubet, ac Magiſtrum ſuum ex antiqua eorum conſuetudine renunciare; hoc ſe in illos beneficium conferre addens, *ut reſervatione prædicta & quacumque alia non obſtante* ſuum ipſi ſibi Magiſtrum hac vice præficerent. Humiliati Pontificis juſſa faciunt. Alexandriæ ad comitia collecti Jacobum Bergomenſis domus Præpoſitum, quæ de Galgario dicebatur, Magiſtrum jubent. Hæc omnia ex Chronico ipſo, & ex Benedicti literis, quas ſuo loco ex Ambroſianæ Bibliothecæ Codice proferemus, conſtant. Donatus Calvius Auguſtinianus Inſubricæ Congregationis Jacobum hunc ex Calviorum familia fuiſſe ait, eumque III. Kal. Jun. hujus anni dignitatem hanc iniiſſe (*a*), ac teſtem profert Arnoldum Wionium, additque Gandini illum Præpoſitum fuiſſe, quod per typorum errorem pro *Galgarii* forte irrepſit. At Wionius nec electionis diem, nec Jacobi familiam com-

(*a*) Effemeride Sacro-profana T. II. pag. 240.

commemorat; &, ad diem quod attinet, erraſſe Calvium ex Benedicti literis patet, quæ cum Idibus Jul. datæ ſint, ut vidimus, non potuit certe Majo exeunte Jacobus Magiſter dici. Calvii vero nomen numquam Jacobo huic tributum inveni. At in præclaro, quod mox commemorabimus, monumento Jacobus de Lemine ille appellatur; qui tamen a Jacobo illo de Lomeno, de quo ſuperius diximus, diſtinguendus omnino eſt. Etenim chartæ an. MCCCXLVI. VIII. Decemb. ſuo loco edendæ, hæc a tergo apponuntur: *Fr. Jacobus X. Generalis MCCCXXXVIII., ut comprehendo in bulla Benedicti Pape XII. Secundus frater Jacobus eſt.*

XVII. Miror autem, apud Chronicorum auctores nihil de graviſſimis diſſenſionibus, quæ inter Jacobum & Guillelmum Fabam exarſere, ne innui quidem. Ac ſane rem maximi in Humiliatorum hiſtoria momenti ignoraremus omnino, niſi egregii documenti, quod in Tabulario Bergomenſis Cathedralis ſervatur copiam nobis feciſſet eidem Tabulario Præfectus, & Bergomenſis Eccleſiæ Canonicus ac Primicerius Marius Lupus, cujus eximia eruditio, atque humaniſſime collatus in noſtrum hoc opus labor erit nobis ſæpius celebrandus. Ex hoc itaque rei totius narrationem ducemus. Tertium jam annum Humiliatis præerat Jacobus, ac Bergomi, ut videtur, per id tempus degebat; cum Guillelmus de Cazzago Vicoboldoni domus profeſſus ineunte Novembri anno MCCCXLI. ad Fredericum de Garganis, Bergomenſis Capituli Vicarium (Cypriano enim Epiſcopo paullo ante e vivis erepto nondum fuerat ſucceſſor ullus datus) acceſſit, ac Guillelmi Fabæ Præpoſiti ſui nomine Jacobum Magiſtrum maximorum criminum reum fecit. Graviter fero accuſationis ipſius acta intercidiſſe, ex quibus forte etiam conſtaret, quænam cauſſa Fabam impulerit, ut Magiſtro ſuo dedecus hujuſmodi inferret. Suſpicor tamen Fabam, cum coacto Alexandriæ conventu de nova Magiſtri electione actum eſt, ſe iterum ad eamdem dignitatem evectum iri certo ſperaſſe, quam antea Humiliati eidem ſponte detuliſſent;
ſed

Digitized by Google

ſed ſpe ſua fruſtratum, Jacobi electionem ægerrime tuliſſe; atque hinc invidiam in illum mutuaſque diſſenſiones exortas: quam ſuſpicionem ea etiam confirmant, quæ mox videbimus: Fabam ſcilicet anathematis vinculo fuiſſe ante hoc tempus obſtrictum, quod imperatam ſingulis Humiliatorum domibus de more pecuniam Jacobo ſolvere abnuerat. Præterea cum Guillelmus Ordini præeſſet, Humiliatis nonnullis perſuaſerat, aut eoſdem potius vi coegerat, ut ſacramento ſe adſtringerent, numquam ſe impoſterum permiſſuros, ut Prælatus aut Præpoſitus domui ſuæ ultra biennium præeſſet, aut iterum biennio exacto ad eamdem dignitatem eveheretur. Qua in re, quam violentum atque impotentem ſe Guillelmus præbuerit, & qua ratione in hujuſmodi jurejurando extorquendo potius quam perſuadendo uſus ſit, ex monumento conſtabit, quod Cl. Dominicus Maria Mannius ad nos tranſmiſit. Longius porro illud eſt, quam ut hoc loco inſeri poſſit. Quare in monumentorum ſerie edetur. At Jacobus hoc ipſo anno Humiliatorum conventu Bergomi coacto ſacramenta ejuſmodi, ut *diſpendioſa*, *temeraria*, *atque exemplo pernicioſa* irrita juſſerat; ut ex iiſdem Conſtitutionibus patet. Quæ omnia Fabæ odium in Jacobum concitaſſe, veriſimile eſt. At quænam Jacobo crimina Faba tribuerit, ex provocationis a Jacobo ipſo interjectæ actis, quæ ſuo loco edemus, colligimus; ſcilicet quod *Reverendus vir D. Frater Jacobus de Lemine Generalis Magiſter Ord. Humiliatorum uſus fuerat in domo communi civitatis Pergami domus Humiliatorum dicti ordinis litteris Apoſtolicis falſis, & ſuſpectis in pluribus locis, & quod etiam idem Magiſter erat ſuſpectus de hereſi propter certa verba prolata, ut dicitur, in civitate Novarie in domo Humiliatorum S. Crucis*. Hæc itaque ad Fredericum Bergomenſem Vicarium Guillelmus de Cazzago Guillelmi Fabæ nomine detulit. Quibus auditis Fredericus Jacobum in jus accivit, atque hujuſmodi accuſationem, ſi qua poſſet, juſſit depellere. At Jacobus non tam accuſationem refellendam, quam Bergomenſis Vicarii judicium rejicien-

rejiciendum ratus eſt. Itaque die III. Novembris Jacobus quidam *Syndicus & Procurator* non Jacobi Magiſtri tantum, ſed totius Humiliatorum Ordinis nomine, ad Fredericum Vicarium, teſtibus adhibitis, acceſſit *ſuper clauſtro Eccleſiæ S. Vincentii*, gravibuſque verbis, ac minus certe reverenter, quam eum deceret, qui virum dignitate ſpectandum alloqueretur, conqueſtus eſt, accuſationem ab illo receptam fuiſſe, diemque Jacobo Magiſtro dictam: Humiliatos ab Epiſcoporum jure immunes eſſe: utrumque præterea Guillelmum non eum eſſe, qui ſit in judicio audiendus; illum enim, qui ad Fredericum acceſſerat *turpem* eſſe *abjectamque perſonam*, anathematis vinculo obſtrictam, & odio in Jacobum impulſam. Fabam vero ipſum anathemate percuſſum in generali Bergomenſi conventu, quod tributa domui Vicolbodonenſi imperata ſolvere abnuiſſet; eumque præterea Ordinis ſui excidium legum violatione moliri. Quin etiam eo Jacobus Syndicus proceſſit, ut cum graviſſimam Jacobo Magiſtro, atque univerſo Humiliatorum Ordini illatam a Frederico injuriam accuſatione illa recepta contenderet, *florenos quinque millia* ab eodem Vicario mulctæ loco repetendos curaturum ſe apud Apoſtolicam ſedem dixerit, ad quam illum evocavit, totiuſque cauſſæ provocationem interpoſuit. Fredericus his auditis poſt ſex dies elapſos ſe reſponſa facturum dixit. Itaque die IX. Novembris, teſtibus iterum adhibitis, ad Fredericum rediit Guillelmus, ſed Fredericus maturius de re deliberaturus reſponſum diſtulit; donec III. Decembris ejuſdem anni hoc Fredericus reſponſum dedit, numquam ſibi in animo fuiſſe, aut Humiliatis, aut eorum Magiſtro injuriam inferre; quod vero ad provocationem pertinebat, quamvis levibus injuſtiſque de cauſſis interpoſita vix ipſum provocationis nomen mereretur, ſe tamen ſedis Apoſtolicæ reverentia adductum, totam hanc cauſſam Pontificis arbitrio permittere.

XVIII. An vero cauſſa ad Pontificem delata re ipſa fuerit, quid ille ſtatuerit, quis fuerit totius controverſiæ exitus, omni-

no.

Digitized by Google

no ignoramus. Jacobus certe dignitatem ſuam retinuit; quod argumento eſt, criminationem omnem feliciter ab eo depulſam fuiſſe; vix enim credibile videtur, ſiquidem ejuſmodi criminum reus fuiſſet Jacobus, Pontificem, atque Humiliatos Magiſtrum hunc tamdiu paſſuros fuiſſe. Ad Fabam vero quod attinet, parum abſuit, ut qui Ordinis Magiſterio ſe abdicare coactus fuerat, quique tantas in Jacobum turbas excitarat, non multo poſt Laudenſis Epiſcopus initiaretur. Rem hanc Laudenſibus hiſtoricis hactenus ignotam ex Waddingo cognovimus (a), qui Clementis VI. literas profert, quibus tota facti ſeries explicatur. Leone Palatino Laudenſi Epiſcopo anno MCCCXLIII. die XVI. Martii e vivis erepto, Laudenſes Canonici Guillelmum Fabam Epiſcopum dixerunt, ſuamque electionem a Guillelmo Cardin. Legato confirmandam curarunt. At Clemens VI., qui non Epiſcopatus modo, ſed quæcumque conferenda eſſent in Mediolanenſi Provincia Sacerdotia, eorum ſibi collationem vindicaverat, re intellecta, datis ad Guillelmum Legatum literis VIII. Id. Jul. ejuſdem anni, Fabæ electionem irritam juſſit, ac Lucam de Caſtello Laudenſi Eccleſiæ præfecit. In ipſis quidem Clementis literis Fabæ nomen non legimus; ſed his tantum vocibus ille deſignatur: *Guillelmum Præpoſitum domus de Vicoboldono Ordinis Humiliatorum*. Sed Fabam ipſum hunc eſſe vetuſtioris Chronici auctor nos docet, cum ait illum nonniſi anno MCCCLXV. obiiſſe; ac præterea multo adhuc poſt annum MCCCXLIII. Vicoboldonenſi domui illum præfuiſſe mox videbimus. Atque ille forte, cum ægre ferret eo Magiſtro inter Humiliatos vivere, cui bellum indixiſſet, Laudenſem Epiſcopatum ſibi conferendum curaverat. Sed hoc ſcilicet Fabæ fatum fuiſſe videtur, ut oblatas dignitates aut aſſequi non poſſet, aut aſſequutus eaſdem exuere cogeretur. Supereſt adhuc hujus viri memoria in Vicoboldonenſi S. Petri templo, quod nunc ad

(a) Annal. Minor. T. VII. pag. 525.

PP. Montis Oliveti pertinet. Lapis enim in Eccleſiæ fronte exſtat his verbis inſculptus:

MCCCXLVIII. HOC OPUS
FACTUM FUIT TEMPORE
DÑI. FRIS. GUILLI. DE UIL.
LA PROFESSI ET P̄POSITI
HUIUS DOMUS DECCrE
TORUM DOCCTORIS. . . . . .

ex quo colligimus eam, quæ adhuc ſupereſt, Eccleſiam, Fabæ hujus noſtri, (illum enim etiam Villam dictum fuiſſe animadvertimus), opera exſtructam fuiſſe.

XIX. At Jacobus de Lemine ad annum uſque MCCCL. aut ſaltem ad MCCCXLIX. Humiliatis præfuiſſe videtur; anno enim MCCCL. ſucceſſorem illi datum Chronici Braidenſis auctor tradit. Duos poſt Jacobum Humiliatorum Magiſtros recenſent Chronicorum auctores; ſed quorum vix aliud quam nudum nomen cognoſcimus, quique etiam breviſſimo tempore Ordinem adminiſtrarunt. Primus Guillelmus de Corbetta fuit, antea Braidenſis domus, ut ex Aicardi Archiepiſcopi Mediolanenſis literis 24. Auguſt. MCCCXXXV. ad eum datis cognoſcimus, tunc vero Domus Novæ Mediolanenſis, ſeu S. Joannis Evangeliſtæ, non Canonicæ, ut Wionius ſcribit, Prælatus. Ac primus hic eſt, quem ex alterius Humiliatorum Ordinis Prælatis ad Magiſtri dignitatem evectum conſpicimus. Poſt tres circiter annos, Guillelmo an. MCCCLII. exeunte e vivis erepto, Ubertus domus Miraſolis Præpoſitus anno inſequente ſuffectus eſt. Ex nobiliſſima familia de Regibus ortus erat Ubertus, & Papienſi domui de Cellanova præfuerat, ut ex monumento Differt. VII. P. II. num. III. proferendo conſtabit. At brevior adhuc hujus adminiſtratio fuit; anno enim MCCCLV. e vita exceſſit. At illius ſucceſſor plura nobis ſuppeditabit; Tiberius, inquam, Parmenſis, quem Beatis ſuis Humiliati adſcripſerunt. Atque inſtitutus quidem ordo poſtularet, ut quæ de illo acce-

accepimus, in illam Diſſertationem rejiceremus, quæ erit de Humiliatis vitæ ſanctitate illuſtribus. Sed cum ea fere omnia ad Ordinis adminiſtrationem pertineant, opportunius viſum eſt eadem hoc loco proferre.

XX. Parma Tiberio patria fuit, qui idcirco *de Parma* appellatur, qua etiam de cauſſa Ranuccius Picus inter Parmenſes ſanctitate illuſtres illum recenſuit (*a*). Quare Bergomenſem illum fuiſſe, quod Galgarii Præpoſitus fuerit, parum probabiliter ſuſpicatur P. Jo. Bartholomæus a S. Claudia Auguſtinianus Excalceatus (*b*). Enimvero Parmæ Tiberius Humiliatis adſcriptus eſt, quamvis deinde ad Bergomenſem Galgarii domum tranſierit; cujus rei documentum habemus in Decretis Generalis Humiliatorum Conventus Novocomi in Rondenarienſi domo habiti anno MCCCXLIII.; inter quæ hoc exſtat: *Item ratificamus, approbamus, & confirmamus tranſitum per Fratrem Tiberium de Parma de profeſſione domus Parmenſis ad profeſſionem factam in Conventu de Galgari de Pergamo*. Hic itaque anno MCCCLV. Humiliatorum Generalis Magiſter eſt renunciatus. Atque egregium ille ſane addidit Humiliatis ſuis decus, eorumdem domicilio tum Venetiis, tum etiam Patavii ſtatuto, qua de re alibi ſermo erit. Parmenſem etiam S. Michaelis domum, aliamque Brixienſem a Tiberio conditam, Picus, quem ſupra meminimus, refert. At Parmenſem domum jam ab anno MCCXLVI. exſtitiſſe, Brixiæ vero nullam fuiſſe poſt annum MCCCXLIV. exſtructam Humiliatis domum, ſuo loco videbimus. Fateor tamen Humiliatos Scriptores, quamvis Tiberium Beati nomine ornarint, ejuſdem res geſtas nonnullas fortaſſe aliquanto liberius reprehendere. Illud in primis antiquioris Chronici auctor in Tiberio damnat, quod Prælatorum alterius Ordinis eligendorum rationem immutari permiſerit. Sed

 de

(*a*) Appendice de' Parmigiani di buona vita ec.
(*b*) Luſtri Storiali degli Agoſtin. Scalzi pag. 554.

de hoc ſatis tertia Diſſertatione diſputatum eſt. At dubitare non poſſumus, quin Tiberius plurimis, dum inter vivos eſſet, virtutibus præfulſerit, ita ut, ſi qua forte in re erraverit, decipi quidem illum potuiſſe credamus; ſed revera illa ſolum ſecutum eum fuiſſe arbitremur, quæ ad felicem Ordinis exitum pertinere exiſtimaret. XVI. annos Humiliatis Tiberius præfuit, atque anno MCCCLXXI. XXI. Januar. Venetiis obiit. Ejus corpus in S. Chriſtophori æde, quæ aliter S. Mariæ ab Horto dicitur, adhuc in eadem urbe aſſervatur; ejuſque olim Cœnobii Incolæ Canonici S. Georgii in Alga, ne tanti Viri memoria interiret, anno MDXCI. hanc inſtaurato ejuſdem tumulo Epigraphen inſculpſerunt, quam Senator Ampliſſimus Flaminius Cornelius (a) refert, his verbis conceptam: *Hic quieſcunt oſſa Marci Tiberii Parmenſis, qui Templum hoc D. Chriſtophoro dicatum, & Patavii Cœnobium erexit; qui etiam incomparabili probitate, virtutibus, Humiliatorum Generalatum merito adeptus eſt; obiit anno* 1371., *cujus ob piam memoriam P. Monaſterii Antiſtites tumulum reficiendum curarunt. Anno Domini* 1591. Ante hunc annum vero altior ibidem erat ac prominentior ejuſdem tumulus; cui hæc legebantur inſcripta carmina, rudia ſane atque inculta, ac interdum obſcura omnino; quæ ſic recitabo, prout ad Puricellium miſſa olim fuerunt, ſervanturque adhuc inter ejus ſchedas in Ambroſiana Bibliotheca:

Dogmata qui nituit ſenſu probitate notanda
Frater in hoc recubat Parmenſis prole ſepulcro
Ordine (forte Nomine) *Tiberius Generalis ubique Magiſter*
Fratrum, quos Humiles referunt pia nomina dicta:
Chriſtophori Eccleſiæ Venetum fundator in urbe
Atque Monaſterii Paduæ . . . . Ordine dicto
Eccleſiæque loci Franciſci, & munere magno
Illa dotavit, veſtes ut fratribus atque

Ipſa

(a) Eccleſ. Venet. Dec. XIV.

Ipſa monaſteria tribuunt moderamine vitam
Officia Eccleſiis Chriſto celebrantibus ipſis:
Cum Jani bis dena dies unaque mille
Tercentum hic obiit ſeptuagintaque primo.

XXI. Tiberio e vivis erepto Chriſtophorus Braidenſis Præpoſitus Humiliatorum Magiſter renunciatur; illumque ſtrenuo animo in Ordinis adminiſtrationem, atque ad pravas conſuetudines evellendas incubuiſſe ex Pontificiis literis diſcimus. Nonnulli ſcilicet Humiliatorum Præpoſiti, cum ad hujuſmodi dignitatem Pontificiis decretis evecti fuiſſent, ita ſe gerere conſueverant, ac ſi nullam Magiſtri ſui auctoritatem agnoſcerent. Quæ cum Chriſtophorus animadverteret, videretque Religioſam hinc diſciplinam maxime labefactari, literas a Gregorio XI. impetravit datas Nonis Januar. an. MCCCLXXIII., quibus ille Præpoſitos quoscumque, qui ea dignitate fuiſſent a Pontifice ornati, eodem modo Magiſtro ſuo parere juſſit, ac ſi beneficio hujuſmodi non uterentur. Quin etiam anno MCCCLXXVI. cum in Italiam Gregorius rediret, literis 10. Cal. Novemb. Genuæ datis Januenſi Archiepiſcopo, & S. Syri ejuſdem urbis Abbati id oneris impoſuit, ut validam hac in re operam Chriſtophoro præberent; ſimileſque a Bonifacio IX. anno MCCCXCVIII. Idib. Jul. literas Chriſtophorus impetravit. Humiliatorum præterea conventu anno MCCCLXXIV. Genuæ coacto, non paucas ferri leges curavit, quæ Ordinis incolumitati conſulerent. Verum in Senenſi Conventu anno MCCCCXXXV. habito omnes Genuenſis hujus Conventus conſtitutiones antiquatæ ſunt, quod nonnulla paullo ſeverius in illis ſtatuta viderentur.

XXII. Ad annum uſque MCCCXCVIII. exeuntem Humiliatis præfuit Chriſtophorus, & ille adhuc vivebat; cum novus, atque ex alio Religioſo cœtu ductus Magiſter datus eſt Humiliatis. Rem hanc gravibus ſane verbis conqueritur antiquioris Chronici auctor, multa ſimul, quamvis ſatis obſcure, ad Mediolanen-

ſem

ſem eorum temporum hiſtoriam pertinentia, enarrans. Nos tunc de his diſſeremus, cum Chronicon ipſum edentes locum hunc adnotationibus illuſtrabimus. Interim quæ ad hunc Magiſtrum pertinent, ex diverſis auctoribus non ſine aliquo labore collecta, proferemus. Jam ab anno MCCCLXXXVI. Joannes Galeatius Mediolanenſium Dominus ea apud Urbanum VI. gratia fruebatur, *quod*, ait Joannes de Muſſis Chronici Placentini auctor (*a*) *omnes dignitates & beneficia Eccleſiaſtica terrarum ipſius Domini Comitis* (Joannis Galeatii), *quæ erant conferenda, dictus Dominus Comes ipſe conferebat, cui volebat, & dictus Dominus Papa dicta beneficia & dignitates confirmabat omnibus illis, quos dictus Dominus Comes elegerat ad dictas dignitates & beneficia*. Id porro a Bonifacio IX. Urbani ſucceſſore eodem modo fieri conſueviſſe auctor idem teſtatur, ſubdens; *& ſic facit ſucceſſor ejus Papa Bonifacius IX.* Hæc cum ita ſe haberent, anno MCCCXCVIII. exeunte, ut antiquioris Chronici auctor teſtatur, Petrus Ciſtercienſis Abbas Bonifacio IX. jubente Humiliatorum Magiſter eſt renunciatus. Ejus familiæ nomen ex ſepulcrali lapide diſcimus, quem mox proferemus, ubi *Petrus Botta* vocatur. Patriam vero Cremonam illi fuiſſe Ariſius (*b*), & apud eum Breſſianus in MSS. affirmant, eumque ſacris literis, & eloquentia ſummum dicunt. Sed ſi hoc tantum argumento nituntur, dum Petrum Cremonenſem appellant, quod Bottarum familia antiqua nobilitate ſpectanda Cremonæ ſit, quodque Cremonæ ille ſepultus fuerit, vereor, ut opinionem ſuam ſatis eruditis hominibus comprobent. Pari enim ratione Genuenſes æque ac Papienſes ſuum illum dicerent, apud quos clariſſima hæc familia in primis celebratur. Atqui ego Petrum Mediolanenſem potius fuiſſe arbitror. Etenim præterquamquod jam ab an. MLXXXII. familiam illam in hac urbe floruiſſe,

(*a*) Vol. XVI. Script. Rer. Italic. col. 559.
(*b*) Cremona Liter. T. I. pag. 202.

ruiſſe, Mediolanenſia monumenta oſtendunt (*a*), anno MCCCXLI., Luchino & Joanne Vicecomitibus regnantibus, Andreas ſeu Andreolus de Botto Mediolanenſibus Decurionibus adſcriptus eſt (*b*), ac Petri pater fortaſſe hic ipſe fuit. Antiquiſſimum ſcilicet ſui Ordinis Cœnobium ille moderabatur, S. Andreæ de Sexto appellatum, jam ab anno MCXXXI. quinto circiter a Genuenſi urbe lapide in Occidentali ora conditum (*c*). Quæ vero ratio Bonifacium impulerit, ut Magiſtrum hunc Humiliatis præficeret, præſertim *non vacante Magiſterio*, *nec id ab Ordine ſupplicato*, ait Chronici auctor, ſatis ex hoc ipſo auctore conſtat. Plurimum per id tempus apud Joannem Galeatium Franciſcus Comes Barbavaria poterat, qui deinde illo ſublato adverſas fortunæ vices paſſus eſt (*d*). Utrique autem Petrus in primis carus acceptuſque cum eſſet, cumque Joannes Galeatius Bonifacium haberet ſuæ voluntati prorſus addictum, facile Humiliatorum Magiſtri dignitatem, quam & honori & lucro ſibi futuram arbitraretur, potuit ille eorumdem ope impetrare. At qua ratione Genuenſis Cœnobii Abbas in Mediolanenſis Domini gratiam ſeſe inſinuarit, difficile eſt divinare. Hac etiam in re nihilominus aliquid fortaſſe conjectura aſſequemur. Multa ſuperioribus annis molitus fuerat Joannes Galeatius, ut Genuenſi urbe potiretur, civilium diſcordiarum occaſione arrepta, quibus illa miſerum in modum vexabatur, atque Antoniotti Adurni præſertim ope uſus fuerat, ut Juſtinianus (*e*) ac Folietta (*f*) Genuenſes Hiſtorici monent; quamvis ille deinceps mutata voluntate anno MCCCXCVI. Gallorum fidei Genuenſem Rempublicam commiſerit. At anno MCCCXCIII.

(*a*) V. Giulin. Memor. di Mil. T. IV. pag. 250.
(*b*) Bonav. Roſſi Iſtoria delle Caſe Adorna e Botta pag. 311.
(*c*) Manrique Annal. Ciſterc. T. I. ad eumd. an.
(*d*) V. Corium ad an. 1402 &c.
(*e*) Annali di Genova Lib. IV.
(*f*) Genuenſ. Hiſtor. Lib. IX.

MCCCXCIII. cum Antoniottus adhuc Joanni Galeatio faveret, qui illius partes contra Montaltos alioſque Adurniani nominis hoſtes tuebantur in S. Andreæ Cœnobium magno numero ſeceſſiſſe, ibique ab hoſtibus oppugnatos fuiſſe atque devictos, & hiſtorici iidem & Stella etiam (*a*) referunt. Suſpicor itaque Petrum ipſum S. Andreæ Abbatem Antoniotto per id tempus, & Joanni Galeatio, cui Antoniottus favebat, ac Barbavariæ illius adminiſtro, fidem ac devotionem ſuam probaſſe, ut facile deinde Barbavariæ ipſius auctoritate ad dignitatem hanc impetrandam uteretur. Præterquamquod ſi Petrum Andreæ filium fuiſſe dicamus, potuit hic ita Vicecomitum gratiam captare, ut in natum ipſum gratiæ hujuſce fructus derivaretur.

XXIII. Nec tamen ita ſe Petrus in hac cauſſa geſſit, ut invitis omnino Humiliatis præficeretur. Præpoſitos ſcilicet ex iis nonnullos ſibi conciliavit, viamque ſibi ad novam hanc dignitatem eorum auxilio muniit. Hæc ejuſdem Chronici auctor teſtatur; quin etiam hujuſmodi conſilii auctores notos ſibi optime fuiſſe affirmat, quorum tamen nomina honoris cauſſa ſilentio præterit: *Et dicitur dictum F. Petrum hæc omnia ſuggeſſiſſe; ſui namque Secretarii & Conſiliarii erant, qui alio nomine Præpoſiti de Ordine dicebantur, Ordinis & Magiſtri Chriſtophori tunc Generalis proditores, quos cognoſcebam, ſed pro honeſtate nomen reticeo*. Quin etiam ii in Chriſtophorum tumultus hac occaſione concitati ſunt, ut ille fugam Mediolano capere coactus fuerit, ac Venetiis primum, tum Bononiæ, tum denique in Etruriæ caſtro, vulgo *Civoli*, ubi erat Humiliatorum domus, aliquandiu vixerit, donec XIV. Januar. an. MCCCCVI. vita exceſſit. Hæc omnia idem Chronici auctor narrat, quamvis loco minime opportuno, ſcilicet Cap. XIX. ubi de Humiliatorum legibus differit; ibi enim quo anno ipſe Humiliatis dederit nomen, Chriſtophoro Magiſtro, referens, addit: *Et*

(*a*) Annal. Genuenſ. T. XVI. Script. Rer. Ital. col. 1141.

Et Magiſter Chriſtophorus in Caſtro Civoli propter perſecutionem, quam patiebatur occaſione Generalatus indebite, tempore fratris Petri, ut infra dicemus, a Mediolano fugam cepit, ibique migravit anno Domini 1406. decimo quarto Januarii: ſed primum interfuit Venetiis, & ſecundum Bononiæ.

XXIV. Porro de geſtis in Ordinis adminiſtratione Petri rebus nihil eſt, quod dicamus, cum nec quidquam Chronicorum Scriptores literis commendarint, nec ulla hujus temporis monumenta ſuperſint. Hæc tantum in priore Chronico habemus: *Qui frater Petrus ante fuit Abbas in domo ſuæ Profeſſionis* (nempe S. Andreæ Ordinis Ciſtercienſis) *per triennium, quinquennium, & ultra, ut fertur; & Ordinem credo refutaſſe, ut iterum rediret.* Obſcura ſane loquendi ratio, niſi illi aliunde lux aliqua addatur. Petro poſt tres annos Andreas Vicecomes ſucceſſit, ut mox videbimus; nec tamen Petrus diem ſuum obierat, ut ex memorato ſepulcrali lapide intelligimus, ex quo illum nonniſi anno MCCCCXVIII. deceſiſſe conſtat. Itaque id Humiliati impetraſſe dicendi ſunt, ut trium annorum ſpatio Petri dignitas definiretur. Ex quibus etiam illa Chronici verba intelligimus: *Et Ordinem credo refutaſſe, ut iterum rediret.* Forte enim ad Ciſtercienſes ſuos Humiliatorum Magiſterio geſto redire ille parabat; ſed ab illis rejectus, inter Humiliatos vivere coactus eſt. Cremonam itaque, ut videtur, ſecedens, VI. Kal. Septemb. an. MCCCCXVIII. ibidem obiit; exſtatque in S. Abundii ædibus, Ariſio teſte (a), ejuſdem tumulus, h c appoſito lapide: *Hic jacet P. D. Petrus Botta Præpoſitus Generalis FF. Humiliatorum, qui obdormivit in Domino VI. Kal. Septemb. anno Dom. MCCCCXVIII. ætatis ſuæ LXIII.*

XXV. At ſi Petro dignitatem ſuam exuente, id Humiliati ſperarunt, fore ſcilicet, ut ſuum ipſi Magiſtrum, qui optimus videretur, eligerent, iterum ſpe ſua fruſtrati ſunt. Bonifacius

R enim

(a) Cremon. Liter. T. I. pag. 200.

enim IX. iterum Magiſtri renunciandi jus ſuum eſſe voluit, atque Humiliatis Andream Vicecomitem præfecit. De hoc antiquioris Chronici auctor hæc tantum habet: *F. Andreas Vicecomes, qui effectus fuit frater & Generalis in una die in domo de Vicoboldono 1401. per literas Bonifacii Papæ noni, & rexit annis triginta & uno.* Itaque ne Andreas quidem ex Ordine Humiliatorum delectus eſt; quin etiam forte nulli antea Religioſæ familiæ adſcriptus fuerat. Porro ſi Bonifacii literas nanciſci nobis licuiſſet, quibus dignitatem hanc in Andream contulit, quibus cauſſis commotus hoc Pontifex præſtitiſſet, fortaſſe intelligeremus. Sed fruſtra illas quæſivimus. Itaque, ſi quis eſt conjecturæ locus, Andream etiam Joannis Galeatii, & Franciſci potiſſimum Barbavariæ ope fuiſſe ad hanc dignitatem evectum ſuſpicor. Antoniam enim Vicecomitem Barbavariæ uxorem fuiſſe ex Corio diſcimus (*a*), ut Andream noſtrum fuiſſe eidem affinitate conjunctum non inveriſimile ſit, ejuſque ideo patrocinium a Barbavaria ſuſceptum, ut ad Humiliatorum Magiſterium eveheretur. Joannes vero Galeatius quid ni homini faveret, quicum communes haberet primos generis ac dignitatis ſuæ auctores? Andreas enim, ut ex Imhofii tabulis colligimus (*b*), Actii ſeu Azzonis Vicecomitis filius erat, ac proinde celeberrimi illius Lodriſii nepos, Matthæi Magni Vicecomitis fratris filii, cujus frequens eſt in hiſtoriis Mediolanenſibus mentio ob bellum in Actium Vicecomitem Mediolanenſium Dominum infelici exitu geſtum. Sed quacumque ille ratione fuerit Humiliatis præpoſitus, profecto Religioſæ apud ipſos jam collabenti diſciplinæ perincommodum id accidit. Qui enim Humiliatorum leges numquam hactenus noverat, ac forte etiam, ut diximus, Religioſo cœtui nulli addictus, difficile potuiſſe fieri videtur, ut ea, qua par erat, vigilantia atque aſſiduitate in commiſſi Ordinis regimen incumberet. XXVI.

(*a*) Ad an 1415.

(*b*) Tabul. Genealog. T. I. pag. 209.

XXVI. Enimvero totis uno ac triginta annis, quibus Humiliatis præfuit Andreas, numquam Generalem Conventum coaɕtum videmus. Utrum porro aliquid Andreas præſtiterit, quo Humiliatos ſuos, qui a majorum virtute non parum jam defeciſſe videbantur, ad priſtinum vivendi genus reduceret, monumentis fere omnino deſtituti affirmare non poſſumus. Sed facit ipſa monumentorum ætatis non adeo remotæ inopia, ut non ſatis diligentem hac in re fuiſſe Andream ſuſpicemur. Ceterum de ejuſdem rebus geſtis nihil nobis Chronicorum auɕtores tradiderunt. Hoc unum addemus, literarum exemplar ab Andrea ad Philippum Cribellum Præpoſitum domus Laudenſis S. Joannis de Vinea datarum 9. Septembris MCCCCXXXI. nos vidiſſe in Tabulario Monialium S. Benediɕti ejuſdem urbis: in iis porro ita ille inſcribitur: *Andreas Vicecomes decretorum doɕtor Dei & Apoſtolice Sedis gratia totius Ordinis Humiliatorum generalis Magiſter & Apoſtolice Sedis Referendarius, & Cubicularius*. Quo vero anno Andreas obierit, non adnotat prioris Chronici auɕtor; nec potuit ſane adnotare; illud enim anno MCCCCXIX. conſcriptum fuit, ut in Præfatione oſtendimus, quo tempore adhuc Andreas vivebat. Itaque quæ de Generalibus Humiliatorum Magiſtris eo ipſo Chronici capite, nempe XXXIII., uſque ad annum MCCCCLXXXV. diſſeruntur, alium omnino habent, quicumque tandem ille fuerit, auɕtorem. Hic autem ipſe Andreæ obitus annum non indicavit; ſed cum Andream anno MCCCCI. eleɕtum per XXXI. annos Humiliatis præfuiſſe narrat, ſatis quidem oſtendit, anno MCCCCXXXII. illum deceſſiſſe.

XXVII. Andrea vero e vivis erepto nihil magis optaſſe Humiliatos crediderim, quam ut aliquando poſt annos XXXIV. Magiſtrum ſibi aliquem ex ſuis præficerent. Sed tertio ſpe ſua fruſtratos ſe doluerunt; ac moleſtiore etiam quam antea ratione cum iis eſt aɕtum. Petrus enim Ciſtercienſis Abbas, atque Andreas Vicecomes Magiſtri dignitatem aſſequuturi ad Humiliatos

tranſierant. At nunc Humiliatorum Magiſtri dignitas non ſolum in alienum hominem collata eſt, ſed ita collata, ut ne Humiliatorum quidem veſtem ille geſtaret, adeoque dignitatis ipſius Commendatarius, ut ajunt, appellaretur. Rem aliquanto altius repetere cogimur, ut clare omnia pateant. Joannes Vicecomes, Vercellini armorum Ducis filius, jam ab anno MCCCCII. Mediolanenſis Metropolitanæ Eccleſiæ Archipresbiter, Archiepiſcopalem ejuſdem Eccleſiæ ſedem conſcendere jamdiu molitus fuerat. Petro ſcilicet Philargo Mediolanenſi Archiepiſcopo ad Romanam ſedem (in qua Alexandri V. nomen obtinuit) in Piſana Synodo evecto, Franciſcus de Creppa, ex eodem ac Petrus Minorum Ordine, ſucceſſor fuerat datus. At Joannes Vicecomes a Gregorio XII., qui, quamvis in eadem Synodo exauctoratus, Pontificium tamen nomen dignitatemque uſurpare nondum deſtiterat, impetravit, ut Mediolanenſis Antiſtes renunciaretur. Hinc inter Franciſcum de Creppa ac Joannem diſſenſiones exortæ. Sed Joannes viribus præſtans adeo Franciſco obſtitit, ut numquam huic ad Eccleſiam ſuam accedere licuerit. Franciſco anno MCCCCXIV. obeunti Bartholomæus Capra ſuffectus eſt, qui Conſtantienſis Synodi decreto impetrato, quo Joannem nullo jure Mediolanenſem ſedem obtinuiſſe decernebatur, Mediolanum profectus, atque initio a Joannis ſectatoribus repulſus, Eccleſiæ tandem ſuæ adminiſtrationem iniit, quieſcente interim Joanne, ac meliora fata exſpectante. Hæc tum ex Cl. Saxii Antiſtitum Mediolanenſium Serie (a), tum ex eorumdem Antiſtitum MS. Catalogo, qui in Ambroſiana Bibliotheca aſſervatur (b), excerpſimus. Interea vero dum privatus viveret, *has dignitates*, inquit laudati Catalogi auctor, *in Commendam habuit*, *ſcilicet Generalatus Humi-*

(a) T. III. pag. 1147. &c. *V. etiam* Volpi Iſtoria de' Viſconti T. II. pag. 194. & ſequ.

(b) Cod. 5. num. 19. fol.

Humiliatorum, Abbatiæ S. Ambroſii Mediolani, Abbatiæ Morimundi; & tamen Rochetum aut nomen Archiepiſcopi ſua magnanimitate numquam dimiſit.

XXVIII. Novo itaque exemplo Generalis Humiliatorum Magiſter Commendatarius, ut ajunt, Joannes Vicecomes anno MCCCCXXXII. conſtitutus eſt. Quod qua ratione factum fuerit, qui antiquius Chronicon continuavit, ſic narrat: *Mortuo Vicecomite, Joannes Archiepiſcopus Mediolani, non tamen cathedram tenens, a Concilio tunc Baſileenſi Commendatarius Ordini datus eſt, Ordine eum poſtulante perſuaſu tunc Philippi Mariæ Mediolani Ducis.* Baſileenſis itaque Synodi auctoritate, quæ jam a die XXIII. Maji proxime ſuperioris anni, Eugenio IV. invito, initium habuerat; Humiliatiſque, aut potius, ut infra videbimus, Humiliatorum nonnullis petentibus, ut Philippo Mariæ Vicecomiti gratificarentur, ejuſque forte, ni facerent, iram metuentibus, hujuſmodi dignitas in Joannem collata eſt. Synodi decretum hac de re editum non habemus; ſed habemus utique decreti ejuſdem defenſionem in ipſo Concilio peractam, ex qua clarius etiam tota rei ſeries explicatur. Edmundus Martenius primum (a), tum P. Joannes Dominicus Manſi, nunc ampliſſimus Lucenſis Archiepiſcopus (b), diſputationem edidere *inter Dominos Cardinalem S. Angeli præſidentem Concilii Baſileenſis, & Archiepiſcopum Spalatenſem Oratorem Domini Eugenii Papæ IV.* habitam anno MCCCCXXXIII. XVI. Octobris, in qua Cardinalis S. Angeli Julianus Cæſarinus iis reſpondet, quæ Baſileenſibus Patribus objiciebantur. Hæc vero habentur inter cetera: 17. *Conqueruntur de adminiſtratione generalatus Humiliatorum; pro quo ſatis eſt allegare, quod fecimus id, quod etiam ſimiliter fecit Concilium Conſtantienſe, quod ſuo tempore commiſit cuidam adminiſtrationem Eccleſiæ Olomucenſis, & adminiſtrationem Eccleſiæ Arimi-*

(a) Veter. Script. Collect. T. VIII pag. 643.
(b) Supplem. Concil. Coler. Ediz. T. IV. col. 451.

Ariminenſis ipſi Domino Eugenio tunc Cardinali, & al. (Reverendiſſimo Domino meo) *Domino Bononienſi Sed & hoc ratio nobis ſuaſit ; nam videbamus imminere periculum , ne forte alius ſuſpectus illuſtri principi Domino duci Mediolanenſi poneretur ad illud officium ; quia non ignorabamus Papam inimicari ipſi domino duci ; ex quo cum generalis ille ſemper ſolitus ſit ſtare Mediolani , quia major pars conventuum illius Ordinis ſita eſt in dominio dicti domini Mediolanenſis , veriſimiliter dubitabamus , ne quid deterius Ordini eveniſſet . Item providit non perpetuo , ſed uſque ad beneplacitum Concilii , & ſine præjudicio alicujus . Item providit archiepiſcopo probatiſſimo viro , nullas alias obventiones Eccleſiaſticas habenti ; neque providit homini ingrato ipſi Ordini , ſed poſtulato a majori parte Ordinis , videlicet a præpoſitis quinquaginta Conventuum . Non ergo temere hujus adminiſtratio illi commiſſa eſt , ſed juſtis & rationabilibus cauſis ſubſiſtentibus .*

XXIX. Ex his intelligimus, quibus rationibus adducti Baſileenſes Patres Joannem Humiliatis præfecerint ; videmuſque ſimul ex Humiliatis ipſis L. Præpoſitos id fieri poſtulaſſe ; quos illos fere fuiſſe crediderim, qui Mediolanenſium Duci parebant. Ceteri (nec porro pauci ; videbimus enim anno MCCCCXXXVI. ſupra LXXX. Humiliatorum Præpoſitos Mantuæ collectos) quamvis inviti aliorum tamen voluntati morem gerere coacti ſunt. Wionius nihilominus , qui ex Humiliatorum tabulis Brixia ad ſe tranſmiſſis Generalium Ordinis Magiſtrorúm nomina collegiſſe ſe ait (*a*) , narrat, poſt Andreæ mortem Joannem de Homaccio S. Mariæ Magdalenæ Brixienſis Præpoſitum Magiſtrum Humiliatorum renunciatum fuiſſe , atque Humiliatis per tres annos præfuiſſe ; at ſchiſmate exorto Joannem Vicecomitem Mediolanenſem Archiep. Philippi Mariæ Vicecomitis ope Magiſtrum , ut ajunt , Commendatarium Humiliatis datum fuiſſe. In Humiliatorum tabulis tamen errorem latere Wionius arbitratur ; cum fieri minime

(*a*) Lignum Vitæ Lib. I. Cap. LX.

Digitized by Google

me potuiſſe dicat, ut Joannes hic, qui Mediolanenſi ſede dejectus fuerat, Humiliatorum Magiſter juberetur. Sed ita omnino ſe rem habuiſſe vidimus. At in eo potius errorem arbitror latere, quod Joannem de Homaceio Humiliatorum Magiſtrum tabulæ illæ recenſeant. Mitto in Humiliatorum Chronicis hunc ne innui quidem; mitto nullum eſſe eorumdem monumentum, in quo hujus Magiſtri mentio occurrat. At certe, ſi Joannes de Homaceio Humiliatorum Magiſter renunciatus fuiſſet, Eugenius IV., qui Baſileenſis Synodi auctoritatem rejiciebat, verum illum eorumdem Magiſtrum exiſtimaſſet. Atqui Eugenium ipſum anno MCCCCXXXV. affirmantem audiemus, jamdiu Humiliatos Magiſtro carere; quod certe non fuiſſet, ſi Joannes de Homaccio anno MCCCCXXXII. electus, per tres annos in dignitate ſua perſtitiſſet. Hunc itaque ab Humiliatorum Magiſtris expungendum arbitror; nec vero hic ſolum Wionii tabulas peccaſſe, paullo poſt videbimus. Niſi forte dicamus, paucos aliquot Præpoſitos in illius electionem conſenſiſſe; ſed ita a reliquis rejectum illum deſertumque fuiſſe, ut ne ipſum quidem dignitatis ſuæ nomen retinuerit.

XXX. Hæc habuimus, quæ de Joannis Vicecomitis electione diceremus. At parum illum fuiſſe de rebus Humiliatorum ſollicitum, quin immo Humiliatorum opes in ſuos uſus convertiſſe, & anonymus idem, qui Chronicon continuavit, & clarius adhuc Wionius teſtatur, cum ait: *Electus autem magis emunctor Ordinis fuit quam Rector; ad altiora enim aſpirans, omnem ſubſtantiam Monaſteriorum deprædabatur, ut ſui voti compos effici poſſet.* Itaque nihil omnino eum egiſſe videmus, quo veterem Humiliatorum diſciplinam non parum hujuſmodi vicibus labefactatam renovaret; nec aliud ejuſdem monumentum nobis occurrit, præter literas ad Humiliatas Laudenſes domus de Paullo nuncupatæ datas 1. Febr. MCCCCXXXIV., quibus contractum neſcio quem ab iiſdem initum approbat. In his vero ita inſcribitur: *Johannes Vicecomes Dei & apo-*

& apoſtolicæ ſedis gratia Archiepiſcopus, & adminiſtrator magiſtratus generalis ordinis Humiliatorum in ſpiritualibus & temporalibus cum illis poteſtate & facultate, quibus magiſtri generales dicti ordinis pro tempore habent, & uti conſueverunt, deputatus. Servantur hæ literæ in Laudenſi S. Benedicti Cœnobio. At Eugenius IV., qui anno MCCCCXXXIII. exeunte in Baſileenſem Synodum conſenſerat, cum Humiliatorum res in deterius labi animadverteret, literis ſuis ad eoſdem datis edixit, ut quindecim poſt Paſchalia feſta anni MCCCCXXXV. diebus in Senenſi S. Thomæ Domo Generalem Ordinis Conventum cogerent, quique huic muneri aptiſſimus videretur, eum Magiſtrum renunciarent. Has Eugenii literas non habemus; ſed alias utique ejuſdem habemus hoc eodem anno Florentiæ datas pridie Calend. Maji, quibus, comitiorum tempore jam imminente, Thomam Traguríenſem Epiſcopum, ac Joannem Florentini S. Mariæ Cœnobii Abbatem Humiliatorum Conventui præeſſe jubet; quod antea numquam factum fuiſſe legimus. Sed hoc ſcilicet præſens Humiliatorum conditio poſtulabat, ut rite omnia procederent, nec ullus eſſet diſſenſionibus aut turbis locus. Literas ipſas cum Conſtitutionibus in eodem Conventu editis ſuo loco ex Bibliothecæ Ambroſianæ Codice proferemus. Nunc hoc tantum adnotabimus, quod ſuperius innuebamus, Humiliatos nempe Magiſtro carentes ab Eugenio dici, ut hinc conſtet, nec Joannem de Homaccio, nec Joannem Vicecomitem ab Eugenio Humiliatorum Magiſtros habitos appellatoſque fuiſſe. Plura ſimul ad Religioſæ diſciplinæ inſtaurationem Eugenius ſtatuit; atque illud inter cetera, ut impoſterum ad certum tempus tantummodo Generalis Magiſter munus ſuum exerceat, quo elapſo dignitatem exuat, niſi certis conditionibus accedentibus in eadem confirmetur. Ipſam vero temporis definitionem Legatis ſuis permittit Pontifex. Joannes Vicecomes itaque poſt provinciam ſuam ad tres annos adminiſtratam, illa decedere coactus eſt. At deinde anno MCCCCL. Henrico Rampino Archie-

chiepiſcopo Mediolanenſi e vivis erepto, Joannes, Franciſci Sfortiæ Mediolanenſium Ducis ope, rite ſedem eamdem a Nicolao V. Pontifice eſt conſequutus, eamque ad annum uſque MCCCCLIII. tenuit, quo V. Non. Martii vita exceſſit (*a*).

XXXI. Interim Humiliati Senis collecti, Stephanum de Arzago, Novocomenſis domus de Vico appellatæ Præpoſitum, Magiſtrum jubent; multaque ſimul diſciplinæ religioſæ inſtaurandæ opportuna Legatis comprobantibus ſtatuunt. In his, ut Magiſtri dignitas triennio definiretur, atque ut tum anno proxime inſequente, tum duobus poſt illum annis, tum denique tertio quoque anno Humiliatorum Comitia cogerentur. Enimvero anno MCCCCXXXVI. Humiliati Mantuam in Monaſterio S. Marci, quod ad cognomines Canonicos tunc pertinebat, convenerunt, ac Thoma eodem præſide, qui interea ad Recinetenſem ac Maceratenſem ſedem evectus fuerat, plurima ad felicem Ordinis adminiſtrationem decreverunt; ac præſertim, ut quicumque impoſterum Sacerdotes cuicumque Humiliatorum Cœnobio præeſſent, Præpoſiti appellarentur, Prælati ii dicerentur tantum, qui ſacris nondum initiati eſſent; ut Generalis Magiſtri electio non XXIV. tantum, ut hactenus conſueverat, ſed Præpoſitorum omnium, qui Comitiis intereſſent, ſuffragiis fieret; ut S. Benedicti leges impoſterum ſequerentur, iis rejectis, quibus uſi fuerant hactenus. Sed de his nonnulla jam tertia Diſſertatione protulimus; alia ex ipſis Comitiorum decretis conſtabunt. Denique in annum MCCCC. XXXVIII. Humiliatorum Conventus Avilianæ in Taurinenſi Diœceſi indictus eſt. At hujus Conventus, ſiquidem coactus eſt, tum etiam ceterorum, quotquot poſt Mantuanum ſunt celebrati, acta interciderunt. Hoc unum ex vetuſtiore Chronico novimus, Stephanum de Arzago ter in ſua dignitate confirmatum, novem annos Humiliatis præfuiſſe, ac ſponte tandem ſua ſe dignitate

 exuiſſe.

(*a*) Saxius Series Archiep. Mediol. T. III. pag. 891.

exuiſſe. Suſpicor autem ad Vicoboldonenſem domum Magiſterio abdicato Stephanum ſe contuliſſe; ibique ſaltem uſque ad an. MCCCCLVI. vixiſſe. Etenim æs campanum adhuc in illius Eccleſiæ turre ſervatur his verbis inſculptum: 1456. *die decima Martii. Campana iſta conſtructa fuit tempore Venerabilis Viri D. D. Fratris Stefani de Arſago Præpoſiti Eccleſiæ S. Petri de Vicoboldono Ordinis Humiliatorum. Marcus Antonius de Buſchis fecit.* Fieri tamen potuit, ut alius hic eſſet a Stephano Humiliatorum olim Magiſtro.

XXXII. *Poſt eum* (Stephanum) *renuntiantem & inſtitutis cedentem, compromiſſo a Capitulo in eumdem facto, electus eſt decimus octavus* (Humiliatorum Magiſter) *frater Philippus de Cribellis, Præpoſitus de la Vinea Laude anno Domini* 1443., *qui ſæpius confirmatus nunc Præpoſitorum poſtulatione, nunc ſummi Pontificis proprio motu, tandem rexit annis vigintiquatuor.* Hæc ex vetuſtiore Chronico, ex quibus videmus irritum fuiſſe Senenſis Conventus decretum, quo Magiſtri Generalis dignitas triennio definita eſt. At ſi quis umquam dignus fuit, qui perpetuo Humiliatis præeſſet, is certe Philippus dicendus eſt. Nihil de illius rebus geſtis in memorato Chronico habemus; atque illarum forte memoria omnino interiiſſet, niſi ex iis, quæ undique congeſſimus, monumentis aliquid nobis lucis afferretur. Antequam Generalis Humiliatorum Magiſter juberetur, non ſolum Laudenſi domui præfuerat, quæ omnium Sanctorum de Vinea appellabatur, quo nomine Senenſi & Mantuano Conventibus annis MCCCCXXXV. & MCCCCXXXVI. interfuit, ſed Viſitatoris etiam ac Definitoris munere ornatus fuerat; ac præterea Decretorum Doctor in plurimis monumentis inſcribitur. At ubi Ordini univerſo præeſſe cœpit, ſtatim de regulari diſciplina reſtituenda cogitare aggreſſus eſt; qua in re quamvis, qui cum præceſſerat, Stephanum ſtrenuam operam navaſſe arbitrer, ejus tamen laboribus votiſque non ſatis videtur exitus reſpondiſſe. At Philippus quo validius religioſæ diſciplinæ revo-

candæ

eandæ incumberet, Philippi Mariæ Vicecomitis Mediolanenſium Ducis opem impetravit, ut vi cohiberentur, qui ſuavioribus modis non poſſent. Hoc ex Ducis ipſius literis diſcimus, quas hic proferimus. Eas porro Humiliatis S. Mariæ Magdalenæ Monialibus Modoetienſibus debemus, quæ cum veteres omnes, quæ adhuc apud ipſas ſervantur, chartas nobis humaniſſime communicarint, documento cuidam, quod ceterum nullius eſt in rem noſtram momenti, has inſertas comperimus. Sic vero habent: *Dux Mediolani &c. Papie Anglerieque Comes ac Janue dominus. Fuit nobis a Reverendo in Chriſto patre & juris Pontificii doctore domino fratre philippo de Crivellis Generali ordinis humiliatorum dilleclo modo ſuppliciter requiſitum, ut cum ad reprimendum interdum nonnullorum ordinis ſui laſciviam & inſolentiam & tranſgreſſus, & ea fatienda, que ejus offitium & dignitas poſtulat ſecbulario* (ita) *brachio ſibi ſit opus, dignaremur providere, quod illud in dominio noſtro minime ſibi deſitiat. Cum igitur petitio ſua ſapiat boneſtatem; cum nos etiam omnes delinquentes & in primis Religioni deditos cohibere cupiamus & honeſte beneque convenire, mandamus tenore preſentium univerſis & ſingulis offitialibus noſtris & feudatariorum noſtrorum, ad quos recurrent, quatenus ipſi domino Generali & legiptimo cuivis procuratori ſuo in premiſſis & circa premiſſa, & ad omnia dignitatem & offitium illius modi ſuum pertinentia, convenientibus aſſiſtant favoribus, & illud brachii ſecbularis preſtent auxilium, quod juridice preſtare potuerint & debuerint. Quod quidem gratum habebimus, preſentibus uſque ad noſtrum beneplacitum valituris, in quorum teſtimonium preſentes fieri & regiſtrari juſſimus; noſtrique ſigilli munimine roborari. Datum Mediolani die duodecimo Octubris MCCCCXL. quarto.*

XXXIII. Philippo hiſce auxiliis inſtructo felicius res ſucceſſit. Etenim ſtatim fere ab inito illius Magiſtratu Braidenſes Humiliatos arctius vitæ genus amplexos fuiſſe, ex literis Philippi Mariæ ejuſdem die XXIV. Decembris an. MCCCCXLV. datis colligimus, quibus Braidenſi domui immunitates aliquot largi-

 tur.

tur. Earum hic fragmentum ex Collegii noſtri, ubi illæ aſſervantur, tabulario deſumptum, quod in rem noſtram facit, proferimus: *Philippus Maria Anglus Dux Mediolani ac Papiæ Angleriæque Comes, ac Januæ Dominus. Subiere jam per annum Ven. Præpoſitus & Religioſi dilecti noſtri fratres domus & monaſterii glorioſiſſimæ Virginis Mariæ de Brayda Ordinis Humiliatorum hujus celeberrimæ urbis noſtræ regularem obſervantiam & arctiorem vitam. Quod quidem libenter intelligentes, ut qui noſtrorum omnium, & maxime religioni deditorum mores in melius reformari, & continue laudabiliores fieri cupimus, eos gratiis ac favoribus noſtris complecti decrevimus, ac honeſtum & rectiſſimum hoc inceptum & propoſitum juvare ſuum, ut & ipſi liberius ac tranquillius ejuſmodi vitam ſalutarem & optimam degere poſſint, & ad altiſſimum ipſum Deum noſtrum pro incolumitate noſtra, & ſtatus noſtri conſervatione, felicibuſque ſucceſſibus preces effundere, ſicut faciunt.* Nec tamen Humiliatorum ad veterem diſciplinam revocatio intra Braidenſis Cœnobii fines ſtetit, ſed Petri præſertim Barbi Cardinalis, atque eorumdem Protectoris conſilio, qui deinde ad Pontificiam ſedem evectus Paullus II. eſt appellatus, ceteri etiam Præpoſiti adducti ſunt, ut & veterum legum vim renovari, novaſque aliquot ſibi imponi facile paterentur. Itaque anno MCCCCLIX. Pius II. literis ſuis XII. Cal. Septemb. Mantuæ datis, quas ſuo loco edemus, plura ad diſciplinam inſtaurandam edixit; inter cetera, ut Magiſtri Generalis munus ad ſex annos tantummodo protraheretur, nec ulla ratione, qui munere defunctus eſſet, aut confirmari, aut iterum eligi continuo poſſet; ut tertio quoque anno generalis Humiliatorum conventus haberetur, ut Papiæ & Patavii Collegia duo conderentur, in quibus Humiliati juvenes exercerentur ſtudiis; aliaque hujuſmodi, quæ ſi fuiſſent diligenter ſervata, non adeo funeſtus fuiſſet Humiliatorum exitus. Verum ad Magiſtri Generalis munus quod attinet, videtur Pontifex ipſe Cribellum lege ſolviſſe; etenim novem adhuc poſt latam legem annos Humiliatis præfuit. Hunc in modum de felici Humilia-

miliatorum ſtatu egregie ſollicitus uſque ad annum MCCCCLXVIII. vixit Cribellus: mortem, die IX. Decemb., ut in antiquiore Chronico legimus, obiit. Hac porro eadem die Galeatii Mariæ Mediolanenſium Ducis literas de Cribelli morte datas exhibuit nobis eruditiſſimus, quem alias memoravimus, Carolus Abbas Trivultius, quarum hic initium proferimus, quod non parum ad Cribelli laudem conducat. Miror quidem in his literis Cribellum non Philippum, ut in ceteris omnibus monumentis, ſed Joannem vocari; ſed forte aut utroque prænomine ille uſus eſt, aut Joannes per errorem a Galeatio eſt vocatus. Sic itaque illæ habent: *Venerabilibus Dominis Præpoſitis Viboldoni, Brayde, de Vico, S. Calemeri & Miraſolis Ordinis Humiliatorum. Habiamo inteſo del caſo occorſo della morte del Reverendo D. Jo. Generale del Ordine voſtro, el quale veramente ce rincreſciuto aſſai per amarlo nuii per la vertude & bonta ſua & devotione ne portava molto de core. Ma poiche queſto e come corſo de la natura humana, convene portarlo con patientia &c. Ex Caſtro Porte Jovis Mediolani VIIII. Dicember.* 1468.

XXXIV. Poſt Philippi mortem, die XIX. Decemb. *Joannes de Ruſconibus dictus de Claro* Rondenarienſis Præpoſitus Vicarius Generalis juſſus eſt, ut ex charta, quæ in ejuſdem domus tabulario ſervatur, colligimus. Tum deinde Jacobus de Landriano Vicoboldoni Præpoſitus Magiſter Generalis renunciatus eſt anno MCCCCLXIX. Ex antiquiſſima Nobilium de Landriano familia celeberrimos viros plures Humiliatorum leges profeſſos fuiſſe videbimus; B. Hubertum ſcilicet, qui primis Humiliatorum temporibus floruit, Jacobum hunc, de quo eſt ſermo, Hieronymum, quem aliquot poſt annis Humiliatorum Magiſtrum appellabimus, & Ludovicum Vicoboldoni Præpoſitum, rebuſque geſtis clariſſimum. Sed de Jacobi rebus geſtis nihil omnino ad nos pervenit. Nam Raphael ipſe Fagnanus in ampliſſimo de Mediolanenſibus familiis opere MS. Jacobum noſtrum ne memorat quidem, niſi forte Jacobum hunc eumdem fuiſſe credamus, qui Juriſconſultus & Do-

ctor

ctor a Fagnano ipſo dicitur, ac Juriſperitorum Collegio adſcriptus ab anno MCCCCXXXV. ad annum ſaltem MCCCCL., qui deinde Humiliatorum leges ſuſceperit. Illud itaque proferre unice poſſumus, quod de Jacobo in antiquiore Chronico ſæpius memorato legimus: *Decimus nonus* (Generalis Humiliatorum Magiſter) *frater Jacobus de Landriano Præpoſitus Vicoboldoni canonice electus fuit anno Domini* 1469., *qui ad totius Capituli generalis poſtulationem a Summo Pontifice ad vitam confirmatus, poſtea anno generalatus ſui decimo ſeptimo deceſſit, quidem de anno* 1485. *die octavo Novembris & fuit doctor*. Itaque ne tunc quidem non modo Senenſis Conventus decretum, quo Magiſtri dignitas triennio definiebatur, ſed ne Pii II. quidem conſtitutio, qua eadem ad ſexennium prorogabatur, ſervata eſt; ac Jacobus XVII. annis dignitatem ſuam retinuit.

XXXV. Attamen ſi Magiſtrorum ſeriem, quam Wionius edidit, audiamus, uno tantum anno Jacobus Humiliatis præfuit. Ac ſane mirum, ut ſeries eadem poſt Jacobum apud illum perturbetur. Primo enim anno MCCCCLXX. Brignanum alterum electum narrat S. Michaelis Alexandriæ Præpoſitum, cui etiam domui olim Brignanus primus præfuerat; tum anno MCCCCLXXIV. Guidottum alterum domus de Galgario Præpoſitum, cui pariter antea Guidottus primus præfuerat; (quem alterum Guidottum, Wionii auctoritate innixus, etiam Donatus Calvius jam memoratus protulit, quodque magis mireris, ex Archidiacona gente fuiſſe illum affirmavit, ac die 24. Maji hujus anni fuiſſe ad hanc dignitatem evectum (a)); tum duodecim poſt annos nempe anno MCCCCLXXXVI. Beltramum tertium S. Petri Modoetiæ Præpoſitum, quam domum Beltramus etiam alter rexerat; deinde anno MCCCCXC. Guillelmum III. de Braida Canonicæ Præpoſitum, cui Canonicæ, quamvis falſo, Guillelmum etiam II. præfectum fuiſſe jam dixerat; tum denique anno MCCCCXCII. Philippum

(a) Effemeride T. II. pag. 232.

lippum alium Cribellum, ac anno MCCCCXCVI. Jacobum alium Landrianum. Qui fieri potuerit, ut qui tabulas illas ad Wionium tranſmiſit, tam turpiter errarit, profecto haud intelligo. Certe falſo hæc omnia narrari, non ſolum ex ipſis Magiſtrorum, quæ Wionius profert, nominibus conſtat; ea enim ſunt omnia Magiſtrorum alias jam memoratorum nomina, ſed etiam ex certiſſimis, quæ mox commemorabimus documentis. Nunc illud afferre ſufficiat, quo Jacobum Landrianum ad annum uſque MCCCCLXXXV. vixiſſe apertiſſime ſtatuitur; illius enim literas hoc ipſo anno datas *fratri Jacobo de Canturio domus omnium Sanctorum ad S. Michaelem Præpoſitum Ordinis Humiliatorum* vidimus apud Modoetienſes S. Margaritæ Moniales. In iis vero ita ille inſcribitur: *Frater Jacobus de Landriano decretorum doctor Prepoſitus domus S. Petri de Vicoboldono Ordinis humiliatorum; nec non ipſius Ordinis dei & apoſtolice ſedis gratia generalis Magiſter*.

XXXVI. Jacobo Hieronymus ſucceſſit ex eadem Landrianorum familia. Nihil de Hieronymo Braidenſis Chronici auctor, ſeu potius qui Chronicon illud continuavit: ille enim in Jacobo deſinit. At Octavianus Picius, qui Appendicem Chronico adjecit, quo anno Hieronymus Magiſter dictus fuerit, tacet; ſed illum anno MDXXV. obiiſſe narrat, cum XXXVI. annis Humiliatis præfuiſſet. Itaque ſolum anno MCCCCLXXXIX. electus fuiſſe dicendus eſſet. At Rondenarienſis domus monumentum an. MCCCCLXXXVI., quod apud PP. Congr. Somaſchæ Novocomi vidimus, Hieronymi ſcilicet Magiſtri Generalis literæ ad Rondenarienſem Præpoſitum hoc ipſo anno III. Apr. datæ, illum jam tum dignitatem hanc adeptum aperte teſtantur, ac XXX. fere annos munere ſuo functum fuiſſe. Attamen Senenſe monumentum habemus anni MCCCCLXXXVIII., ex quo Simonem de Plenis Humiliatorum Magiſtrum per id tempus fuiſſe colligimus. Verum cum nulla Magiſtri hujus in ceteris monumentis mentio occurrat, arbitror Vicarii potius trans Apenninum, quam Magi-

ſtri

ſtri Generalis munus illum geſſiſſe. Sed de hoc fuſius, ubi monumentum ipſum altero volumine edemus.

XXXVII. Anno igitur MCCCCLXXXVI. Hieronymus de Landriano Decretorum Doctor, & Cremonenſis Domus S. Abundii Præpoſitus, Generalis Humiliatorum Magiſter eſt renunciatus. Ac graviter ſane lapſus eſt in memorata Appendice Octavianus Picius, cum illum ab Eugenio IV. Romano Pontifice dignitatem hanc obtinuiſſe ſcripſit; Eugenius enim jam ab anno MCCCCXLVII. obierat, quo forte tempore nondum Hieronymus lucem aſpexerat, cum nonniſi anno MDXXV. vita exceſſerit. At alia etiam de Hieronymo Picius narrat, quæ aut falſa ſunt, aut alio, quam verba præferant, ſenſu ſunt explicanda. Ait enim: *Multas obivit legationes Mori, Mediolanenſis Ducis; & a Maximiliano Duce Mediolani in Senatus Præſidem conſtitutus eſt, & in locum Ducis erat*. Ac primo quod ad legationes pertinet, quibus Hieronymus Ludovici Sfortiæ (cui Mauri cognomen fuit) nomine defunctus fuerit, nullum ego quidem hujuſce rei veſtigium apud hiſtoricos comperi; ſed cum non omnia ſcribi neceſſe ſit, potuit utique Ludovicus Hieronymo ad hujuſmodi munera obeunda uti; nec tamen hoc a ſcriptoribus commemorari. Quod vero illum a Maximiliano Sfortia Senatus Præſidem juſſum fuiſſe, Ducique ejuſdem vices geſſiſſe narrat, quis falſo hæc ſcribi non videat? Certum eſt enim neminem fuiſſe Senatus Præſidem appellatum ante annum MDXXII., cum primum in Joannem Franciſcum Marlianum dignitas illa collata eſt (*a*). Præterquam quod quicumque de Mediolanenſi Senatu egerunt, numquam Hieronymum de Landriano non modo inter Præſides, ſed ne inter Senatores quidem enumerant.

XXXVIII. At profecto ſi id accidiſſet, novam adeo inſuetamque rem minime illi, arbitror, prætermiſiſſent. Nec vero illud

(*a*) V. Ruginell. de Senat. §. I. gloſſ. III. Cap. II. num. 37.

illud prætermiſerunt, quod Ludovicus Sfortia in Hieronymum contulit, maximum honoris atque exiſtimationis indicium, atque illud ipſum forte Picius cogitavit, cum ſuperius prolatis verbis eſt uſus, quamvis Maximilianum pro Ludovico per errorem appellaverit. Anno itaque MID. Ludovicus, cum hoſtium vi fere oppreſſus fugam in Germaniam moliretur, quattuor, ut Corius (*a*), aliique Mediolanenſes hiſtorici referunt, ex præcipua Mediolanenſi nobilitate Cives delegit, quos alios octo in conſiliorum ſocietatem vocare juſſit, ut unanimi conſenſu rempublicam moderarentur. Jam vero ex quattuor illis Hieronymus de Landriano Generalis Humiliatorum Magiſter primus eſt appellatus: alii porro fuerunt Antonius Trivultius Novocomenſis Epiſcopus, Joannes Jacobus Caſtillionæus Archiepiſcopus Barenſis, ac Franciſcus Bernardinus Vicecomes. Ex quo colligimus, egregium Ludovici fuiſſe de Hieronymi prudentia atque in rebus agendis dexteritate judicium, cui tam arduum onus difficillimis temporibus impoſuerit. Nec vero dubitare poſſumus, cum Hieronymum ad hanc dignitatem evectum videmus, quin alias quoque negotiis hujuſmodi gerendis adhibitus fuerit, ac magis etiam quam Religioſum virum deceret, ut mox videbimus.

XXXIX. Addit Picius Hieronymum in Humiliatorum Conventu anno MDXIX. Romæ coacto, a Leone X. in ſua dignitate confirmatum fuiſſe. Schedas nonnullas ad hæc Comitia pertinentes in MSS. Puricellii Codicibus in Ambroſiana Bibliotheca deprehendi; quas, undenam erutas ignoro, ad Puricellium Conſtantinus Cajetanus Caſinenſis Congr. Abbas ſubmiſerat. In illis hæc habentur: 1519. 2. *Maii fuit facta Congregatio in domo FF. Humiliatorum, in qua præſentes fuerunt* 50. *præpoſiti ejuſdem Congregationis: 6. Maii fuit facta Congregatio in domo Cardinalis protectoris, ubi coram aliquibus Præpoſitis fuit lecta bulla SS. Domini, quod Generalis*

T *fiat*

(*a*) Hiſtor. di Mil. ad an. 1499.

ſiat per triennium. Decretum hoc ſæpius renovatum fere ſemper executione caruiſſe vidimus; quod etiam hic accidit; nam *die Dominico* 8. *Maii Cardinalis SS. quatuor præſidens Capitulo Generali, una cum Cardinali Trivultio Protectore Ordinis interfuerunt; & fuit lectum quoddam breve SS. Domini de maxima auctoritate iſtorum Cardinalium in dicto Capitulo. Omnes Præpoſiti decretarunt, quod Generalis a Papa Innocentio confirmatus in ſuo robore permaneret durante ejus vita*. Ex quibus colligimus tunc quoque legem de Magiſtri dignitate triennio definienda latam a Leone X. fuiſſe; ſed Hieronymum hac lege ſolutum tum ab Innocentio VIII.,qui ab an.MCCCCLXXXIV. ad an. MCCCCXCII. Romanam ſedem obtinuit, tum a Leone ipſo fuiſſe, & Cardinalibus, qui Conventui præerant, poteſtatem omnem hac ſuper re conceſſam. Id porro Hieronymus facile impetrare potuit, vir & magna in rebus agendis dexteritate, & Principum virorum amicitia fretus, ac honorum hujuſmodi ſatis cupidus.

XL. Hoc ſcilicet in Hieronymo Octavianus Picius ipſe reprehendit, quod *fuit nimis potens;* ſed quod Octavianus paucis mollibuſque verbis hic arguit, multo acrius graviuſque conqueritur Marius Picius Octaviani patruus. Tria ſcilicet Italica Carmina, quæ vulgo *Capitoli* appellamus, ille conſcripſit, quibus in deterius collapſos Humiliatorum mores ita deflet, ut ſincero animi dolore actum hæc ſcripſiſſe, dubitare haud poſſimus. Eorum autographum in Bibliotheca PP. Auguſtinianorum Excalceatorum hujus urbis ad SS. Coſmæ & Damiani ſervatur; atque eorumdem exemplar nobis humaniſſime conceſſit P. Laurentius a S. Barbara ejuſdem Bibliothecæ Præfectus, quem, etſi cetera deeſſent, præclara, quam recens curavit, operum S. Thomæ a Villanova editio, inprimis commendat. Conſcripta autem illa fuerunt, primum anno MDXLII. XVI. Novembris; alterum anno MDXLIII. XXIV. Januar., poſtremum XVI. Novembris ejuſdem anni. Jamvero poſtquam prioribus duobus carminibus de vitiis inter Humiliatos

ſerpen-

ſerpentibus conqueſtus eſt, aggreditur tertio damni totius cauſſam in Generales Magiſtros conferre, qui ſuis temporibus Humiliatis præfuerant: tres ſcilicet ii fuerant, quorum primum Hieronymum appellat; atque hunc gloriæ atque honori unice ſtuduiſſe ait:

Prima fu l'ambizion del Landriano

. . . .

Non gli fu l'eſſer General baſtante,
Et di Religion sì ricca e degna
Ch' anche di aſcender ricercò più avante;
Seguitò ognor la ſeculare inſegna
Deſioſo troppo de' Mondani onori ec.

Hæc ille de Hieronymo, ut alia hujus generis mittam, quæ de illo profert. Nec porro Humiliati Scriptores tantum Hieronymum gloriæ avidiſſimum, ac Principum virorum gratiæ captandæ ſtudioſum exhibent; ſed hoc ipſum Bordigallus quidam Cremonenſis, ejuſdem ætatis Scriptor, ſatis teſtatur, cum in Chronico ſuo MS. ad an. MDXIII. intra Februarium ac Martium menſem pag. 191. f. 2. hæc ſcribit: *Illo tempore auxiliandi Ducem Mediolani cauſa inclita in urbe Cremonæ Rev. Generalis Miniſter Humiliatorum Hieronymus Landrianus nomine Principis Maximiliani, quindecim mille ducatos auri a Civibus noſtris Cremonenſibus exegit, ponendo taxas tam civium quam villicorum ſuper terras ad ſolidum unum imperiale pro qualibet pertica terræ poſſidenti*. Quæ cum ita eſſent, mirari ſane non debemus, Humiliatorum res adeo hac ætate cœpiſſe in deterius ruere, ut fruſtra deinde illos ad meliorem frugem revocare viri Sanctiſſimi aggreſſi ſint. Hunc in modum Humiliatorum Magiſtratu uſque ad annum MDXXV. geſto, ſupremum diem obiit tandem Hieronymus XXV. Februarii ejuſdem anni in Cremonenſi S. Abundii domo, cui ille Præpoſitus fuerat. Bordigallus tamen nuper memoratus Hieronymi obitum intra XII. ac XVII. Februarii diem in ſuo Chronico pag. 391. f. 1. ſtatuit,

eaque ſimul narrat, quæ illius mortem ſubſecuta ſunt, ex quibus quanto ille odio omnibus eſſet colligimus: *Reverendus quoque Dominus Hieronymus de Landriano Humiliatorum Ordinis S. Habundii præfatæ Civitatis Cremonæ Generalis Præpoſitus hoc etiam tempore migravit. In Eccleſia D. Habundii Cremonæ ſepelitur. Hic civitatem noſtram miſer* (forte *miſere*) *pecunia ſpoliavit, talione impoſito; moriendo tale jus accidit. De facultatibus illius & pecuniis innumerabilibus aggregatis fuit privatus; & ſine ſonitu campanarum & requiem æternam fuit ſepultus abſque honore & officiorum ſolemnitate & charitate, prout æquum & juſtum erat ſecundum illius opera in mundo actitata & geſta. Ibi poſtremo jacet.*

XLI. Hieronymo e vivis erepto, quod anno MCCCXCVIII. contigiſſe vidimus, ut ex alio cœtu delectus Magiſter Humiliatis præficeretur, iterum contigit. Rem omnem ab ipſo Octaviano Picio primum audiamus: *Vigeſimus primus* (Humiliatorum Magiſter) *frater Carolus de Advocatis de Vercellis loci Quinti, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Magnus Prædicator, a Clemente Papa VII., ut Ordo reformaretur, in, Generalem Magiſtrum conſtitutus eſt, & ab ipſo Clemente Humiliatorum habitus datur. Sicque etiam ipſe Clemens duas Ordinis Præpoſituras dat. Iſte annis ſeptem Generalis ſtetit.* Huc uſque Picius; quæ certe narratio maximum novo huic Magiſtro decus conciliat, qui virtutibus & eloquentia inſignis a Clemente VII., quamvis S. Auguſtini leges ſequeretur, Humiliatis tamen hac de cauſſa præfectus eſſe dicitur, ut eoſdem jam a Patrum ſuorum exemplis degeneres ad priſcum vivendi genus iterum adduceret. At graviter ſane fero, alia omnia mihi proferenda eſſe, quam quæ Octavianus narrat, qui videtur aut per ironiam, ut dicimus, loquutus fuiſſe, aut ea diſſimulaſſe, ex quibus in Humiliatos ſuos dedecus redundaret. Etenim ita acriter in Carolum hunc Magiſtrum iis, quæ ſuperius memorabam, carminibus Marius Picius invehitur, ita vehementer ejus vitia inſectatur, ut Clementi ipſi Pontifici non parcat, qui talem virum Humiliatis præfecerit.

Quam-

Quamquam Clementem magna, quam Carolus præferebat, virtutis ſpecie deceptum fuiſſe ait; tunc enim tantummodo, cujuſmodi eſſet novus Humiliatorum Magiſter, innotuiſſe, cum ſe dignitatis hujus compotem ille conſpexit. Parco ipſa Marii verba referre; videtur enim hoc loco liberius, quam oporteret, dolori ſuo indulſiſſe. Hoc unice dicam, quod ad rerum geſtarum ſeriem perſequendam conducit. Refert ſcilicet Marius, cum primum de Caroli electione Humiliati acceperunt, nuncios ſtatim ad Clementem miſiſſe, atque in his Hieronymum Torchium, de quo nobis quamprimum ſermo erit, ut exteri hominis imperio liberari, ſuumque ſibi Magiſtrum præficere iiſdem liceret. Clementem vero noluiſſe quidem a propoſito decedere; ſed Torchium ipſum Magiſtri Vicarium renunciaſſe: at vero cum gravia Magiſtri crimina ad Pontificem continue deferrentur, literas tandem illum dediſſe, quibus Carolum ad Pontificiam ſedem accedere juſſit; ſed hic Marium ipſum audire juvat, qui ſe ipſum facti teſtem appellat:

Clemente poi Pontefice gentile
Viſto dei falli ſoi l'alto proceſſo,
Tolſegli il reggimento dell' ovile.
Fugli il Breve intimato per me ſteſſo
Nelle proprie ſue man dentro Cremona,
Chel fin veder deſiava a tanto exceſſo.
Citato alla gran Sedia fu in perſona,
Ove fu giunto ſubito condutto
Con vituperio prima in tor de Nona.
Fu dentro del Caſtello poi ridutto,
Et dannato . . . .
Al carcer de ſua vita il tempo tutto.

Atque hæc de Carolo dixiſſe ſufficiat; quæ utinam nobis prætermittere licuiſſet, aut in dubium revocare. Sed & hiſtorici munus eſſe duximus, ea, quæcumque ſint, recenſere, quæ præcipua ſunt hiſto-

hiſtoriæ, quam evolvendam accepimus, capita; & ea loquendi ratione Marius utitur, ut nullo modo ſuſpicari liceat, eum iniquo in Magiſtrum hunc animo fuiſſe, ac per calumniam, quæ referri vidimus, illum ſcripſiſſe. Non enim in Magiſtros tantum, ſed in ſuos omnes, eorumque vitia invehitur iis verbis, ut diximus, quæ hominem de cœtus ſui fama ſollicitum maxime, ac divini cultus ſtudioſiſſimum decent, quique id unice optat, ut ad veterem vitæ ſanctitatem Humiliati ſui revocentur.

XLII. Carolo de Advocatis hunc in modum exauctorato Hieronymus Torchius, qui jam Carolo Vicarius a Clemente datus fuerat, Clementis ipſius juſſu illi ſuffectus eſt anno MDXXXIII. Pauca nos de hoc viro proferemus, cum, quæcumque ad illum pertinent, recenſuerit, Argelatus (a). Vir ſcilicet Theologiæ ac Juris utriuſque laurea inſignis, Franciſco II. Sfortiæ Mediolanenſium Duci, atque, ut Argelatus addit, Hippolyto Cardinali Ateſtio hujus nominis ſecundo Mediolanenſi Archiepiſcopo gratiſſimus, ceteris etiam Romanæ Curiæ Cardinalibus Prælatiſque acceptus maxime, inter S. Petri Equites (b), (ſi Octaviano Picio credimus) adlectus; cum ad annum MDLI. Humiliatis præfuiſſet, coacto Cremonæ ſuorum Conventu ſua ſe ultro dignitate abdicavit; ſed Præpoſitorum omnium votis precibuſque permotus, Magiſtrum ſe iterum renùnciari paſſus eſt. Magnam fuiſſe apud omnes de tanti hominis prudentia ac probitate exiſtimationem, Marius ipſe Picius non diffitetur, ut plures ex Humiliatis ipſis veteris diſciplinæ renovandæ cupidi illius electionem ſummo plauſu exciperent:

Fece prima coſtui sì nobil moſtra

. . . .

Che lieta ne reſtò più d'una chioſtra

Sed

(a) Biblioth. Script. Mediol. T. II. P. II. col. 1503. ſequ.

(b) De his Equitibus V. Hiſtoir. des Ordr. Relig. T. VIII. Cap. LVIII.

Sed illum revera in Humiliatorum vitiis emendandis ſegnem omnino inertemque fuiſſe conqueritur, atque opibus potius comparandis, quam pravis ſuorum moribus corrigendis ſtuduiſſe:

Dell' onor ſol dovrebbe eſſer contento,
E ripenſar, che nel divin conſpetto
De render conto avrà del ſuo talento.
Corregger non ſi cura chi è ſcorretto;
A ogni maligno il fren libero laſſa
O per doni o per tema o per riſpetto;
Raro l'ovil del gregge ſuo compaſſa,
Va lento, e differendo d'oggi in crai;
E a gran giornate il tempo via trapaſſa.

Hæc Marius, qui deinde acrius etiam in Hieronymum inſurgit, graviſſima etiam crimina a nonnullis inter Humiliatos impune illo Magiſtro patrata fuiſſe affirmans. Vixit Hieronymus, atque Humiliatis præfuit ad annum uſque MDLII., quo anno menſe Septembri vita exceſſit. Refert Octavianus Picius Hieronymum, cum e vivis ereptus eſt, Syracuſanum Archiepiſcopum renunciatum paullo ante fuiſſe, redditaſque illi Pontificias literas, quibus in illum dignitas eadem conferretur, *cum eſſet*, addit Picius, *deinde certiſſimus, quod in Cardinalem S. R. E. eſſet promovendus a Paulo 3. Farneſio Pontifice Maximo*. At ad Syracuſanas Infulas quod attinet, ſatis jam Argelatus oſtendit, non potuiſſe illas Hieronymo per id tempus comparari. Enimvero Hieronymum de Bononia Syracuſanum non Archiepiſcopum quidem, ſed Epiſcopum, ſedem illam ab anno MDXLI. ad annum MDLX. obtinuiſſe, Rocchus Pirrus (*a*), Antoninus Mongitor (*b*), & Cl. Joannes Maria Comes Mazzucchellius (*c*), teſtantur. Quapropter etiam quæ

(*a*) Sicil. Sacr T. I. pag. 639.
(*b*) Biblioth. Sicul. T. I. pag. 274.
(*c*) Scrittori d'Ital. T. II. P. III. pag. 1492.

quæ de Cardinalis dignitate in illum conferenda Octavianus narrat, in dubium revocari poſſe arbitror. Certe id a Paullo III. fieri nequaquam potuit, qui jam anno MDXLIX. obierat. Hoc unum denique ſupereſt, quod de Hieronymo adnotemus, illum in iis, quæ vidimus, hujus temporis monumentis nunc Torchium, nunc de Torgio, nunc Torgium appellari. Qui plura etiam de Torchio velit, Argelatum ipſum adeat.

XLIII. Poſt Hieronymi mortem, Humiliatorum Comitia in Braidenſi domo die 30 Novembris ejuſdem anni MDLII. coacta ſunt, quibus Jo[illegible] Cardinalis Moronus Ordinis Protector interfuit. Octavianus ipſe Picius, qui hæc omnia narrat, orationem habuit, quam etiam Appendici ſuæ inſeruit. Magiſtri electio per biduum agitata, cum duo præſertim viderentur eam dignitatem ſpectare, Joannes Baptiſta Tonſius Braidæ, & Galeatius Brippius domus S. Calimerii Præpoſitus. Denique cum Tonſius, ut diſputationi finem imponeret, palam dixiſſet, neminem eſſe, cui melius, quam Jacobo Gaddio Cremonenſis domus S. Abundii Præpoſito dignitas hujuſmodi congrueret, ille omnium votis Magiſter renunciatus eſt. Hic cum ſui muneris triennium expleſſet, Conventu Bergomi indicto anno MDLVI. ad aliud triennium eſt confirmatus. Qua ratione Provinciam hic ſuam adminiſtrarit, Octavianus non innuit. Sed cum perditos per hæc tempora Humiliatorum mores cogitamus, videtur ille aut parum de diſciplina inſtauranda fuiſſe ſollicitus, aut inanem in hanc rem laborem atque operam contuliſſe. Jacobo anno MDLIX. Galeatius Brippius ſuffectus eſt; cui deinde anno MDLXII. Marius Averoldus, tum anno MDLXV. Alexander Colleonus, deinde anno MDLXVII. Aloyſius a Baſilica Petri poſtremus Humiliatorum Magiſter ſucceſſerunt. Sed cum horum res geſtæ ad S. Caroli Borromei tempora pertineant, illas proinde in ultimam Diſſertationem rejicimus, quæ erit de Humiliatorum extinctione.

XLIV. Nunc ut ea abſolvamus, quæ ad Generales Humiliatorum

liatorum Magiſtros pertinent, Senenſium aliquot Scriptorum auctoritas eſt expendenda, qui duos Humiliatorum Magiſtros proferunt, a nobis prætermiſſos: Accurſium nempe Tolomæum, & Gaddum Selvoleſium. Atque ad primum quod attinet, Ugurgierius ait (a) Accurſium hunc Criſtophori Tolomæi filium S. Thomæ Humiliatorum Cœnobio, tum deinde Ordini univerſo præfuiſſe, idque tum ex genealogica Tolomæorum ſerie, tum ex monumentis compluribus conſtare addit ab anno MCCXL. ad annum MCCL. conſcriptis. Hæc Ugurgierius, atque illum ſecutus Hieronymus Gilius (b), qui alium etiam Humiliatorum Magiſtrum commemorat Gaddum Selvoleſium. Hunc vero Magiſtri dignitatem adeptum fuiſſe ex monumento conſtat, quod in Senenſi Xenodochio Sanctæ Mariæ Scalarum aſſervari ajunt, quo Contadinus Creſcentii Selvoleſii filius nonnulla Fratri Gaddo, Humiliatorum Generali Præpoſito teſtamento legat an. MCCLXIX. Sed cum ego monumenti ipſius exemplar petiiſſem, fruſtra diuturnus in illo conquirendo labor inſumptus eſt. At quæcumque afferantur monumenta, quibus Accurſium & Gaddum Generales Humiliatorum Magiſtros fuiſſe ſuadeatur, iis profecto comparari non poſſunt, quibus illos ab eadem ſerie excludendos oſtendimus. Pontificiis enim literis docemur, primum Humiliatorum Magiſtrum Beltramum anno MCCXLVI. electum, uſque ad annum MCCLVII. Ordini præfuiſſe, ut non potuerit ſane inter annum MCCXL. & MCCL. eadem dignitate Accurſius inſigniri. Literis pariter Pontificiis docemur, Petrum Brixienſis S. Lucæ domus Præpoſitum Beltramo ſuffectum fuiſſe, quem ad annum uſque MCCLXXII. dignitatem ſuam tenuiſſe oſtendimus, ut proinde anno MCCLXIX. nulla ratione potuerit Gaddus Humiliatorum Magiſter appellari. Quare, ut omnia quoquomodo concilientur, arbitror, Accurſium

U & Gad-

(a) Pompe Saneſi Par. I. Tit. II.

(b) Diario Saneſe Par. I. pag. 230.

& Gaddum Generales Humiliatorum Vicarios in Etruria fuiſſe; quod etiam ſupra de Simone de Plenis monuimus; ita enim ſæpe fieri conſueverat, ut diverſi pro diverſis regionibus Humiliatorum Generales Vicarii ſtatuerentur. Quod ut certius ſtatuam, hinc etiam adducor, quod quicumque Scriptores hanc dignitatem Accurſio & Gaddo collatam narrant, illos Generales Humiliatorum non Magiſtros quidem, ſed Præpoſitos vocant; quod appellationis genus numquam iis attributum vidimus, qui Ordini univerſo præeſſent; illos enim Magiſtri nomine ſemper deſignari audivimus. Itaque cum Generales Humiliatorum Præpoſiti illi vocantur, ſic intelligere debemus, quod ſcilicet Præpoſiti ideo appellentur, quod domui primi Humiliatorum Ordinis alicui præeſſent; Generales vero, ex Vicarii Generalis munere illis commiſſo, dicantur; quod ſane Scriptoribus parum in Humiliatorum hiſtoria verſatis errandi occaſionem præbere potuit. Quod de Accurſio & Gaddo diximus, idem de B. Luca Manzolio dicendum eſt, quem P. Joſeph Richa S. J., qui Florentinas Eccleſias egregie illuſtravit (a), aliique nonnulli Generalem Humiliatorum Magiſtrum appellant. Sed de hoc alias ſermo erit, ubi de Humiliatis vitæ ſanctitate illuſtribus diſſeremus.

(a) Chieſe Fiorentine T. IV. Lez. XXVII.

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

DE DIVERSIS HUMILIATORUM MUNERIBUS.

I. EAm nunc Diſſertationem aggredimur, quæ tum argumenti novitate, tum varietate ipſa rerum, futura ſit, ut arbitror, eruditis viris non injucunda. Enimvero cum Religioſorum hominum cœtum audimus, viros plerumque intelligimus cœleſtium rerum contemplationi in primis deditos, ab hominum conſortio ſemotos, aut de eorum ſalute tantummodo ſtrenue ſollicitos. At cum de Humiliatis eſt ſermo, novum Religioſæ familiæ genus concipiamus neceſſe eſt. Quamvis enim divinis & illi rebus diligenter ſtuderent, multi etiam ſacris muneribus egregie fungerentur, non hæc tamen fuit præcipua maximæ de Humiliatis apud homines exiſtimationis cauſſa, ſed hanc iis potiſſimum muneribus obeundis, quæ in Reipublicæ commerciique utilitatem redundarent, illi conſequuti ſunt. Nec vero hic de tertii Ordinis Humiliatis loquor. Qui enim in domeſticis ædibus Laici viverent, mirum non eſt, artem aliquam alendæ vitæ opportunam illos exercuiſſe. De primi alteriuſque Ordinis Humiliatis loquor, quorum quæ potiſſimum munera fuerint, hac Diſſertatione quæremus.

II. Ac primo, cur Humiliati novum hoc vitæ genus amplexi fuerint, eſt diſquirendum. Illis ſcilicet hoc propoſitum a primis eorumdem initiis fuerat, ut vidimus, ut victum ſibi manuum labore compararent. Quod ab antiquioribus tertii Ordinis Humiliatis primo uſurpatum, apud Clauſtrales etiam deinde receptum eſt. Sic enim ex eorum legibus conſtat ab Innocentio III. primum, tum etiam ab aliis inter Romanos Pontifices comprobatis; ubi hæc habentur: *Fratres habeant hoc decretum pro cunctis,*

ut acquirant cotidie victum & veſtitum laboribus manuum ſuarum (a). Laborioſum autem hoc vitæ genus in cauſſa fuit, cur Honorius III. aliquid de legum, quibus tenebantur, ſeveritate cum Humiliatis remittendum exiſtimaverit, ut ex monumentorum collectione conſtabit. Quam facultatem ab Honorio III. Braidenſi Rectori ſeu Prælato factam, Gregorius IX. deinde ceteris etiam Humiliatorum Prælatis communem eſſe juſſit. Hunc ipſum manuum laborem verba illa in eorumdem memoratis legibus indicare videntur: *In ſolis occaſu dato ſigno intermiſſis operibus fratres conveniant inſimul & bibant* (b). Hic enim & quotidianum laborem innui, & potum viribus reficiendis imperari videmus.

III. At vero lanæ imprimis faciendæ, laneiſque pannis conficiendis operam Humiliatos dediſſe, nemo eſt qui ignoret. Hoc ſcilicet a vetuſtioribus illis Humiliatis plerumque uſurpari cœptum vidimus Diſſert. II. num. II. antequam regulari diſciplinæ ſe addicerent. Poſtquam vero perfectius vivendi genus amplexi cœnobia incoluerunt, qui Sacris initiati non erant, alterumque conflabant Humiliatorum Ordinem, huic labori vacaſſe, eorum nos Chronica paſſim ac reliqua monumenta docent. *His habitus* (ait Braidenſis Chronici auctor de iiſdem Humiliatis loquens) *dabatur talis, qui in eorum domibus aggregari volebant, & ad lanæ exercitium cum aliis inducebantur*; & paullo poſt: *Sic perſeveraverunt uſque ad ſuſceptionem Regulæ Innocentii tertii non recedendo horis debitis a lanæ exercitio, a quo poſt ſuſceptam regulam per magnum tempus non ceſſaverunt*. Id ipſum alterius Chronici anno MCCCCXXI. conſcripti auctor confirmat; qui Monialibus etiam fuiſſe id proprium tradit: *Prædicti fratres ſecundi membri ac ſuæ Religioſæ poſt horas Canonicas.... in clauſtris ſeparatis exercebant artem lanæ pro communi commoditate*. Boſſius demum in ſuo Chronico: *Omnes iſti tam viri*

(a) Cap. *Quod fratres de labore manuum ſuarum vivere debeant*.
(b) Cap. *Quid agere debeant fratres poſt occaſum Solis*.

viri quam mulieres dabant operam exercitio lanæ, & omne lucrum deductis expenſis convertebatur in ædifitiis domorum, & emptionibus poſſeſſionum pro augmento Ordinis ſui.

IV. Humiliatos etiam primi Ordinis lanæ vacaſſe ex iiſdem Chronicis conſtat. Quamquam alia erat hujus laboris ratio. Alterius enim Ordinis Humiliati ſuis ipſi manibus lanam tractare, ac pannos conficere conſueverant. At Humiliati primi Ordinis, quos Sacris initiatos labor hujuſmodi decere minime videretur, per alios lanam faciendam curabant, quam poſtea certo pretio divenderent. *Iſti namque*, ait antiquioris Chronici auctor, *non ut laboratores, ſed ut mercatores pro communi commodo & non pro proprio burſello... artem lanæ exercebant*. Clarius adhuc Marcus Boſſius: *Iſti namque ſic in Sacris conſtituti non propterea reliquerunt lanæ exercitium, quia ipſi tamquam mercatores veraces, mercenarios multos mercede debita conducebant, qui pannos conficerent. Hancque mercantiam faciebant non pro proprio commodo ſed communi; nam quidquid lucri inde proveniebat pannis pretio honeſto, immo aliquantulo viliori venditis pro augmento ordinis exponebatur; & iſta arte major pars domorum noſtrarum, immo pæne totus ordo ab anteceſſoribus noſtris dotatus eſt; ſicque beati ſumus nos humiliati, qui manducamus labores manuum noſtrarum*. Similia habet alterius Chronici auctor. Nec vero Humiliatorum labor in Ordinis ipſius tantummodo, ſed in pauperum etiam utilitatem redundabat; magnam enim fuiſſe veterum Humiliatorum in egenos omnes liberalitatem tradit præ ceteris æqualis graviſſimuſque auctor Humbertus de Romanis, quintus Ord. Prædicator. Generalis Magiſter, qui anno MCCLXXVI. obiit. Hic itaque de Humiliatis loquens ait: *Non enim habent poſſeſſiones niſi forte paucas interdum, ſed de labore, quem exercent maxime in pannis tam mulieres, quam viri, in quibus operantur, valde fideliter vivunt, & eleemoſynas aliquas faciunt, & religioſos pauperes devote recipiunt* (a).

Flo-

(a) De Eruditione Prædicat. Lib. II. Tract. I. Cap. XXXVIII. in Biblioth. PP. Vol. XXV. pag. 474. Edit. Lugdun. 1677.

Florentinos vero Humiliatos hinc commendari videbimus, quod *de labore manuum ſuarum vivant, non petentes eleemoſynas, ſed dantes eas indigentibus affluenter*. Mediolanenſium pariter Humiliatorum in egenos pietas tunc præſertim effulſit, cum Morimundenſi Ciſtercienſium Cœnobio a Papienſibus militibus an. MCCXXXVII. miſerrimum in modum direpto, exules rebuſque omnibus ſpoliati Monachi, Humiliatorum præſertim liberalitatem experti ſunt; quod ex iiſdem Monachis unus teſtatus eſt in excidii ipſius narratione, quam Ughellius edidit (*a*): *In hujus tamen humanitatis exhibitione fratres de Brevi* (ita pro *de Brera*, ut videtur) *aliis de Ordine Humiliatorum ferventiores extiterunt .... Fratres etiam de* (puncta hic inferuntur, ubi Fratrum domus eſſet appellanda, ſed de Humiliatorum domo aliqua ſermonem eſſe, ipſe verborum contextus docet) *præ alia beneficia, quæ nobis in illo neceſſitatis articulo contulerunt, ad induendos fratres duas nobis pecias optimi panni miſerunt; ſimiliterque fratres de Vicobuldone unam peciam miſerunt*.

V. In ceteris etiam Humiliatorum monumentis plura habemus, ex quibus lanæ pannorumque opificium fuiſſe Humiliatis omnibus commune intelligimus. Ac primo documentum ex Canturienſis Capituli tabulario eductum habemus, in quo an. MCCLVI. IX. Cal. Auguſt. nomine Canturienſis Humiliatorum domus, quæ *de Planella* dicebatur, tres ejuſdem domus Humiliati eliguntur *ad vendendam petiam unam terre .... pro ſanando debito ipſi domui imminenti; quod debitum .... dixerunt eſſe librarum ſexagintaſeptem tertiolorum, fratri andree domus humiliatorum, que dicitur domus fratris Ottatii porte Vercelline, recipienti ..... pro rata librarum vigintiquatuor tertiolorum, quas ipſa domus planelle de intus ipſi domui fratris ottatii dare tenebantur pro pretio lane &c.* Ex quo etiam colligimus mutuum ſibi invicem auxilium Humiliatorum domos præſtitiſſe, quo

(*a*) Ital. Sacr. T. IV. de Archiep. Mediol. in Vita Gulielmi de Rizolio.

quo facilius commodiuſque commercium hujuſmodi exerceretur In Humiliatorum vero Conſtitutionibus, quæ in generalibus Comitiis editæ ſunt, leges complures latas fuiſſe videmus, ut laboribus hiſce ea, quæ Religioſum virum decet, ratione vacarent Humiliati. Itaque gravis culpæ rei dicuntur, *Qui vadunt cum aſino vel jumento per terram ad deferendum .... pannos ad ſolatoria* (*a*); gravioris vero, *Qui pannos vel alias res extra Civitatem ſuam, burgum, vel loca portaverit, vel portari ſecerit ad vendendum* (*b*). Et alibi: *Negotiationem pro extranea perſona facere, vel res mobiles cauſa vendendi emere, niſi tranſmutentur in ſtatum alium nemo præſumat: neque etiam mittant pannos vel alias merces ſeu res aliquas extra Civitatem propriam vel loca ad vendendum. De artificio autem .... Fratres .... rationem ſuis Præpoſitis & aliis pluribus fratribus circa Nativitatem Domini reddant, & tunc univerſo conventui notum fiat debitum univerſum* (*c*). Huc etiam ſpectat, quod in monumento Veronenſi an. MCCLXXII., quod Blancolinius edidit (*d*), legimus: *In Domo Mercandie Fratrum Humiliatorum Sanctæ Marie Nove de la Glara prope Portam*.

VI. Quin etiam unum aliquem fuiſſe in ſingulis Humiliatorum domibus, qui negotiationi univerſæ præeſſet, mercatorque ideo aut negotiator appellaretur, ex iiſdem Conſtitutionibus diſcimus. Inter pœnas enim, quæ iis indicuntur, qui Ordinis res quaſcumque alienare audeant, hæc recenſetur, ut *ad Prælaturam aliquam ſeu Prioratum vel Canevariam aut etiam Mercationis Officium nequeat promoveri* (*e*). Sed nullum illuſtrius hujus rei monumentum, quam argenteum ſigillum, quod dum novi Braidenſis hujus

Col-

(*a*) Diſtinct. II. Cap. VIII.

(*b*) Ibid. Cap. IX.

(*c*) Diſtinct. III. Cap. II.

(*d*) Chieſe di Verona Lib. VI. pag. 219.

(*e*) Diſt. III. Cap. III.

Collegii veſtibuli fundamenta anno MDCCXL. jacerentur, effoſſum eſt, atque in Muſæo noſtro aſſervatur. Illud porro latinis literis ad eruditiſſimum Comitem Antonium Simonettam datis illuſtrare aggreſſus eſt Cl. Ambroſianæ Bibliothecæ Doctor, nunc Tridinenſis Præpoſitus Joannes Andreas Iricus. Epiſtolam eamdem in Actis Lipſienſibus editam habemus (*a*). Atque quod ad literarum, quæ ſigillo inſculptæ ſunt, interpretationem attinet, facile doctiſſimo viro aſſentior. Hæ porro hujuſmodi ſunt, ut ex ejuſdem hic addito typo conſtat: S. FRIS TOMAXIMCATOIS BRAXDE. Quæ omnino ita explicari debent. S. *ſignum* ſeu *ſigillum*. FRIS. *Fratris;* quæ abbreviandi forma frequentiſſime in veteribus monumentis occurrit. TOMAXI. Nomen Humiliati Braidenſis cujuſdam; rudibus enim ſæculis *Tomaxi* pro *Thomæ* facile uſurpatum videmus. MCATOIS. *Mercatoris*, ut facile eruditis lapidum antiquorum interpretibus patet. BRAXDE denique pro BRAYDE ſcriptum arbitror, ut totus literarum ſenſus hic ſit: *Sigillum fratris Tomaxi Mercatoris Brayde*. B. vero medio ſigillo inſculptum Braidenſes ædes deſignare ſolet, quo ſigno & Humiliati ipſi utebantur, ut ex vetere exterioris januæ arcu patet; quoque nos etiam in præſens utimur. Itaque Humiliatos ſigillis hujuſmodi negotiationis cauſſa uſos hinc fuiſſe intelligimus, ut lanas ſcilicet pannoſque ipſi ſuos obſignarent; ac fuiſſe apud illos, qui, quod negotiationi præeſſet, Mercator ideo appellaretur.

VII. Verum quod ad ſigilli hujus ætatem pertinet, non poſſum, quin a Cl. viri ſententia diſcedam. Primo enim ſtatuit, non ante annum MCXXXIV. ſigillum illud confectum: etenim Humiliatos S. Bernardo duce eo tantum anno regularem vivendi formam amplexos, ac Braidenſem domum ab iis conſtructam fuiſſe

(*a*) Ad an. MDCCXL. pag. 612. ubi tamen per typographi errorem annotatur pag. 222.

T. 1. Pag. 160.



Digitized by Google

Digitized by Google

fuiſſe arbitratur. Qua in re, quamvis S. Bernardum non fuiſſe hujuſmodi conſilii auctorem ſuperius oſtenderim, cum tamen per illud tempus alterum Humiliatorum Ordinem conflatum exiſtimem, eruditi Auctoris ſententiam ſequor. At ſigillum idem poſt annum MCLIX. confici minime potuiſſe arbitratur, cum eo anno, inquit, obierit S. Joannes de Meda, qui Humiliatos ad ſuſcipienda Sacra vocatos a mercatura ceſſare juſſit. Verum Humiliatos ipſos Sacris initiatos lanæ opificio vacaſſe jam vidimus. Quid? quod etiamſi ultro daremus, primi Ordinis Humiliatos ab eodem abſtinuiſſe, ſecundi tamen Ordinis viri, ad quos Braidenſis domus, ut vidimus, pertinebat, quique Laici ut plurimum erant, ab illo certe haud abſtinuerunt? Itaque ſigilli hujus ætas non poteſt tam anguſtis ſpatiis definiri, ut non potuiſſe etiam poſt ſæculum XIII. illo uti Humiliatos arbitremur. Illud potius affirmare mihi poſſe videor, anno MCCCXXX. antiquius illud eſſe; per ea enim tempora, ut mox videbimus, Humiliati ab hujuſmodi arte exercenda ceſſarunt. Quod ſi certius aliquid conjectura aſſequi licet, Humiliatos circa annum MCCLXXXII. hoc ſigillo uſos fuiſſe ſuſpicor. Chartam enim eo anno conſcriptam die 22. Novemb. in Collegii hujus noſtri tabulario aſſervatam habemus, in qua inter ceteros Braidenſis domus incolas *fr. Thomaxius pariarius* nominatur. Cui tamen argumento non ſic innitor, ut potuiſſe Thomam alium memorato ſigillo indicari negem.

VIII. Sed quæcumque tandem ſtatuenda ſit hujus ſigilli ætas, florentis apud Humiliatos lanei opificii certiſſimum illud profecto indicium eſt; ut mirum non ſit, hac præſertim ratione Ordinem univerſum opibus domibuſque mirum in modum auctum fuiſſe. Eam ſcilicet lana tractanda famam ſibi Humiliati comparaverant, ut hac de cauſſa a multis urbibus ultro advocarentur. Atque hac præſertim ratione in Etruriam illos invectos fuiſſe, monumentis haud paucis docemur. Ac Florentiæ in primis lanæ faciendæ ar-

Digitized by Google

tem Humiliatos primos exercuiſſe, non ſolum Florentini Scriptores aliique plurimi teſtantur (a), ſed etiam ex Joannis Florentini Epiſcopi literis conſtat, 3. Id. Septemb. an. MCCLI. datis; quibus Præpoſito Humiliatiſque S. Michaelis de Alexandria (ii enim, quod præ ceteris artem hanc callere crederentur, Florentiam acciti fuerant) concedens, ut ab Æde S. Donati, quam primo incoluerant, ad *Capellam S. Luciæ de S. Euſebio* commearent, ſic ait: *Nos itaque attendentes, quod ipſi Fratres ad Eccleſiam S. Donati ad Turrim .... exercere non poſſint commode artem ſuam, videlicet laniſicium, texere pannos, ac vendere, & alia operari, ex quibus poſſent percipere alimenta, cum de labore manuum ſuarum vivant, non petentes eleemoſynas, ſed dantes eas indigentibus affluenter; pro eo quod locus ille diſtat a civitate non modicum, unde minorem habent frequentiam civium mercatorum, deliberavimus ad eorum ſupplicationum inſtantiam illos prope civitatem reducere; ubi gratioſius poterint ſervire Deo, & major exibit odor & forma* (forte *fama*) *de actibus eorumdem, & latius etiam poterunt artis ſuæ gerere mercantiam*. Quæ verba eo libentius protulimus, quo certius de piis religioſiſque Humiliatorum moribus teſtimonium iis continetur. Ac ſane Humiliatos Civibus Florentinis acceptiſſimos fuiſſe alias etiam videbimus. Jamvero Humiliatis hunc in modum Florentiam ingreſſis, veriſimile eſt Piſas, Senas, Piſtorium, ceteraſque, in quibus domus iiſdem fuit, Etruriæ urbes eadem de cauſſa vocatos illos fuiſſe.

IX. Quod autem de his Etruriæ urbibus per conjecturam ſtatuimus, id Perufii, & Arimini contigiſſe, certa monumenta nos docent, quæ Cl. Joſeph Comes Garampius Baſilicæ Vaticanæ Canonicus, ſecretoque Apoſtolico tabulario Præfectus, vir ſacræ erudi-

(a) Auguſtin. Florentin. Hiſtor. Camaldul. Lib. II. Cap. XVIII. Manni Sigilli antichi T. VII. Sig. VIII. Richa Chieſe Fiorent. T. IV. pag. 252. & ſeq. Morigia Storia delle Relig. Cap. XXIX.

eruditionis, ſi quis umquam, ſcientiſſimus in lucem protulit (a). Etenim anno MCCLXI. Thaddæus Comes de Monteſeltro Ariminenſis Prætor, atque ejuſdem urbis, ut vulgo dicebant, *commune*, Humiliatos Ariminum vocaverant, ut *cum eorum Sororibus & Magiſtris de melioribus, qui ſint in partibus Lombardie, laborarent, & facerent laborare pannos de lana cujuſque generis & coloris, exceptis Scarlatis viridibus & auriferis &c.*, quæ ipſa initæ conventionis ſunt verba. Qua etiam de cauſſa, ut auctor idem animadvertit, locus iiſdem Arimini deſignatus ad S. Matthæi ædem, cui proxima erat *gualcheria* & molendinum; atque in Ariminenſibus ſtatutis anni MCCCXXXIV. cautum fuit, ut ſororibus Humiliatis jus ſervaretur *della gualchiera del luogo detto dei Frati Umiliati*. Enimvero Eccleſiam S. Matthæi Cl. auctor deprehendit in veteribus monumentis ſitam dici *intra muros Civitatis ſuper Turrim de Muſchetto* (intra) *Apeſam & Gualcheriam*. *Gualcheria*, ſeu *gualchiera* quid ſit, mox videbimus. Peruſini vero cum anno MCCLXXIX. ſtatuta ſua conderent, id decreverunt: *Quod Poteſtas & Capitaneus debeant dare operam efficacem, quod Fratres Humiliati, qui faciunt pannos in Lombardia, debeant ad civitatem Peruſii proficiſci, & quod ibi Fratres drappariam faciant &c.* Illud vero hic animadvertendum, Inſubres Humiliatos præſertim in lana facienda, ut videtur, excelluiſſe, qui undique ad hunc laborem, ut peritiſſimi artifices, evocarentur.

X. Illud autem, quod proxime recitavimus, *gualcheriæ* nomen nos admonet, ut quid Humiliati in pannis conficiendis præſtarent, enucleatius evolvamus. Vox nempe eſt ab Itala voce *gualchiera* deducta, quæ ſic a Florentinis Academicis definitur: *Edificio, gli ordigni del quale moſſi per forza d'acqua raſſodano i panni* (b). Ex quo conſtat, non illud unice fuiſſe Humiliatorum pro-

(a) Memorie della B. Chiara da Rimini Differt. XVI. num. I.

(b) Vocabolario della Cruſca ad vocem *Gualchiera*.

Digitized by Google

prium, ut pannos conficerent, ſed ut eoſdem denſandos perpoliendoſque curarent. Enimvero in eorumdem Conſtitutionibus molendinorum mentio occurrit interdum; quæ illa ſcilicet fuiſſe videntur, quæ in medii ævi monumentis *Molendina Fullonaria*, ſeu *Molendina ad pannos* vocantur (*a*). Gravis itaque culpæ reus in Humiliatorum Conſtitutionibus dicitur, ſi quis *ſine ſocio fratre ad grantias ſeu molendina permanſerit, & qui mulieres intra domum Molendinorum vel Grantiarum intrare permiſerit* (*b*). Videntur tamen molendinorum etiam ad triticum cæteraſque fruges molendas curam Humiliati ſuſcepiſſe, ut iis ſcilicet hominibus præeſſent, quibus molendarum ſiugum labor incumberet. Id enim, ni fallor, memoratæ Conſtitutiones eodem loco indicant his verbis: *Qui vadunt cum aſino vel jumento per terram ad deferendum bladum ad molendinum vel pannos ad ſolatoria*. Sed clarius adhuc id conſtat ex Bononienſibus Commentariis MSS., qui vulgo *Memoriali del Comune* appellantur, quod omnes Bononiæ initi contractus referri in illos ſummatim conſueverant. In illis porro ad annum MCCLXX. hæc habentur: *Fr. Johannes de Ordine Humiliatorum de Burgo Lamarum, qui nunc eſt pro communi Bononiæ ad cuſtodienda Molendina*. Sed jam ad laneum Humiliatorum opificium revertamur.

XI. Adeo videlicet Humiliatorum fama hac re percrebuit, ut in Siciliam ipſam lanæ faciendæ cauſſa evocarentur. Placet rem hanc univerſam, multis hactenus tenebris involutam, fuſius aliquanto explicare, quod ad veterum Humiliatorum gloriam haud parum conducat. Ac primo Braidenſis Chronici verba ſunt proferenda, quibus tota rei ſeries evolvitur. Sic itaque habet: *A quo* (lanæ opificio) *per magnum tempus non ceſſaverunt, attentis nonnullis*

(*a*) V. de Cange Gloſſar. M. d. & Inf. Latin. T. IV. col. 824. Edit. Venet, 1739. ad vocem *Molendinum Fullonarium*.

(*b*) Diſtinct. II. Cap. VIII.

Digitized by Google

nonnullis pactis per me viſis jam pluribus annis elapſis, inter nobilem Corradum de Lancea de Caſtro Mainardo militem Magiſtrum Portulanum Siciliæ pro parte Sereniſſimi Regis Federici tertii, & Religioſum fratrem Danielem de Braida de Ordine Humiliatorum pro parte Magiſtri generalis, & totius Ordinis prædicti; videlicet, quod ipſe frater Daniel, nomine quo ſupra, debebat ire cum aliquibus ex fratribus dicti Ordinis aptis & numero neceſſario ad exercendum in civitate Panormi miniſterium pannorum de lana, & prænominata ſerenitas debebat concedere perpetuo eidem Ordini Palatium Sellariorum, ubi currere conſueverat aqua, & expendere in reparatione dicti palatii untias ducentas auri, & multa alia; dummodo a tunc inde dicti fratres irent ad habitandum in urbe Pavorini (ita pro *Panormi*) *pro miniſterio pannorum lanæ exercendo &c. ut patet in litteris Sereniſſimi Regis, cum ſigillo ſuo ſecreto datis Cachiæ anno Domini* 1309. *die* 26. *Novembris Indictione octava*. Hæc porro eadem, quamvis brevius, alterius Chronici auctor narrat; quorum deinde teſtimonio Cll. Sormannus (*a*) ac Julinius (*b*) uſi ſunt. Hæc Chronicorum verba cum Puricellius legiſſet, quo tempore totus erat in Humiliatorum monumentis undique conquirendis, lapidem omnem movit, ut rem diligentius inveſtigaret. Itaque in illius ſchedis, quæ in Ambroſiana Bibliotheca aſſervantur, plura huc pertinentia invenimus, epiſtolas nempe aut Puricellii ipſius, quibus, quæ in hanc rem facerent, ab amicis exquirit, aut amicorum ad Puricellium reſponſa. Ac primo quidem viſa eſt ſpes aliqua Puricellio affulgere. Epiſtolam enim Antonini de Amico, viri inter Siculos eruditione clariſſimi, vidi XIII. Calend. Decemb. an. MDCXXXVIII. datam, qua Fridericum hunc Regem de lanæ commercio fuiſſe in primis ſollicitum refert, ſeque in quibuſdam adverſariis ſuis, quibus plurima hac illac a ſe lecta digeſſerat, verba

(*a*) Storia degli Umil. pag. 222.

(*b*) Memor. di Mil. T. VIII. pag. 585.

verba hæc inveniſſe: *Friderici Regis privilegium, per quod conceditur urbi Panormitanæ facultas conficiendi pannos de lana cum multis franchitiis, prout in ipſo privilegio, mediante perſona Ala-franchino Galli Januenſis. Privil. 49. fol.* 34. Privilegii hujus exemplar, ex quo forte aliquid lucis afferri poſſet, ſe conquiſiturum Antoninus ſcribebat. Sed quiſnam hujus inquiſitionis exitus fuerit non video: ego certe privilegium ipſum in Puricellii ſchedis haud reperi. Addebat vero Antoninus certa apud Siculos Humiliatorum monumenta non ſupereſſe: Sanctimoniales tamen eſſe Meſſanæ nonnullas, quæ laneis albiſque veſtibus induerentur, Pœnitentes appellatas: has forte Humiliatas olim fuiſſe: cenſere tamen pleroſque, illas ad Canonicos Regulares potius pertinere. At ſchedulam deinde aliam in iiſdem Puricellii adverſariis comperi ad illum e Sicilia miſſam, qua illi nunciabatur, Humiliatos numquam omnino in Sicilia fuiſſe: Lanæ vero quos vocant Conſules interrogatos, num quid in veteribus ſuæ artis monumentis de Humiliatis inveniſſent, riſu interrogationem hanc excepiſſe, nihilque umquam ſe audiſſe de hujuſmodi hominibus teſtatos fuiſſe.

XII. Itaque Humiliatos numquam in Siciliam penetraſſe arbitror. At vere ne illud ſaltem a Chronicorum auctoribus referri dicemus, quod ſuperius commemoravimus? Fieri enim potuit, ut quæ mutuo conſenſu ſancita hinc inde fuerant, quacumque tandem de cauſſa, ad exitum non perducerentur. Ac nonnulla quidem ſunt, quæ chartæ ab iis ſcriptoribus memoratæ fidem minuunt. Nec me movet Indictio VIII., quæ non anno MCCIX. ſed anno ſequenti MCCCX. congruit; potuit enim (cum dies 26. Novembris apponatur) Conſtantinopolitana, ut ajunt, indictio annotari, quæ Kalendis Septembr. præcedentis anni initium ducebat; quamque revera in Neapolitano regno uſurpatam interdum fuiſſe, evincit Cangius (*a*); ut proinde Indictio VIII., quæ ſolum

(*a*) Gloſſar. Med. & Inf. Latin. T. III. col. 1315. Edit. Ven. 1738.

ſolum anno MCCCX. conveniret, apud Siculos jam a Kalend. Septembr. anni MCCCIX. in uſu eſſet. Levius illud etiam eſt, quod *Cachiæ* urbis nomen, qua literæ conſignantur, numquam in Siculis Scriptoribus invenias; librarii enim mendo tribui id poteſt, qui *Cachiæ* pro *Cataniæ* ſcripſerit, ut *Pavorini* ſemel pro *Panormi* ſcripſit. Sed gravius multo illud quod Conradus de Lancea, cujus ſæpe mentio in hiſtoriis Siculis occurrit, ſiquidem vere ea, quæ audivimus, ab Humiliatis ſcribantur, adhuc anno MCCCIX. vixiſſe dicendus eſſet. At ille, ut Nicolaus Specialis æqualis auctor teſtatur (*a*), jam obierat, antequam Jacobus Aragonum Rex, ac Friderici Siculi frater idem atque hoſtis Italia relicta ſeſe in Aragoniam reciperet. At vero hoc anno MCCXCIX. contigiſſe & Siciliæ Chronicon (*b*), & auctores alii teſtantur (*c*). Itaque decem annis ſaltem ante has literas datas Conradus obierat. Nihilominus totam hanc rem ex integro ab Humiliatis confictam difficile adducor, ut credam. Hujuſmodi enim monumentorum ſuppoſitio tunc fere fieri conſuevit, cum aliquid utilitatis ex ſuppoſitione ipſa ſperare licet. At vero quid potuerint confictis hiſce literis ſpectare Humiliati, non video. Itaque & ſinceras arbitror, & poſſe omnia aliquomodo conciliari exiſtimo. Animadverto enim Chronici Scriptorem ſic loqui: *attentis nonnullis pactis .... inter nobilem Corradum de Lancea &c.* Tum ſubdit; *ut patet in literis Sereniſſimi Regis ... datis ... anno Domini* 1309. Potuit itaque ante annum MCCXCIX. a Conrado cum Braidenſibus Humiliatis tractatus de iiſdem in Siciliam advocandis iniri; tum deinde cauſſa aliqua, ac forte Conradi ipſius obitu intercedente, differri; atque iterum anno MCCCIX. a Friderico Rege renovari, qui literis ſuis potuit utique eorum memoriam revocare, quæ inter Conradum

(*a*) Hiſtor. Sicul. Lib. IV. Cap. XIV. Vol. X. Script. Rer. Ital.
(*b*) Cap. LXI. Vol. X. Script. Rer. Ital.
(*c*) V. Murator. Annal. d'Ital. ad eumd. annum.

Digitized by Google

Conradum atque Humiliatos acta olim fuerant; quamvis deinde ne tunc quidem, quacumque tandem de cauſſa, res ad exitum deducta fuerit. Quod ſi hinc dubitandi ratio alicui ſuboriatur, quod Fridericus, qui anno MCCCIX. in Sicilia regnabat, III. appellatur, qui ſecundus revera erat; tolletur illa omnino, ſi Fridericum II. Cæſarem regnaſſe antea in Sicilia animadvertat; qui cum primus hujus nominis inter Siciliæ Reges eſſet, ſecundus vero inter Cæſares, & hac plerumque appellatione uteretur, factum hinc eſt, ut Fridericus hic illius ſucceſſor tertius a nonnullis diceretur, cum revera ſecundus nuncupandus eſſet.

XIII. Hæc habuimus, quæ de Humiliatis lanæ faciendæ cauſſa in Siciliam evocatis proferremus. Atque utinam illi laborioſum hoc induſtriumque vivendi genus numquam neglexiſſent. Non enim a vetere paullatim diſciplina, Patrumque ſuorum exemplis degeneres, eo denique deveniſſent, ut vix poſſe illos ad Chriſtianæ pietatis inſtituta revocari Romani Pontifices arbitrarentur. At cum ſe divitiis domibuſque mirum in modum auctos viderent, a labore ſibi aliquando ceſſandum eſſe duxerunt, ut iis bonis per otium fruerentur, quæ diuturno ſudore comparaverant, ut Chronici antiquioris auctor teſtatur; ex cujus verbis colligimus, Humiliatos ad annum uſque MCCCXXX. circiter lanæ vacaſſe; Variſienſes tamen Humiliatos antiquum morem, dum Chronici auctor ſcriberet, ſervaſſe; qua in re tamen diu ne perſeveraverint, ignoro. Enimvero, quod ad reliquos Humiliatos pertinet, non ſolum poſt annum MCCCXXX., ſed ne poſt annum quidem MCCC. vix monumentum ullum occurrit, quo hujuſmodi opificium commemoretur. Sed jam ad alia Humiliatorum munera progrediamur.

XIV. Cum enim hac lanæ faciendæ, pannorumque contexendorum arte Humiliati celebrarentur, ac plurimum viderentur prodeſſe Reipublicæ, viſum eſt e re fore, ſi alia etiam munera iis committerentur, quæ integros ſpectatæque fidei homines, ac de publica

publica tantum utilitate ſollicitos requirerent. Hinc anno MCCXLVIII. Bonifacius de Sala Mediolanenſis Prætor, Corio teſte (*a*), legem tulit, ut in publicas tabulas eorum nomina referrentur, qui Mediolanenſi Communitati, ut ajebant, quidpiam deberent; quarum deinde exempla apud Braidenſes Humiliatos aſſervarentur. Similia de Novocomenſibus Humiliatis Benedictus Jovius (*b*) refert, qui etiam addit, eorum omnium curam Humiliatos geſſiſſe, ex quibus commercii integritas penderet: *Per tempora*, inquit, *Reipublicæ Comenſis Fratres Regulares*, & *præſertim Ordinis hujus* (Humiliatorum) *ponderum* & *eorum officiorum*, *per quæ fraudes artificum inhiberentur*, *curam habebant: bona*, *quæ creditores a debitoribus auferebant*, *Fratribus Rondenarii credebantur; pecuniæ*, *quæ tuto exolvi non poſſent*, *apud ipſos deponebantur*. Hieronymus Gilius etiam in Senenſi Diario, ubi Magiſtratum publicis redditibus præfectum commemorat, diu publicam eorumdem redditum adminiſtrationem apud Religioſos viros, atque apud Humiliatos præſertim & Ciſtercienſes fuiſſe ait, ex quo, addit, ſatis conſtat, quanta eſſet apud Senenſes hujuſmodi hominum fama, quibus munera hæc illi committerent, quod etiam hinc colligi ſubdit, quod Fr. Dominicus quidam ex Ordine Humiliatorum delectus fuit anno MCCXCIII., qui, dum Paganici in Etruria Caſtrum conſtrueretur, ædificationi ipſi operiſque præeſſet (*c*). Alexandriæ pariter, Ghilino teſte (*d*), cum de Bormidæ aquis dividendis lex lata eſſet anno MCCCCXCII., Humiliatis id negotii datum eſt, ut eos eligerent, qui legis executionem urgerent. Similia præterea Humiliatis Caſalenſibus commiſſa fuiſſe monumentis

(*a*) Hiſt. di Mil. al eumd. an.

(*b*) Hiſtor. Patriæ Lib. II.

(*c*) Diario Saneſe P. II. pag. 229. V. etiam ejuſdem Emendationes ad calcem I. partis ejuſd. Diarii ad diem 31. Maji.

(*d*) Annali d'Aleſſand. ad an. 1496. num. 3.

mentis docemur, quæ Hiſtoriæ ſuæ MS. Caſalenſis S. Evaſii Eccleſiæ Præpoſitus Benedictus Collius inſeruit, quæ hic proferimus: *1276. Indict. 4. die Ven. 13. Martii: Jacobus de Morzano Judex & Vicarius Martini Aviani Poteſtatis Caſalenſis, præſentibus & conſentientibus Joanne Cane, & Guillelmo Roba Conſulibus Militum & Populi Caſalis, Fr. Guillelmum de Leventino ex Ordine Fratrum Humiliatorum conſtituit ſuper adminiſtratione & gubernio Laborerii Eccleſiæ S. Evaxii, eumque de domibus, vineis, terris & poſſeſſionibus ad idem Laborerium pertinentibus, cum omnimoda auctoritate & bayla locandi, permutandi, vendendi, & exigendi nomine Communitatis Caſalenſis, inveſtivit. Ibique incontinenti Fr. Albricus ex eodem Ordine Humiliatorum, qui antea ad prædicti Laborerii regimen fuerat a Caſalenſi Capitulo deputatus, domos omnes cum ſediminibus, vineis, decimis, pecuniis, rebuſque aliis ad Laborerium ipſum ſpectantibus eidem Fr. Guillelmo conſignavit. Actum Caſali in Palatio Domini Epiſcopi Vercellenſis præſentibus teſtibus Gabrono & Petro ſervitoribus communis.* Anno vero MCCCV. in eodem munere Guillelmum hunc confirmatum videmus: *1305. die mercurii 17. octobris: Benzadanus de Sancto Nazario Poteſtas Caſalenſis de expreſſo conſenſu Conſulum, Militum, & Populi in pleno & generali Conſilio adminiſtrationem laborerii Sancti Evaſii Fr. Guillelmo de Leventino, qui uſque de anno 1276. hujuſmodi laborerium per manus prædictæ Communitatis ſuſceperat, diſponendum cum omnimoda poteſtate commiſit. Interfuerunt Aycardus de Curte, & Ruffinus de Nova, & Antonius de Pulia teſtes.* Refert porro ejuſdem Hiſtoriæ MS. auctor graviſſimas hac de cauſſa controverſias inter Caſalenſis Eccleſiæ Capitulum, & ejuſdem urbis *Commune* excitatas fuiſſe; cum utrumque adminiſtrationis hujuſmodi jus, illiuſque, cui liberet, committendæ arbitrium ſibi vindicaret. Sed hæc ab inſtituto noſtro aliena. Fateor quidem ex Caſalenſibus hiſce Monumentis, atque etiam ex allatis Gilii verbis non ſatis conſtare, ad tertium ne an vero ad alterum Ordinem Humiliati, qui in iis commemorantur, ſpectarent. Sed cum

aliis

aliis monumentis doceamur, munera hujuſmodi ſecundi, atque interdum etiam primi Ordinis Humiliatis fuiſſe commiſſa, probabiliter ſtatuere poſſe videmur, ad alterutrum hos etiam pertinuiſſe. Illud autem profecto ad primi Ordinis Humiliatos pertinuit, quod ex charta an. MCCCXVII. Florentiæ apud Joannem Baldovinettum ſervata colligimus; in ea enim, ut ad me ſcripſit alias laudatus Cl. Dominicus Maria Mannius, vexillifer Juſtitiæ, & Priores Artium, ut ajunt, Jacobo Ord. Humiliatorum mœnium Florentiæ conſtructioni præfecto facultatem faciunt lavacri ad Molendinorum Portam inſtaurandi, quo Humiliati laneis pannis lavandis uterentur.

XV. Quid? quod interdum armatas ipſas copias Humiliati ſequebantur, ut ſumptuum, quotquot ad bellum gerendum requirerentur, rationem haberent? Etenim Cl. P. Ludovicus Luchius Abbas Ord. S. Benedicti in veteribus Brixiæ ſtatutis decretum hoc ſæculo XIII. exeunte editum, atque his conceptum verbis legiſſe ſe, narrat (a). *Quod duo fratres religioſi de domibus humiliatorum vel eccleſie ſancti luce* (hæc porro ad primi Ordinis Humiliatos pertinebat) *mittantur pro communi brixie in quemlibet exercitum faciendum pro communi brixie, qui recipiant denarios omnes, de quibus debebunt fieri expenſe in quolibet exercitu, & faciant ipſas expenſas, & ſciant ſcribere ipſi fratres, vel aliquis eorum, ita quod ſcribant illas*. Nec vero eſt quod miremur, novum hoc munerum genus Brixienſibus Humiliatis demandatum fuiſſe, cum ſecundi Chronici auctor teſtetur, Humiliatos in *quamplurimis civitatibus Lombardiæ exercuiſſe officium Canevariæ circa monitiones Civitatum; & hoc non per vadum* (forte *modum*) *tributi ad officium accedebant, ſed ex confidentia claves monitionum dabantur, ſcilicet Prælato Breræ pro Communi Mediolani, Prælato Domus Cumenſis pro Commune de Cumis, Præpoſito S. Marci Tertonæ pro ejuſdem commune, & ſic dico* in

(a) Monumenta Monaſt. Leonenſis pag. 83.

in pluribus aliis Civitatibus. Hæc Chroniei auctor; quo loco duæ potiſſimum voces ſunt explicandæ; quid ſcilicet *Canevaria*, quid *Munitio* ſignificet. Et *Canevaria* quidem a Canevario dueitur, qui, ut Cangius exemplis allatis probat (*a*), cuſtodem arcæ publieæ, ſeu ærario præfectum ſignificat. *Munitio* autem, eodem Cangio teſte (*b*), generis cujuſcumque annonam ac cibaria denotat.

XVI. Utrumque autem munus Humiliatos exercuiſſe non ex allatis tantum Chroniei verbis, ſed etiam ex veteribus monumentis colligimus. Ac primo veteris chartæ apud ſe ipſum aſſervatæ fragmentum ad nos miſit, quem jam laudavimus, Novarienſis Canonicus Joannes Baptiſta Bartolus, ex qua Canevarii munus in Novarienſem Humiliatum collatum fuiſſe eruimus: *Anno Dominice Incarnationis mileximo ducenteximo quinquageſimo octavo Indictione prima exiſtente Poteſtate Novar. D. Rocco de Strata ... die lune* 11. *exeunte Februario. In Pallatio communis Novarie In preſentia Gulielmi Bollini, Ugonis Balliotti, Joannis de Archamar* (ita), *Guidonis de Alſerio, & Vercelli de Gandulſo, & Jacobi de Petrorio Conſulum Juſtitie Novar. Comes Gullielmus & Comes Guido fil. quondam alterius Guidonis de Blandrate &c. fuerunt confeſſi ſe ſe recepiſſe & habuiſſe a Fratre Olrico de Sancto Symeone Canevario Communis Novarie, vice & nomine Communis Novar. libras quinque millia ſexcent. Imper. &c.* Domum porro S. Simonis primi Ordinis Humiliati Novariæ incolebant. Florentiæ etiam eamdem ſæpe Humiliatis curam traditam fuiſſe novimus. Ita Joannes Villanus: *Camerlinghi della pecunia* (quæ vox apud Florentinos idem ſonat, ac pecuniæ publicæ præfectos (*c*)) *fecero i Frati Religioſi della Badia di Settimo, e d'Ogniſſanti* (qui poſtremi Humiliati erant) *di ſei in*

(*a*) Gloſſar. Med. & Inf. Latin T. II. col. 111. Edit. Ven.
(*b*) Ibid. T. IV. col. 1040.
(*c*) V. Vocabol. della Cruſca ad vocem *Camarlingo*.

in ſei meſi (*a*). Hanc ipſam vero dignitatem annis MCCCXX. & MCCCXXIX. in Humiliatos collatam fuiſſe teſtatur P. Joſeph Richa S. I. (*b*). Maſinus pariter Ord. Humil. *Camerarius Communis Senenſis an.* 1316. memoratur a Cll. PP. Mittarelli & Coſtadoni (*c*). Alexandriæ etiam jam ab anno MCLXXXIX. publico decreto edictum fuiſſe, Ghilinus ſcribit (*d*), ut ſingulis annis ex Humiliatis deligeretur, eorumdem Præpoſito aſſentiente, publicus ratiocinator, cui etiam liceret Civium conciliis intereſſe. Hanc vero operam, ut pecuniæ ſcilicet reddituumque curam gererent, non Reipublicæ tantum, ſed ſingularibus etiam perſonis præcipua aliqua dignitate ſpectandis, præſtitiſſe Humiliatos interdum, monumento docemur, quod primus in lucem Lucas d'Achery protulit (*e*) ſic inſcriptum: *Inſtrumentum de Confeſſione Domini Cardin. Mediolanenſis Citramontani* (Simon de Borſano hic fuit Cardinalis & Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui ſchiſmate inter Urbanum VI. & Clementem VII. Pſeudopontificem exorto, hujus partes ſequutus eſt, de quo Saxium conſule (*f*)) *in mortis articulo facta in Civitate Nicæ* 26. *Auguſti* 1381., *qua confitetur Urbanum VI. non fuiſſe legitime electum*. In hoc enim, ubi hujus confeſſionis teſtes recenſentur, hæc habentur: *Coram D. Fratre Petro de Alzate, Ordinis Humiliatorum, & Præpoſito domus S. Mariæ de Brayda Mediolanenſi Camerario meo*. Neque enim vox illa *Camerarius* videtur hoc loco Cubiculi cuſtodem ſignificare, ſed, quo ſæpe ſenſu illam uſurpari animadvertit Cangius (*g*), cenſuum & redditunm curam gerentem.

XVII.

(*a*) Lib. VII. Cap. XVII.
(*b*) Chieſe Fiorentine T. IV. Lezione XXV.
(*c*) Annal. Camaldul. T. V. pag. 373.
(*d*) Annal. d'Aleſſandria ad an. 1189. num. 4.
(*e*) Spicileg. T. I. pag. 766. Edit Pariſ. 1723.
(*f*) Series Archiep. Mediol. T. III. pag. 815. & ſeq.
(*g*) Gloſſar. T. II. col. 78. Edit. Ven.

Digitized by Google

XVII. De annonæ vero adminiſtratione Humiliatis commiſſa illa mihi intelligenda videntur, quæ Muratorius ex Inſtrumento Mutinenſis Reipublicæ anni MCCLX. protulit (*a*): *Frater Albertonus de Ordine Fratrum Humiliatorum Maſſarius generalis Communis Mutinæ*. Maſſarius enim videtur hic eo ſenſu accipiendus, qui tertius in Maurina, qua utimur, Cangii editione numeratur (*b*), ut idem ſit nempe ac *adminiſtrator ſeu diſpenſator*; quod munus Claravallenſibus etiam Parmenſibus Monachis commiſſum interdum fuiſſe ex Parmenſi Chronico apud eumdem Cangium videmus. Sed clarius adhuc ex Florentino monumento hoc ipſum conſtat, quod cum aliis quamplurimis noſtro huic operi perficiendo ad nos tranſmiſit Dominicus Maria Mannius. Illius hoc eſt initium, quod ſolum ad rem noſtram hic facit: *Coram vobis religioſis viris Fratribus Pagni Ferri de Florentia Camerlingo Communis Florentie, & Jacobo Berti de Florentia ad gubernandum frumentum, quod pro dicto communi Florentie conducitur deputato, Ordinis Fratrum humiliatorum de conventu omnium Sanctorum de Florentia; tamquam Cam. pub. & autenticis perſonis &c. anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſecundo indictione ſeſta die 17. menſis novembris ſecundum curſum Florentinum*. Alexandriæ vero arcis ipſius turriumque cuſtodiam concreditam Humiliatis fuiſſe Ghilinius narrat: *Conſegnarono al Prepoſito loro una chiave di ciaſcheduna delle rocche della loro Città, acciocchè ſenza ſuo conſenſo non ſi apriſſero* (*c*).

XVIII. Qui munera hujuſmodi exerceri ab Humiliatis conſueviſſe viderit, facile ſuſpicetur, ſuis illos legibus ita fuiſſe inſtitutos, ut iis potiſſimum fungerentur. At ſi lanæ pannorumque opificium excipias, non ſolum nullis illi legibus cogebantur, ut muneribus hiſce vacarent, ſed ne eadem Humiliatis imponerentur,

(*a*) Antiquit. Ital. T. V. col. 192.

(*b*) Gloſſar. T. IV. col. 515. Edit. Ven.

(*c*) Annali d'Aleſſand. ad an. 1169.

rentur, diu Pontifices obſtitere. Itaque plures habemus Innocentii IV. literas huc ſpectantes, quas ſuo loco edemus. Ac primo binas habemus eodem anno, eodemque die datas, nempe VII. Id. Jun. an. MCCXLVII. alteras ad Mediolanenſem Archiepiſcopum, ad Humiliatos ipſos alteras, quibus conqueri Humiliatos narrat, *quod poteſtates & rectores civitatum, caſtrorum, & aliorum locorum lombardie fratres ſuos primi, ſecundi, & tertii Ordinis frequenter ad exercenda ſecularia Officia pro ſua voluntate compellunt, in ejuſdem Ordinis, nec non ſuarum domorum, quarum negotia propter hoc coguntur omittere, prajudicium & gravamen*. Itaque mandat, ne quis Humiliatos impoſterum hujuſmodi muneribus diſtineri velit. At Mediolanenſi provincia per id tempus Friderici II. bellis turbata, cum omnia armis ferverent, Pontificis Lugduni commorantis epiſtolæ parum Humiliatis in Inſubria profuerunt. Itaque cum alia iterum atque alia munera, quæque Religioſos viros minus decerent, ac laboris & periculi plena, Humiliatis imponerentur, fieri hinc cœpit, ut moleſtiæ hujus vitandæ cauſſa ex iiſdem nonnulli ad alios Religioſos cœtus confugerent. Aliis ergo literis Lugduni XIV. Cal. Februar. an. MCCXLIX. ad Braidenſes Humiliatos datis, Innocentius ſe accepiſſe retulit, *quod cum tam a legatis Sedis Apoſtolice, quam Communi Mediolanenſi hoc precipue adverſitatis tempore nonnullis de fratribus* (Humiliatis) *diverſa officia committantur, eorum aliqui, ut ipſa valeant evitare, ad alias religiones ſe transferunt Miniſtri ſui non petita licentia vel obtenta*. Id vero ne impoſterum fiat, Pontifex mandat; ut nemini ſcilicet, Pontificis aut Generalis Magiſtri facultate non impetrata, ab Humiliatis ad Religioſos alios cœtus tranſire liceat. Verum cum iiſdem interea muneribus adhuc vexarentur Humiliati, anno MCCLI. Romam rediens Innocentius, cum Mediolanum veniſſet, querelis hac de re iterum ad illum delatis, literas ſuas ad Mediolanenſem, Brixienſem, ac Papienſem Antiſtites dedit XII. Cal. Sept. ex quibus novum etiam muneris genus Humiliatis concreditum

ditum videmus. *Nos*, inquit Pontifex, *eorum ſupplicationibus incli-nati, ut fratres primi & ſecundi Ordinis eorum communia negotia ci-vitatum vel aliquorum locorum exercere, vel pedagia colligere minime teneantur eis .... duximus indulgendum.*

XIX. At quæcumque fuerit illorum Præſulum in Pontificiis mandatis exequendis diligentia, nihilo melior effecta eſt Humiliatorum conditio; quin immo non iiſdem modo, ſed vilioribus adhuc muneribus fungi illi jubebantur; ut ſcilicet ad ipſas urbis portas conſiſtentes frugum, quæcumque inveherentur, menſuram ac pondus exquirerent; cumque illi negarent licere ſibi hujuſmodi operam Reipublicæ præſtare, vi nihilominus ad hæc munera compellebantur. Hæc ſcilicet ex aliis Innocentii literis intelligimus ad Mediolanenſem Archiepiſcopum paullo poſt datis, Brixiæ ſcilicet X. Cal. Octob. MCCLI., quas jam Cl. Julinius in lucem emiſit (*a*). Iis porro delatum ad ſe fuiſſe refert, *quod Poteſtas & Comune Mediolanen. Fratres Primi & Secundi Ordinis Humiliatorum Officia publica ſeu Comunitatis gerere, ac exigere pedagia, & ad Portam Civitatis ſtare, ut blada & farinam ponderent ſeu menſurent per captionem bonorum ſuorum, & per inhibitionem, quod homines mercimonia cum ipſis non exerceant, neque molant in mollandinis eorum pro ſua voluntate compellunt.* Itaque Archiepiſcopum iterum monet, ut Humiliatos ab hiſce injuriis ſtrenue vindicet, eoſque hujuſmodi muneribus exerceri haud ſinat: quod ſi ille hac in re negligentem ſe præbeat, Modoetienſi Archipresbitero ſe in mandatis dediſſe ait, ut illum *ad id monitione premiſſa auctoritate* Pontificia *appellatione remota compellat*. Sed & hunc Innocentii conatum irritum cecidiſſe, ejuſdem nos literæ docent anno inſequente III. Id. Auguſt. ad Novarienſem Epiſcopum datæ, cui, novis acceptis Humiliatorum hac de re querelis, mandat ut Mediolanenſem *Poteſtatem & Comune, quod ab eorumdem fratrum ſuper premiſſis*

(*a*) Memor. di Mil. T. VIII. pag. 92 & 654.

miſſis compulſione ac moleſtatione omnino deſiſtant, monitione premiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellat. Verum cum hac de cauſſa plurimas Humiliati moleſtias, ac damna plurima paterentur, tandem Innocentius idem literis ad Generalem Humiliatorum Magiſtrum Romæ Idib. Decemb. anno MCCLIII. datis, Magiſtri ipſius arbitrio permiſit, ut in his muneribus ſuſcipiendis ita ſe gereret, prout ſuorum incolumitati ſimul atque honeſtati expedire arbitraretur.

XX. Vidimus in allatis Innocentii literis hæc præcipue munera commemorari, pedagiorum collectionem videlicet, & ad urbium portas cuſtodiam, ne quid fraudis in invehendis frugibus adhiberetur. Quæ non ex Pontificiis tantum literis, ſed ex aliis etiam monumentis conſtant. Id ipſum enim Alexandriæ etiam fieri conſueviſſe Ghilinus narrat (*a*): *Vollero ancora* (Alexandrini Cives) *che Umiliati foſſero i pedaggieri, che riſcuotevano il pedaggio delle porte pubbliche della Città, e del Ponte del Tanaro, i quali erano dal Prepoſito eletti di ſei in ſei meſi.* In Mutinenſibus pariter ſtatutis an. MCCCXXVII. hæc haberi Muratorius refert: *Frater qui colligit pedagium Stratæ pro Communi Mutinæ* (*b*); ubi quamvis cujus cœtus frater ille fuerit, non indicetur, probabile tamen eſt, quod Humiliatorum proprium alibi fuit, Mutinæ etiam fuiſſe. Generatim vero de Mendicantibus, ut vocant, ait ibidem Muratorius: *In Mutinenſi Republica adhibitos fuiſſe eodem ſæculo XIII. & ſubſequenti XIV. fratres Mendicantes ad ſollicillorum vectigal, & reliqua tributa colligenda, & ad ſignandas menſuras grani, ſive frugum, vini & olei, ſtateras &c.*, quibus poſtremis verbis ea confirmantur, quæ ſuperius ab Innocentio referri audivimus, Humiliatos ſcilicet interdum ad urbium portas ſtare juſſos, ut fraudes in invehendis mercibus prohiberent; quo etiam ſpectaſſe videtur Bene-

 dictus

(*a*) Ann d'Aleſſand. ad an. 1189. num. 4.
(*b*) Antiquit. Ital. T. V. Col. 390.

dictus Jovius, cum Humiliatos *ponderum & eorum officiorum*, *per quæ fraudes artificum inhiberentur* curam habuiſſe refert, ut jam vidimus.

XXI. Hæc fere ſunt, quæ Humiliatis commiſſa fuiſſe Reipublicæ cauſſa ex veteribus monumentis colligimus. At Hieronymus Borſierius hanc etiam laudem Humiliatis tribuit, quod Artificum Collegia, quæ vulgo *Badie* vocantur, Mediolani inſtauranda curaverint (*a*). Quod ego fieri potuiſſe non inficior; at vellem, Borſierius monumento aliquo opinionem ſuam confirmaſſet. Quod vero Helyottus (*b*), aliique nonnulli referunt, pannos quoque auro argentoque intertextos confici ab Humiliatis conſueviſſe, id falſo dici omnino exiſtimo. Sicuti enim lanæ pannorumque ex lana confectorum frequens in Humiliatorum monumentis eſt mentio, ut vidimus, ſic numquam aliud hoc pannorum genus in iiſdem commemoratum vidi. Sed de iis Humiliatorum muneribus, quæ in Reipublicæ commerciique utilitatem redundarent, ſatis. Nunc alia aggrediamur eorumdem munera, quæ magis Religioſos viros decere videbuntur.

XXII. Ac primo hoſpitalium domorum, ſeu quæ ægrotis, ſeu quæ advenis alendis paterent, curam Humiliatis commiſſam, haud raro videmus; ac frequentius quidem iis, qui ad tertium; interdum tamen iis etiam, qui ad primum alterumve Ordinem pertinerent. Itaque ut, quæ eodem ſpectant, uno intuitu conſpicienda proponamus, de iis etiam hoſpitalibus domibus hoc loco ſermo erit, quæ tertii Ordinis Humiliatis fuerunt concreditæ, eo magis, quod qui illarum curam gerebant, clauſtralis quoddam vitæ genus videntur duxiſſe, voto etiam aliquo, ut ex mox proferendo documento conſtabit, obſtricti. Jamvero Modoetienſes tertii Ordinis Humiliati ante omnes occurrunt. Ædes ſcilicet

(*a*) Supplem. alla Nobiltà di Mil. Cap. IV.
(*b*) Hiſt. des Ordr. Relig. T. VI. Cap. XIX.

licet adhuc Modoetiæ ſupereſt, (locum pium Convenii dicunt) illa ipſa, quam altera Diſſertatione commemoravimus, quamque S. Bernardi & effigie & nomine deſignari diximus. Pauperum inopiæ ſublevandæ ſtatuta eſt illa; eidemque publicum Noſocomium, quod pariter a S. Bernardo nomen obtinuit, obnoxium eſt, ut Convenii adminiſtratores iidem & Noſocomio præſint. Utrumque porro ad Humiliatos tertii Ordinis olim pertinuit; atque ipſum Convenii nomen, quo deſignatos fuiſſe primis temporibus Humiliatos vidimus, facit, ut hoſpitalium domorum, quotquot commiſſæ illis fuerunt, hanc omnium antiquiſſimam arbitrer. Ac dolendum ſane eſt ſeu ætatis vitio, ſeu quacumque alia de cauſſa, pauca ibi ſupereſſe priſcorum temporum monumenta. Cum enim ſingula luſtrarem, nullum antiquius anno MCCLV. 20. Decemb. occurrit, quo Petrus quidam Rubeus vendit *fratri Jacobo Miniſtro & Canevario Convenii tertii Ordinis Humiliatorum terre Modoetie perticas ſeptem in territorio Liſſoni*; & rara etiam poſt hunc annum inveniuntur. Unius fragmentum placet hic afferre, an. MCCCXCVI. 14. Auguſti: ex eo enim & Convenii & Noſocomii adminiſtrandi forma colligitur. Hæc itaque ibi habentur: *Convocato .... capitulo fratrum domus convegnii tertii Ordinis humiliatorum de modoetia mediolanen. dioceſis in domo fratrum hoſpitalis ſancti bernardi de modoetia, quod hoſpitale ſancti bernardi eſt immediate ſubjectum dicte domui convegnii tertii Ordinis humiliatorum de modoetia, & communi modoetie, de mandato & in preſentia religioſi viri fratris ſteſanini de brolzago miniſtri dicte domus dicti convegnii, in quo ... aderant ... cum eo fratres ſymonetus de ſondri, & bombonus de adrardis ambo fratres & profeſſi dicte domus, qui ſunt major & ſanior pars .... ymo verius totum & integrum capitulum dicte domus ..... ibi frater Johanolus de carugo miniſter dicti hoſpitalis ſancti bernardi de modoetia, attendens quod ipſe frater Johanolus non eſt ydoneus nec ſufficiens regimini ... dicti hoſpitalis propter ſuam ſenectutem ... reſignat in manibus dictorum miniſtri .... miniſterio*

dicti hoſpitalis &c. Eodem anno ac die, *cum vacharet hoſpitale ſancti bernardi... per reſignationem ſponte factam per fratrem Johanolum de Carugo ... & convocato ... capitulo dicte domus convegnii .... & advocatis dicti convegnii electis in conſilio dicti communis juxta conſuetudinem & ordinationem dicti communis, ad quod tam ex jure, quam ex antiqua hactenus conſuetudine approbata pertinet, & ſpectat electio & diſpoſitio ... dicti miniſtri &c.* Poſt plura alia verba Noſocomii miniſter ſeu rector jubetur Frater Antonius de Cernuſco. Animadvertenda autem præ ceteris verba illa *fratres & profeſſi dicte domus*. Hinc enim, ut innui, colligere licet, voto aliquo obſtrictos fuiſſe Humiliatos, qui convenio præeſſent, quo ſcilicet diligentem ſe operam in iis redditibus adminiſtrandis collaturos pollicerentur. Quo potiſſimum tempore Convenii & Noſocomii curam exuerint Humiliati, non conſtat. Monumenta ego quidem an. MCCCCLVI., atque etiam MCCCCXCII. vidi, in quibus Convenii adminiſtri *Fratres* appellantur: facile vero Humiliatos eos fuiſſe crediderim, quamvis illorum cœtus non indicetur. At poſt ſæculum XVI. initum numquam, quod viderim, adminiſtri iidem *Fratres* dicuntur; ut per ea tempora, quibus ſcilicet tertius Humiliatorum ordo fere omnino diſſolutus eſt, hac etiam cura ſolutos illos fuiſſe exiſtimem.

XXIII. Senis etiam tertii Ordinis Humiliatos hoſpitali pauperum domui præfuiſſe, quæ olim S. Mariæ de Miſericordia appellabatur, nunc vero in gymnaſii publici uſum, quod *Sapientiam* vocant, converſa eſt, monumentis haud paucis docemur, quæ adhuc in earumdem ædium tabulario aſſervantur, ut amiciſſimus idemque eruditiſſimus P. Benedictus Vulpius Soc. Jeſu, alias laudatus, ad me ſcripſit; qui hæc inter cetera enumeravit: Clementis V. literas nono ſui Pontificatus anno datas, in quibus hæc habentur: *Sane dilecti filii Buoncompagni Rectoris domus S. Mariæ de Miſericordia pauperum Senenſ. Ordinis Humiliatorum conqueſtione accepimus;* alias Bonifacii IX. anno altero ſui Pontificatus datas

Dilecto

Dilecto filio Rectori & fratribus domus pauperum S. Mariæ de Miſericordia Ordinis Humiliatorum, quibus literis domus ejuſdem patrocinium Pontifex ſuſcipit; quod etiam Martinus IV. ſuis literis ante alios præſtiterat datis *dilectis filiis Rectori & fratribus domus S. Mariæ de Miſericordia pauperum Senenſ. Ord. Humil.* Quibus monumentis quamvis Humiliati hujus domus adminiſtri tertii Ordinis non appellentur, hujuſmodi tamen illos fuiſſe & ex eorum legibus, quæ ibi ſervantur, & ex eo etiam patet, quod unicam primi alteriuſque Humiliatorum Ordinis Senenſem domum Chronicorum auctores recenſent, S. Thomæ appellatam, ut VII. Diſſertatione videbimus. Bononienſes pariter tertii Ordinis Humiliati hoſpitalis domus adminiſtratores fuerunt, quod ex iis præcipue commentariis cognoſcimus, quos hac ipſa Diſſertatione num. X. commemoravimus, vulgo *Memoriali del Comune* appellatis. In iis enim Fr. Belviſini de Majo tertii Humiliatorum Ordinis teſtamentum refertur, die 8. Octob. an. MCCCXI. conditum, quo multa *Hoſpitali S. Bernardi tertii Ordinis Humiliatorum* legantur. Domum hanc anno MCXCIX. a Griffonia gente conſtructam fuiſſe teſtatur Matthæus de Griffonibus (a): *Illi de domo Griffonorum fecerunt ſibi hoſpitale S. Bernardi in Bononia in Capella S. Margaritæ;* quod etiam Matthæus ipſe in ſupplice quodam libello, quem circa an. MCCCCIV. Cardinali Coſſæ Legato obtulit, iterum confirmavit. At diligentiſſimus Bononienſium antiquitatum inveſtigator ac vir Cl. Cajetanus Montius, cui ea fere omnia debeo, quæ de Bononienſibus Humiliatis dicturus ſum, non adeo antiquam eſſe hujus domus originem arbitratur, illamque poſt annum MCXCIX. conditam fuiſſe; addit vero Humiliatos S. Bernardi ædes uſque ad an. circiter MCCCCXXXVIII. videri incoluiſſe; nullam enim occurrere poſt eadem tempora eorumdem men-

(a) Memor. Hiſtor. Rer. Bonon. ad an. 1199. Vol. XVIII. Script. Rer. Italic. col. 108.

mentionem. Jamvero de Noſocomiis ſecundi & primi Ordinis Humiliatis commiſſis pauca dicenda ſunt.

XXIV. Atque ad alterius Ordinis Humiliatos quod ſpectat, domum illi Bergomi habuere de Raſulo dictam, ſeu ab Eccleſiæ Patronis, SS. Mariæ & Bartholomæi, quæ nunc ad PP. Ord. Prædicatorum pertinet. Huic vero Noſocomium proximum erat Humiliatorum eorumdem curæ concreditum. Primam hujus originem habemus in Libris Cenſuum Bergomenſis Epiſcopatus ab anno MCCCCLII. ad an. MCCCCLXII. confectis, quæ in ſecretiore ejuſdem Epiſcopatus tabulario aſſervantur: ibi enim hæc habentur: *Prepoſitus, fratres, & Monaſterium Sanctorum Marie & Bartolomei in Prato S. Alexandri Ordinis humiliatorum dare tenetur quolibet anno perpetuo pro cenſu pro Eccleſia & Hoſpitali S. Bartolomei ex inſtitutione Domini Cremoſani de Crema, qui ipſam Eccleſiam & Hoſpitale fundavit, & voluit quod confirmatio prepoſiti & fratrum ejuſdem monaſterii ſpectaret ad Dominum Epiſcopum & Prepoſitum Eccleſie Pergamen. ut patet in carta fundationis ejuſdem Hoſpitalis tradita per Valentinum de Caviate die 6. menſis .... MCCXXI. Patet etiam in carta collationis facte de predicta prepoſitura per Reverendum Patrem Dominum Johannem de Scanzio tunc Epiſcopum & Dominum Alexandrum de Clementibus prepoſitum Eccleſie Pergamen. in perſona fratris Marcheſini de Lalio presbiteri tradita per Bartolomeum Oſſa Not. rogat. die 20. menſis Januar. MCCCVII., & in carta confeſſionis &c., cere laborate libras duas.* Habes itaque & domus hujuſce conditorem Cremoſanum de Crema, & fundationis annum MCCXXI., & jus Præpoſiti eligendi Epiſcopo & Præpoſito Bergomenſi conceſſum. Collationis hoc loco memoratæ, & alterius etiam anno MCCCXLII. factæ monumenta habemus, quæ ſuo loco proferentur; ex quibus etiam conſtabit, quæ onera in Noſocomii adminiſtratione Humiliatis incumberent; ut haberent ſcilicet *quatuor lectos convenientes pro tribus pauperibus & una perſona, que ipſis infirmis ibidem convenienter deſerviat, & quibus pauperibus infir-*

infirmis, & *perſone ipſi*, *prelatus* & *fratres dicte domus de Raſulo teneantur prebere victum convenientem* & *cetera*, *prout convenit*, *neceſſaria*. Domus ac Noſocomii hujuſce Bergomenſes etiam hiſtorici meminerunt Bartholomæus de Peregrinis (*a*), Donatus Calvius (*b*), & Cœleſtinus Bergomenſis (*c*). Quo vero tempore a Noſocomio adminiſtrando Humiliati ceſſarint, non invenio. Sed cum illius mentionem intra annos MCCCCLII. & MCCCCLXII. fieri videam, cumque anno MCCCCLII. exeunte, ut Peregrinus idem refert (*d*), parva complura Noſocomia fuerint in unum redacta, eodem tempore hujus etiam Noſocomii curam Humiliatis ablatam arbitror.

XXV. Papiæ denique S. Juſtinæ hoſpitalis domus ad primi Ordinis Humiliatos pertinuit. Hanc commemorat Romualdus a S. Maria Auguſtinianus Excalceatus (*e*), ſed Humiliatorum illam fuiſſe, ignoraſſe videtur. Nos vero ex Goffridi Cardinalis literis hoc diſcimus, Cerviæ datis Idibus Julii an. MCCXXIX. quas ſuo loco edemus; earum enim hoc eſt initium: *Dilecti filii prepoſitus* & *fratres Eccleſie humiliatorum apud papiam ſupra ticinum ſua nobis petitione monſtrarunt*, *quod cum hoſpitale S. Juſtine nuper eis a Domino Papa libere ſit collatum* &c. Papienſem vero hanc domum eamdem eſſe ac illam, quæ S. Simonis appellatur, quæque ad Humiliatos primi Ordinis pertinebat, cum per Præpoſitum regi dicatur, alias videbimus. At quod pertinet ad hoſpitalem S. Juſtinæ domum, cum nulla amplius hujuſce mentio occurrat, brevi ne an diu apud Humiliatos ſteterit, affirmare non poſſumus.

XXVI. Vereor ne quis ea, quæ hactenus protulimus de Humilia-

(*a*) Vinea Bergom. P. I. Cap. XXIII. & P. II. Cap. XXX.
(*b*) Effemeride Sagro-profana T. III. pag. 269.
(*c*) Iſtoria Quadripart. di Bergamo P. II. Vol. II. pag. 379.
(*d*) Vinea Bergom. P. I. Cap. LIII.
(*e*) Papia Sacra P. I. pag. 74.

Digitized by Google

miliatorum muneribus, legens, de Reipublicæ commodis potius, quam de animarum ſalute, reique Chriſtianæ utilitate ſollicitos illos fuiſſe arbitretur. At quamvis laborioſis hiſce curis multum illi diſtinerentur, multi tamen ex primo Ordine ita Evangelicæ prædicationis munere antiquis temporibus defuncti ſunt, ut plurima eorum fuiſſe in Eccleſiam ipſam merita facile intelligamus. Omnibus porro exemplo ſuo præierat S. Joannes a Meda primi ejuſdem Ordinis fundator, quem plurimas Inſubriæ urbes ſacris Concionibus habendis peragraſſe videbimus, cum de illius rebus geſtis ſermo erit Diſſertatione VI. Patris veſtigia ex filiis non pauci ſtrenue perſequnti ſunt. Nec vero id ſolum præſtare conſueverant, ut impios homines a flagitiis revocarent, aut ſegnes ad Chriſtianæ pietatis ſtudia erigerent, ſed cum hæreticis ipſis, ac Catharis præcipue ſeu Patarenis, qui XIII. ſæculo multas Inſubriæ urbes turpiſſima errorum ſuorum labe infecerant, acriter congreſſi, ita in eoſdem invecti ſunt, ut Humiliatorum conſpectum illi maxime fugerent. Ac ſane ubi de Subalpinis Humiliatis Diſſ. VII. P. II. agemus, videbimus ſtrenuum hæreticis bellum Franciſcum quemdam Mediolanenſem ex Humiliatorum cœtu in iis regionibus indixiſſe. Sed ſplendidiſſimum hujus rei teſtimonium veteribuſque Humiliatis honorificentiſſimum habemus apud clariſſimum ſæculi XIII. Scriptorem Jacobum Cardinalem de Vitriaco, qui anno MCCXL. e vivis ereptus eſt. Hic enim tum plurima alia in maximam Humiliatorum laudem, quæ alibi proferemus, tum hæc præſertim de eorumdem concionibus ſcribit (a): *Fratres autem eorum tum clerici, quam laici litterati, a ſummo Pontifice, qui Regulam eorum & canonica inſtituta confirmavit, auctoritatem habent prædicandi, non ſolum in ſua Congregatione, ſed in plateis & civitatibus, in eccleſiis ſecularibus, requiſito tamen conſenſu eorum, qui præſunt locis illis, prælatorum. Ex quo factum eſt, quod multos*

(a) Hiſtor. Occid. Cap. 28.

multos nobiles & potentes Cives, matronas etiam & Virgines prædicatione ſua ad Dominum converterent, quorum quidam ſæculo penitus renuntiantes, ad eorum religionem tranſierunt; alii autem in ſæculo corporaliter remanentes, licet cum filiis & uxoribus remanſerint; humiliati & a mundi negotiationibus abſtracti, in habitu religioſo, & ſobrietate victus & operibus miſericordiæ permanentes, utuntur hoc ſæculo, ſecundum Apoſtoli conſilium, velut non utentes. Sed & Sacerdotes & Clerici fallacibus hujus ſæculi renuntiantes deliciis, aſſumpto paupertatis habitu Regulari, prædictis Humiliatis ſociantur. Ipſi enim in fine prædicationis ſuæ, dum adhuc audientium corda, virtute divini ſermonis ferventia, proniora ſunt ad mundi contemptum & ad Creatoris ſui ſervitium, ſolent a circumſtantibus quærere, ſi qui ſunt, qui ad eorum religionem divinitus inſpirati velint tranſire. Multis autem in illa ebrietate & ſpiritus fervore ad ipſos tranſeuntibus multiplicati ſunt valde, multos in diverſis civitatibus ex Fratribus ſuis & Sororibus conventus procurantes. Adeo autem formidabiles hæreticis, quos Patrinos appellant (Patarenos nempe, ut diximus, ſeu Catharos) *effecti ſunt, & ita potenter & aperte fraudes eorum detegendo, impios, & incredulos ex divinis Scripturis prudenter convincunt, & publice confundunt, quod jam coram ipſis non audent comparere, multique ex ipſis errorem ſuum cognoſcentes ad Chriſti fidem reverſi, ipſis Fratribus conjuncti ſunt, & ita facti ſunt diſcipuli veritatis, qui fuerant magiſtri erroris. Hi autem acrius omnes notas ſibi vulpeculas capientes, & cognitis ſibi obviantes erroribus, proprio gladio, more David, collum abſcindunt Goliæ; & tamquam fortis mulier Judith caput obtruncant Holoferni, & incidit inimicus in foveam, quam fecit.*

XXVII. Hæc ille; quod graviſſimi Scriptoris teſtimonium, etſi cetera deeſſent, magna fuiſſe veterum Humiliatorum in Chriſtianam rempublicam merita ſatis probaret. Illum porro affirmantem audivimus, fuiſſe id a Romanis Pontificibus Humiliatorum cœtui indultum, ut palam ad populum verba facerent. Hujuſmodi tamen literas ante annum MCCXL. datas (eo enim

A a anno,

anno, ut diximus, Jacobus Cardinalis obiit) invenire hactenus non licuit. At Innocentii IV. literas habemus utique 3. Id. Auguſti Pontific. anno VII. nempe an. MCCXLIX. datas, quibus Archiepiſcopos Epiſcopoſque omnes hortatur, *quatenus dilectis filiis fratribus Ordinis Humiliatorum, quibus ad hoc literarum ſcientia & eloquentia ſuffragantur, predicandi populo publice verbum Dei in ſuis civitatibus & dioceſibus licentiam* concedant. Quibus verbis id Pontifex imperaſſe videtur, ut liceret quidem Humiliatis conciones habere, ſed Epiſcoporum accedente conſenſu atque auctoritate. At cum anno MCCLXXXVII. de Humiliatorum immunitate vehementer ageretur, negarentque illi, ut vidimus, Præſulum auctoritati ſe obnoxios eſſe, Provinciali Synodo ab Othone Vicecomite Archiepiſcopo Mediolani coacta, graviſſimis verbis decretum hac de re conceptum editumque fuit, ex quo & ad illud uſque tempus in eo munere perſtitiſſe Humiliatos, & Pœnitentiæ etiam Sacramentum conſueviſſe illos exteris hominibus adminiſtrare cognoſcimus. Decretum porro ſic habet (a): *Item quia Humiliati indifferenter officium prædicationis uſurpant, Confeſſiones audiunt, injungunt pœnitentias, & abſolutiones concedunt, nec non Parochianos alienos recipiunt ad divina, hoc duximus ſtatuendum, quod ſi ſuper hoc a Sede Apoſtolica vel Legatis ipſius, aliquo privilegio vel privilegiis aſſerunt, ſeu credunt ſe fore munitos, infra tres menſes, poſtquam præſens Conſtitutio fuerit in Civitate noſtra, & Civitatibus noſtræ Provinciæ publicata, Diœceſano vel ejus Officiali, aut Capitulo Cathedralis Eccleſiæ, ſi vacaret, vel ejus Vicario, de hujuſmodi privilegio ſeu privilegiis faciant plenam fidem. Alioquin eos & eorum quemlibet auctoritate præſentis Concilii admonemus primo, ſecundo, tertio, ut a prædictis deſiſtant; quod ſi prædicta facere vel aliquid prædictorum præſumpſerint, ipſos & eorum quemlibet excommunicationis vinculo innodamus*. Quis fuerit hujus controverſiæ exitus, ſuperiore Diſſertatione

(a) Synod. Mediol. an. 1287. Cap. XXV. Vol. VIII. Script. Rer. Ital. col. 1062.

tione retulimus. Poſt annum hunc vero nullum aliud monumentum hactenus occurrit, quo Humiliatos hujuſmodi munere defungi adhuc conſueviſſe oſtendatur. Itaque XIII. ſæculo exeunte, aut ineunte XIV., paullatim illos ut lanæ opificium, ita etiam concionandi laborem ut plurimum deſeruiſſe arbitror.

XXVIII. Sed in ſacris ipſis muneribus exercendis a conſueta ceterorum Religioſorum cœtuum ratione diſceſſerunt Humiliati, iis interdum curis diſtenti, quæ haud videntur Clauſtrales homines decere. Videmus enim illos aliquando ſæcularibus Eccleſiis, quibus animarum cura incumberet, præfuiſſe. Primum hujus rei monumentum habemus in Rondenarienſis tabularii charta an. MCCXCVI. *quinto ineunte Februario*, in qua *dominus franciſcus albritius de beregazio de curte de cumis prepoſitus fini* (quod oppidum eſt Novocom. diæceſis.) *ordinis humiliatorum domus de rondenario de cumis* appellatur. Alterum hujuſce moris monumentum in ipſis Humiliatorum Conſtitutionibus in Rondenarienſi Conventu an. MCCCXLIII. latis habemus, quibus id ne impoſterum fiat graviſſimis verbis vetatur; ſed hoc ipſum dum fieri deinceps nolunt, ſatis factum olim fuiſſe oſtendunt. Itaque in iis Conſtitutionibus hæc habentur Cap. VI. *Item ſtatuimus & ordinamus & definimus, quod nullus Præpoſitus vel Prælatus Ordinis præſumat dare licentiam, nec det ſeu dare poſſit alicui Fratri noſtri Ordinis, ſuſcipiendi vel acceptandi aliquam eccleſiam ſeu Beneficium Sæculare: & ſi forte per quempiam Præpoſitum ſeu Prælatum aliqua talis licentia alicui Fratri conceſſa fuerit, illam licentiam ex nunc prout ex tunc decernimus & volumus eſſe nullam, caſſam, irritam, & inanem,.... volentes etiam quod Dominus Magiſter nulli Fratri bono & utili talem licentiam dare præſumat*. Cap. autem III. hoc jam decretum latum fuerat: *Item ſtatuimus & ordinamus & definimus, quod de cetero nullus Frater Ordinis, qui iverit vel ibit quolibet modo ad regendas Eccleſias ſæculares, recipiatur in aliquo Conventu Ordinis ad comedendum vel bibendum vel etiam dormiendum; & Præpoſiti vel*

 Prælati

Prælati ſeu eorum Locumtenentes contrarium facientes ipſo facto ſint ab eorum Officiis uſque ad voluntatem Domini Magiſtri ſuſpenſi; & quod nullus Præpoſitus, Prælatus, vel Subditus Ordinis de cetero comedat, bibat, nec dormiat in domibus ſeu habitationibus dictorum Fratrum Eccleſias ſæculares regentium. Contrarium vero facientes ſint privati voce Capituli uſque ad voluntatem Domini Magiſtri. Eamdem etiam pœnam incurrant, qui de cetero iverint ad domos prædictorum Eccleſias regentium ſine ſpeciali licentia ſui Præpoſiti vel Prælati.

XXIX. Nihilominus morem hunc adhuc apud Humiliatos invaluiſſe monumento docemur ex Actis Franciſci Zenaliæ educto, quæ in Cathedralis Bergomenſis Eccleſiæ Tabulario ſervantur: ibi enim hæc habemus: *In Nomine Domini anno a nativitate ejuſdem milleſimo trecenteſimo ſexageſimo primo, Indictione quartadecima, die ſexto menſis Novembris in civitate Pergami in epiſcopali oſpitio .... Venerab. vir D. Simon de Verzeriis Decretorum Doctor, prepoſitus Eccleſie S. Mathei Pergamen. & Canonicus Pergamen. Rev. in Chriſto Patris & DD. Fratris Lanfranci dei & apoſtolice ſedis gratia Epiſcopi Pergamenſ. Vicarius .... viſo & examinato decreto electionis facte & celebrate per Venerabilem virum Fratrem Joannem Lombardum de Parma Domus & Eccleſie domine S. Marie & omnium Sanctorum de Galgari Pergamen. Prepoſitum de Fratre Jacobo de Bonate Inferiori electo in Sacerdotem beneficialem & capellanum Eccleſie Sancti Vigilii, ſite ſuper montem Sancti Vigilii, ad Capellaniam ſeu beneficium, que ſeu quod nuper in eadem Eccleſia vacavit per obitum fratris Bartolomei de Sanctis olim dicte Eccleſie Sancti Vigilii, ultimi Capellani beneficiati .... dictam electionem tamquam canonicam confirmavit & confirmat ... ac comiſit diſcretis viris Dominis Bellebono de Cavazzis Canonico Pergamen. & fratri Johanni de Marinonibus Ordinis Humiliatorum profeſſo dicte domus de Galgari, & cuilibet eorum, quatenus ipſius auctoritate ipſum Fratrem Jacobum .... ponant & inducant in poſſeſſionem &c.* Ex quibus non ſolum colligimus Humiliatos duos ſucceſſive illo Sacerdotio uſos, ſed ejuſdem etiam collationem ad Galgarienſem Præpoſitum pertinuiſſe. Sic etiam in actis nonnullis Joannis Mat-

thæi

thæi de Paltoneriis, quorum nobis copiam humaniſſime fecit egregius veterum monumentorum cognitor Nob. D. Joſeph de Landriano, hæc legimus: 13. *Jun.* 1489. *Presbyter Gulielmus de Laborantibus de Durno Beneficiatus in Eccleſia S. Auguſtini de ultra Padum comitatus Papiæ...... teſtatur... quod poſſunt eſſe anni XXVIII. vel circa præteriti, quod cognovit D. Fratrem Jacobum de ... eſſe Capellanum Capellæ ſeu Eccleſiæ S. Blaſii terræ Vidigulphi, & quod ſi dictus fr. Jacobus ibat ad Eccleſiam S. Mariæ Cavagnariæ pro faciendo aliquam curam animarum, videlicet baptizandi, ſepeliendi mortuos, & alia, veniebat ad accipiendum librum & criſmum & alia in ſimilibus neceſſaria ab Archipresb. S. Mariæ Vidigulphi...., & cujus parentelæ eſſet non recordatur, & erat indutus veſtibus albis, & erat tunc ipſe D. Fr. Jacobus ætatis annorum 60. vel circa, & homo groſſus in perſona. 7. Jun. Presbyter Vivianus de Andena rector Eccleſiæ S. Pantaleonis loci de Noſſadello Epiſcopatus Laudæ teſtatur, quod ab anno 1452. ad annum 1454... vidit & cognovit primo Fr. Ambroſium, cujus parentelam ignorat, qui erat de ordine fratrum Alborum Monaſterii de Viboldono, qui fr. Ambroſius erat tunc Capellanus Capellæ S. Blaſii Vidigulphi, & ipſo fr. Ambroſio mortuo, qui deceſſit in dicto loco de anno menſe & die non recordatur, vidit in ejus locum D. Fr. Jacobum Ordinis Alborum Monaſterii Miraſolis* (Humiliatorum) *pro Capellano.... quod ipſe Fr. Ambroſius ibat indutus veſtibus albis, & erat homo ſenex, & magnus homo & pulchræ ſtaturæ, & quod fr. Jacobus erat de parentela de Moronibus*. Multo vero frequentius id contigiſſe crediderim, cum Religioſa diſciplina apud Humiliatos collapſa, nihil illi optabant magis, quam ut libere iis liceret extra clauſtra vagari.

DIS-

DISSERTATIO VI.

DE VIRIS INTER HUMILIATOS ILLUSTRIBUS.

TRiplici potiſſimum ex capite hominum Religioſo cuipiam cœtui addictorum fama celebratur; morum ſcilicet ſanctitate, dignitatibus geſtis, ac ſcientiæ eruditione. Itaque de Viris acturi, qui inter Humiliatos præ ceteris claruerunt, Diſſertationem hanc noſtram trifariam partiemur. Primo enim illos, qui eximia vitæ probitate ſic floruerunt, ut Sancti aut Beati cultum aut appellationem promeriti ſint, recenſebimus; tum illos, qui ex Humiliatorum cœtu ad ſacram aliquam aut etiam civilem dignitatem evecti ſunt; illos denique, qui ſcientia libriſque editis celebrantur.

P A R S I.

DE HUMILIATIS VITÆ SANCTITATE ILLUSTRIBUS.

I. QUamquam quæ de Humiliatis protulimus hactenus, ſatis oſtendunt, optimis illos atque integerrimis moribus, Divinoque cultui impenſe addictos olim vixiſſe, poſtulat tamen inſtituti noſtri ratio, ut quam pium fuerit veterum Humiliatorum vivendi genus, paullo attentius inquiramus. Ac ſane virtutibus plurimis, ſæculo præſertim XIII., præfulſiſſe illos, Pontificum literis docemur ad eoſdem datis, quibus eorum pietatem moreſque ſanctiſſimos maximis laudibus attollunt. Pauca hic tantum Innocentii IV. verba proferemus, plura alia in ipſa Monumentorum collectione edituri. Itaque Innocentius IV. ad primum Humiliatorum Magiſtrum Beltramum ſcribens Idib. No-

vemb.

Digitized by Google

vemb. an. MCCXLVI., *Multorum*, inquit, *relatione fideli gaudentes accepimus, quod religioſe domus ſecundi Ordinis tui divina eis favente clementia dilatate ſunt rebus, multiplicate numero & perſonis, & donis nihilominus ſpiritualibus magis ac magis in Domino confortate. Propter quod in exolvendis omnipotenti Deó pro receptis beneficiis dignis, quantum eſt poſſibile, actionibus gratiarum, nec non pro conſervando ſancte religionis eis a Domino inſpirate devotius famulatu, convenit eis Sanctorum Patrum veſtigia imitari &c.*

II. Sed juvat præ ceteris binos ſæculi XIII. Scriptores, quos jam nominavimus, in medium afferre, Jacobum nempe Cardinalem de Vitriaco, & Humbertum de Romanis Ordinis Prædicatorum Magiſtrum, quorum teſtimonium eo libentius recitamus, quod non in Fratrum Humiliatorum modo, ſed etiam in Humiliatarum Sanctimonialium maximam laudem redundat. Primus itaque hæc habet (*a*): *Sunt quedam in Italia, & maxime in partibus Lombardie virorum ac mulierum regulariter viventium congregationes, quos Humiliatos appellant, eo quod in paupertate & aſperitate habitus, & geſtus exterioris compoſitione, & morum gravitate, & in omnibus verbis & operibus ſuis magnum oſtendant humilitatis exemplum. Vivunt in communi, ex magna parte de labore manuum ſuarum. Non enim multos habent redditus vel poſſeſſiones, nec cuiquam illorum licet proprium poſſidere. Omnes Horas canonicas diebus & noctibus, laici ſicut & clerici, non prætermittunt: fere enim omnes litterati ſunt. Qui autem Horas canonicas dicere neſciunt, ſub certo numero dicentes Orationem Dominicam, debita compenſatione abſolvuntur. Sunt autem per omnes fere civitates in partibus illis hujus religionis conventus, quorum multi carnes, niſi in gravi ægritudine, non manducant, nec camiſiis, aut linteaminibus, aut plumis utuntur. Lectionibus autem, & orationibus, & laboribus manuum aſſidue vacantes deſidiam & otii torporem a ſe ſtudioſe repellunt. Converſe autem eorum*

ab

(*a*) Hiſtor. Occident. Cap. XXVIII.

ab hominibus hujus Religionis adeo ſejunctæ ſunt, & cum omni cautela & diligentia ſeorſum inhabitant, quod neque in eccleſia, neque in alio loco ſeſe mutuo, niſi raro, poſſunt alloqui vel videre. Quando etiam ad prædicationem divini verbi conveniunt, muro interpoſito a ſe invicem plerumque ſeparantur. Hæc Jacobus de Vitriaco, qui deinde ea ſubdit, quæ de Humiliatorum concionibus alibi protulimus.

III. Humbertus vero de Romanis de Humiliatis Fratribus & Monialibus hæc habet (*a*): *In Partibus Italiæ eſt quoddam genus Religionis, in qua ſunt ſub eadem clauſura ſequeſtratæ incluſæ quædam mulieres laicæ, ex alia parte quidam laici bonæ indolis, & apti ad laborandum, & ſic bene ſunt domus ejuſmodi ordinatæ. Habent enim aliquos clericos ejuſdem profeſſionis, qui faciunt in aliqua capella eis divinum officium. Laici autem & laicæ habent certas aliquas orationes, quas dicunt ſecundum modum laicalem. Omnes autem vivunt ſub obedientia unius præpoſiti, & in communi, & abſque proprio, certa ſtatuta habentes, quæ ſatis bene & religioſe obſervant, raro egredientes, raro diſcurrentes per mundum: hujuſmodi autem religioſi dicuntur humiliati. Notandum autem, quod quidam ſunt religioſi, qui habent amplas poſſeſſiones & redditus, de quibus vivunt magnifice. Alii ſunt, qui nihil horum habentes vivunt de ſolis eleemoſinis. Sed iſti* (Humiliati) *ad formam primitivæ Eccleſiæ de proprio labore vivunt. Non enim habent poſſeſſiones, niſi forte paucas interdum; ſed de labore, quem exercent maxime in pannis tam mulieres quam viri, in quibus operantur, valde fideliter vivunt, & eleemoſynas aliquas faciunt, & religioſos pauperes devote recipiunt &c.* Alibi vero de Humiliatis Monialibus diſtinctius loquens, ait (*b*): *In Italia ſunt quædam mulieres religioſæ, quæ morantur cum humiliatis ſequeſtratim ab eis, & ſunt quandoque in multo numero alicubi. Porro hujuſmodi mulieres habent ex*

(*a*) De Eruditione Prædicat. Lib. II. Cap. XXXVIII. Biblioth. PP. Edit. Lugdun. 1677. Vol. XXV.

(*b*) Ibid. Cap. L.

Digitized by Google

ex profeſſione ſua multa laudabilia. Reprehenſibile eſt enim in muliere diſcurrere... hæ autem ſtant incluſæ. Item ſunt quædam incluſæ ſolitariæ, quod eſt interdum occaſio magni periculi; hæ autem ſunt inſimul viventes, & charitatem fraternam invicem, & in fratres exercentes... Item ſunt quædam religioſæ, quæ ſubſunt regimini muliebri; hæ autem ſubſunt alicui Præpoſito, qui præeſt tam viris, quam mulieribus in eadem domo... Item ſunt quædam monaſteria, in quibus non recipiuntur niſi virgines, quæ conſecrantur, & faciunt ſolemniter officium divinum; hæ autem recipiunt omne genus mulierum, nec conſecrantur; & ſicut laici audiunt divinum officium a clericis, ſuas orationes more laicorum habentes. (Videbimus tamen Monialium etiam proprium fuiſſe Divinas laudes canere)... *Item ſunt multæ, quæ parum aut curioſa operantur; hæ autem ad modum mulieris fortis laudatæ a Salomone, de lana & lino operantur aſſidue & fuſum manibus apprehendunt &c.*

IV. Sed jam de iis, qui inter Humiliatos ſanctitatis laude floruerunt, agendum eſt, quique Sancti aut Beati nomine, aut publica Eccleſiæ auctoritate, aut privato Humiliatorum cultu, ornati ſunt. Horum nomina primo ex Humiliatorum Miſſali, ut dicimus, anno MDIV. in lucem emiſſo proferemus, ad cujus calcem illorum Catalogus appoſitus eſt; qui etiam paucis mutatis antiquiori Chronico eſt additus; tum de ſingulis, prout res feret, accurate diſputabimus. Sic itaque Catalogus ſe habet:

SANCTI ET BEATI, QUI ORDINIS FRATRUM HUMILIATORUM APPELLANTUR.

Beatus Guido de Mediolano, qui hujus Religionis fundator extitit.
B. Joannes de Cumis primus presbyter.
B. Jacobinus de Senis Cardinalis.
S. Baudolinus de Alexandria Epiſcopus.

B. Andreas Senenſis.

S. Homobonus Confeſſor de Cremona.

B. Blanca de Senis.

B. Petrus de Corino.

B. Lucas de Florentia Cardinalis.

B. Raynerius de Janua.

B. Horicus de Vercellis.

S. Conſtantius de Brixia.

B. Tiberius de Palma.

B. Bruna de Vercellis.

S. Torpetis Martyris de Pixis.

B. Ubertus de Mediolano.

S. Pincininus Epiſcopus Brixienſis.

S. Holinus.

V. Primus itaque in hoc Catalogo occurrit *B. GUIDO DE MEDIOLANO*, *qui hujus Religionis fundator extitit;* qui in Catalogo eodem ad Chronici calcem adjecto appellatur: *B. Guido domus portæ orientalis Mediolani, qui hujus religionis fundator extitit.* Verum quod in aliis Religioſis Cœtibus fieri videmus plerumque, ut Fundatoris vita diligentiſſime illuſtretur, contrarium omnino in Humiliatis contingit. Guidonis enim res geſtæ adeo ab Humiliatis Chronicorum Scriptoribus neglectæ ſunt, ut hanc illi gloriam unice tribuant, quod ſcilicet Humiliatorum tertii Ordinis leges ab Innocentio III. approbandas curaverit. *Fratres primi membri*, ait Marcus Boſſius tertii Chronici auctor, ea paullo fuſius exponens, quæ in duobus antiquioribus Chronicis narrata fuerant, ... *conſilio inter illos habito Guidonem de porta orientali cum quibuſdam aliis nobilibus ex civitate Mediolani de ſuo membro, ut pro ipſis tertii Ordinis Regulam vel potius vivendi modum impetrarent, cum mandato ad hoc optimo deſtinarunt, quod* (videtur legendum *qui*) *ſtatim Romam proficiſcentes commiſſa fideliter impleverunt; & ipſe Romanus Pontifex . . . . Regulam . . . in ſcriptis ipſi Domino Guidoni*

Guidoni & ſociis conceſſit. Hæc tantum de Guidone Humiliati Scriptores. Itaque mirabar ſane, hac ſolum de cauſſa Guidonem Fundatoris nomine ab illis ornari, quod tertii Ordinis, multo antea inſtituti, leges Apoſtolicæ ſedis auctoritate confirmandas curaſſet. Atque in eam pæne ſententiam ferebar, ut crederem Guidonem, qui inter BB. ex Humiliatorum cœtu recenſetur, a Guidone illo diſtinguendum, cujus in Chronicis fit mentio, atque hunc quidem ſæculo XIII. ineunte, illum autem ſub XI. initium vixiſſe, atque inter exſules illos adnumeratum fuiſſe, a quibus Humiliatorum cœtus initia jacta ſunt. Verum ad dubitationem omnem tollendam opportuniſſimum accidit vetus monumentum a Cl. Ambroſianæ Bibliothecæ Pro-præfecto Balthaſſare Oltrocchio mecum communicatum. Codex MS. eſt ſcilicet, qui apud Spectatiſſimum virum Joannem Dominicum Viſmaram Præpoſitum S. Juliani, (qui Mediolanenſis Diœceſis eſt pagus in via Laudenſi) ſervatur, inſcriptus: *Inſtrumentum tranſactionis inter Præpoſitum & Canonicos Sancti Juliani ex una, & Præpoſitum & fratres domus de Vicoboldono ex altera* 1322. Multa ibi monumenta ad Vicoboldonenſis domus bona pertinentia proferuntur, ac præſertim antiquiſſimum anni MCLXXVI., quod ſuo loco edemus. Hæc porro verba ejuſdem Chartæ occaſione in memorato Codice habentur: *Quondam Nobilis & potens vir Dominus Guido de Porta Orientali, qui fuit magnus Capitaneus & timens Deum, & qui conſtruxit quamplures domos Religioſorum, & maxime domos Fratrum Humiliatorum, in anno curſo* 1176. *quarto die menſis Februarii dedit guadiam ex parte Congregationis Fratrum dictæ Eccleſiæ S. Petri, quæ debebat ædificari in loco Vicoboldono Dioceſis Mediolanenſis, Domino Juliano tunc Præpoſito dictæ Eccleſiæ & Plebis S. Juliani*.

VI. Ex his porro intelligimus, cur Guidonem de Porta Orientali Fundatorem ſuum Humiliati appellaverint, quamvis ab Ordinis ipſius initiis non parum abfuerit. Homo ſcilicet Divini cultus Religioniſque augendæ ſtudioſus in primis plurimas in Cœ-

 nobia

nobia conſtruenda opes contulit (ut inter cetera de Claraevallenſi Monaſterio vidimus Diſſertatione II.), ſed præſertim in Humiliatorum domibus ædificandis liberaliſſimum ſe præſtitit. Et quamvis domus portæ Orientalis tantum, ac Vicoboldonenſis, (quarum illam a Guidone conſtructam diximus, hujus vero Eccleſiæ conſtructionem adjutam nuper audivimus) monumenta certa ſuperſint; memorata tamen verba dubitare non ſinunt, quin alias plurimas non tertii ſolum, ſed primi etiam alteriuſque Ordinis domos aut conſtruxerit ipſe, aut ſuis opibus ditarit; idemque *Fundator Ordinis* meruerit ab Humiliatis appellari. Tertio Humiliatorum Ordini adſcriptum illum fuiſſe aperte indicant Innocenti III. literæ, quibus Ordinis ejuſdem leges confirmat: in illis enim inter ceteros illius cœtus Miniſtros *G. de porta Orientali* nominatur; qua litera, ut alias oſtendimus, noſter hic Guido indicatur omnino. In eadem autem domo tumulatum illum fuiſſe Humiliati ipſi teſtati ſunt in ſupplice quodam ad Romanum Pontificem libello an. MDLXX., Sormanno teſte (*a*). Floruiſſe illum non ipſis quidem S. Bernardi temporibus, ſed aliquot poſt annis, eumdemque anno MCLII. a Guerentio quodam Mediolanenſi Cive tutorem filiis ſuis datum fuiſſe, alias jam vidimus. Quo anno ille obierit non conſtat; ſed cum anno MCLII. matura jam ætate fuiſſe illum hinc colligamus, quod filiis ſuis tutorem dederit illum Guerentius, paullo poſt annum MCCI. obiiſſe eumdem crediderim. At obitus diem deprehendit Cl. Julinius in Modoetienſi quodam Necrologio, nempe VI. Id. April. (*b*). Quod indicio eſt, magnam fuiſſe hujus hominis famam; cui tamen nullum umquam publicum cultum, ne ab Humiliatis quidem decretum video.

VII. Sequitur nunc *B. JOANNES DE CUMIS primus presbyter*, cujus

(*a*) Stor. degli Umil. pag. 26.
(*b*) Memor. di Mil. T. IX. pag. 42.

cujus ſi res geſtas omnes perſequi vellemus, longius quam par eſt, Diſſertatio excurreret. Sed, ut alias monuimus, certum nobis eſt, non quæ apud omnes conſtant inquirere; ſed obſcura inveſtigare diligenter. Itaque quæ in Joannis vita certa ſunt, indicabimus breviter: fuſius expendemus, quæ incerta. Ac primo de ejuſdem Vitæ Scriptoribus, qui in lucem ſunt editi, dicendum. Itaque, ut eos omittam, qui Joannis res obiter attigerunt, quos Tattus (*a*), ac Suyskenius (*b*) mox laudandi commemorant, primus illius vitam an. MDCV. Novocomenſibus typis edidit anonymus auctor, inſcriptam: *La Vita di S. Giovanni Prete inſtitutore de l'ordine degli Humiliati ec.* in 8. Tum anno MDCLXXVII. ejuſdem vitam fuſius diligentiuſque deſcriptam ibidem edidit P. D. Primus Aloyſius Tattus Cler. Reg. Congr. Somaſchæ, Novocomenſis præſertim Eccleſiæ hiſtoria clariſſimus (in qua (*c*) multa etiam de Joanne diſſerit), eamque inſcripſit: *l'Humiltà eſaltata, o ſia Vita di S. Giovanni Oldrati detto da Meda ec.* in 8. Alia etiam Joannis Vita ibidem eſt edita ab erudito Novocomenſi Cive, atque egregio Medicæ artis Profeſſore Abundio Aloyſio de Porta an. MDCCXLVIII., qui Tatto in omnibus ferme conſentit. Sed nemo diligentius Joannis res illuſtravit, quam P. Conſtantinus Suyskenius Soc. Jeſu, qui & veterem illius Vitam a Tatto ipſo olim ad Bollandianos ſocios ſubmiſſam, atque ab anonymo Humiliato conſcriptam publici juris fecit, eamdemque egregio Commentario prævio illuſtravit. Hos habemus de Joannis Vita Scriptores in lucem editos. His porro opuſculum aliud MS. addendum eſt, cujus exemplar ab eruditiſſimo Novocomenſi Equite, patriarumque antiquitatum ſtudioſiſſimo Fulvio Tridio ad nos tranſmiſſum habemus; quod ſic inſcribitur: *Breve Hiſtoria*

(*a*) Vita di S. Gio. Cap. XXI.
(*b*) Acta SS. Sept. T. VII. pag. 343. & ſeq. Edit. Antverp.
(*c*) Decad. II. Lib. V.

Hiſtoria degli Humigliati, colla vita del Beato Gioanni Oldrato di loro il primo Sacerdote, tolta dal Sermonario di F. Gio. da Vico, che morì l'anno 1503. Joannes autem de Vico ex Humiliatorum cœtu fuit, illiuſque alias meminimus. Itaque Humiliati Scriptoris, qui ſæculo XV. exeunte floruerit, non levis videtur eſſe auctoritas. Fateor tamen, multa ibi occurrere, quæ hominem non ſatis in priſcorum temporum, inque ipſa Humiliatorum hiſtoria verſatum oſtendant. Enimvero, ubi de Humiliatorum initiis diſſerit (hoc enim tantummodo ad generalem illorum hiſtoriam ille attingit) eorum exordia Conradi temporibus attribuit, quæ alii omnes Humiliati Scriptores ad Henrici primi ætatem referunt. Narrat præterea, Conradum triennio, poſtquam Auguſtus ſalutatus fuerat, in Italiam deſcendiſſe, ut Pontificis dextra coronaretur, eumque a Mediolanenſibus prohibitum fuiſſe, ne urbem ingrederetur; itaque urbem ipſam arctiſſima obſidione cinxiſſe; ſed cum Archiepiſcopo Colonienſi ſacro Pentecoſtes die ſacra facienti S. Ambroſius ſe videndum præbuiſſet, ſupremum Germanis exitium minitantem, niſi caſtra quamprimum moverent, Conradum hoc viſo territum, ſoluta obſidione Romam profectum ibidem a Joanne XX. aureo diademate præcinctum fuiſſe. Quæ quot erroribus ſcateant, nemo non videt, qui Italiæ hiſtoriam vel leviſſime noverit. Nam & Coradus an. MXXIV. Germaniæ Rex ſalutatus, regiaque corona VIII. Septemb. Moguntiæ inſignitus, anno MXXVI. ineunte in Italiam deſcendit, & amiciſſime a Mediolanenſibus acceptus eſt. Mediolanenſis autem obſidio nonniſi anno MXXXVII. contigit, nec ulla Mediolanenſium ſeditio, ſed Heriberti Archiepiſcopi, quem Conradus carceri Placentiæ addixerat, improviſa fuga Conradi iram in Mediolanenſes excitavit. Nec vero ſoluta obſidione Conradus Romam conceſſit, ut aureo diademate ornaretur; quo jam ab anno MXXVII. decoratus fuerat (*a*).

Quid?

(*a*) V. Muratori Annal. d'Ital., & Giulin. Memor. di Mil. ad hos annos.

Quid? quod Humiliatos clauſtrales ſeparatas a mulieribus ædes habuiſſe, eoque veſtis colore uſos narrat, qui Minorum eſt proprius? cum & communes olim fuiſſe viris mulieribuſque domos, & albi coloris veſtes geſtaſſe illos certiſſime conſtet. Quæ cum ita ſint, hujus Scriptoris auctoritate ſic utemur, ut liberum nobis ſit ab illa recedere, quoties graviorum Scriptorum teſtimonio adverſetur.

VIII. His præmiſſis, Joannem Medæ, qui Mediolanenſis diœceſis eſt vicus Mediolanum inter & Novocomum jacens, ortum fuiſſe, & vetus ipſius vita, & Humiliatorum *Breviarium*, & eorumdem Chronica, & auctores omnes conſentiunt, ſi Franciſcum Ballarinum excipias, qui nullum opinionis ſuæ fundamentum proferens, Comi illum ex Meda familia ortum contendit (*a*). At Tattus aliique Novocomenſes Scriptores Medæ quidem, ſed ex Oldrata gente natum illum affirmant, & patria Novocomenſem, cujus ſcilicet parentes Medæ ruſticandi cauſſa tunc degerent. Sed ad patriam quod attinet, ſatis jam Suyskenius oſtendit, non ſatis firma eſſe, quibus Novocomenſes ad hanc ſententiam confirmandam utuntur, fundamenta. Profecto ſi patria Novocomenſis fuiſſet Joannes, Meda autem ruſticandi locus tantummodo, non video qua ratione potuerit ille, ut fieri videmus plerumque a Scriptoribus, Joannes de Meda appellari. Quod ſi Joannes de Cumis, ſeu Novocomenſis interdum, ac præſertim ab Humiliatis ſuis appellatur, patet ex Rondenarienſi Cœnobio, quod ille Novocomi condidit, atque ubi hactenus illius corpus ſervatur, id factum eſſe. Ita ſcilicet ſæpe conſueverant Humiliati, Fratres ſuos e Cœnobii, quod incolerent, nomine dicere. Accuratius vero illud inveſtigandum videtur, quod pertinet ad Joannis genus. Ex Oldrata videlicet gente, ut monuimus, ortum Joannem Tattus narrat, qui illam & Mediolani & Comi floruiſſe ait. Sententiæ

(*a*) Compendio Cronol. delle Storie di Como P. III. Cap. I.

tentiæ hujus quattuor ille auctores profert, anonymum vitæ S. Joannis anno MDCV. auctorem, Gregorium Bulzium Cler. Regul. Congr. Somaſchæ, in ejuſdem Joannis vita, quam medio circiter XVII. ſæculo digeſtam MS. reliquit, Emanuelem Laudium in Hiſtoria Pagi Medæ, & Hieronymum Borſierium in libello inſcripto: *Supplemento della Nobiltà di Milano;* cui alium addere poterat, multo ceteris præferendum, Fridericum Cardin. Borromæum in Epiſtola ad Humiliatas S. Mariæ Magdalenæ de Circulo datas, quam Diſſertatione III. commemoravimus. At omnes hi auctores ad ſæculum XVII. pertinent, nec ullum ego antiquiorem, ſi Joannem de Vico excipias, comperi, cujus auctoritate hæc opinio confirmetur. Nam Chronicorum Scriptores non alio illum, quam Joannis de Meda, nomine appellant; ſimulque nobili genere natum dicunt. Et vetus vita a Suyskenio edita: *Vir ex liberiori proſapia:* Denique in Humiliatorum *Breviario: ortus ex nobili proſapia Joannes*. Quid? quod Benedictus Jovius ipſe accuratiſſimus Novocomenſium rerum Scriptor, nihil de illius genere profert, qui tamen alibi Oldradæ gentis meminit; ſed hæc tantum habet? *Joannes e pago, qui Meda nuncupatur, agri Mediolanenſis* (a). Unus Joannes de Vico inter veteres Scriptores exiſtit, qui Joannem ex Oldrata gente ortum affirmet, quam Medæ oppido jamdiu præfuiſſe ait: *nel Caſtello di Meda dioceſi Milaneſe dal Caſtellano uomo della nobile famiglia degli Oldrati, che per gran tempo avanti godevano il dominio di quel luogo, nacque Giovanni*. Sed unicum talis Scriptoris teſtimonium ceteriſne rationum momentis a me allatis præferendum ſit, eruditi viderint. Itaque nolim ego quidem Oldratæ genti decus hoc denegare; ſed vellem graviorum Scriptorum auctoritate & certioribus monumentis illud inniteretur. Certe cum Medam patriam illi fuiſſe, ſimulque nobili illum genere ortum, plerique affirment, probabilius forte diceremus, ex nobiliſ-

(a) Hiſt. Patr.

Digitized by Google

biliſſima, quæ adhuc Mediolani floret, gente Joannem fuiſſe, quæ a Meda pago nomen duxit. Sane jam a ſæculi XII. initio Ariprandus de Meda Mediolanenſis *prudentiſſimus Civis* vivebat (a), ut veriſimillimum proinde ſit, ex eadem gente Joannem noſtrum fuiſſe. Quo anno in lucem editus ſit Joannes, non conſtat: cum tamen ſenex obiiſſe videatur, cumque illius obitus in annum MCLIX. inciderit, ut videbimus, arbitror XI. ſæculo exeunte ortum illum fuiſſe.

IX. Multa de Joannis pueritia, primiſque ſtudiis, poſitoque apud Braidenſes Humiliatos tirocinio profert Tattus, quæ omnia ſola Gregorii Bulzii auctoritate confirmat, ſcriptoris ſcilicet Tatto fere æqualis; at nullo veterum Scriptorum teſtimonio fulciuntur: quin etiam antiquus Joannis Vitæ a Suyskenio editæ ſcriptor diſerte teſtatur, quæ Joannes in ipſo ætatis flore geſſerit, oblivioni tradita fuiſſe. Itaque illa omnia per conjecturam tantummodo narrantur, qui hiſtoricorum, ſuperioris præſertim ætatis, eſt mos ſane reprehendendus, ut ſcilicet, ubi certa deſunt, egregiam ſe operam navaturos arbitrentur, ſi probabilia veluti certa obtrudant. Ad Braidenſe vero Joannis tirocinium quod attinet, ſatis jam altera Diſſertatione oſtendimus, probabilius videri, Joannem numquam alterum Humiliatorum Ordinem ingreſſum fuiſſe; ſed ſponte in Rondenarienſi ſolitudine abditum, novum Humiliatorum cœtum coegiſſe, quod qua ratione factum fuerit, ibidem expoſuimus. Addit Joannes de Vico, Novocomenſem Epiſcopum, Joannis ſanctitate perſpecta, ſacris illum initiaſſe; qua de re ceteri Scriptores ſilent, atque in incerto relinquunt, quo tempore nova hæc dignitas Joanni collata fuerit.

X. Longum eſſet de Joannis virtutibus rebuſque geſtis diſſerere, ut diximus. Ut brevi omnia perſtringamus, quattuor præſertim fuerunt, quibus, dum adhuc viveret, maximam ſanctita-

 tis

(a) Giulini Mem di Mil. T. V. pag. 51.

tis famam ille eſt aſſequutus: ſingularis in concionando ardor ac fructus; Ordinis ſui incrementum egregie procuratum; inſignis eximiarum virtutum ſplendor; non pauca denique patrata prodigia. Atque ad conciones quod attinet, ut ea mittam, quæ ab antiquo ejuſdem Vitæ Scriptore apud Suyskenium narrantur, Marcus Boſſius hæc habet: *Fuit optimus Prædicator, doctiſſimuſque in arte dicendi, & gratiſſimus omnibus illius prædicationem audientibus, ſeverus in arguendo ſceleratorum hominum perpetrata, dulcis conſolator animarum ad pœnitentiam venientium, benignus informator optimorum morum. Pluries apud Mediolanenſes & Comenſes cives præcipue prædicavit magna cum laude & honore*. At Tattus, quis eſſet Joannis in ſacris concionibus ardor, quæ ſanctitatis fama, hinc etiam probare aggreditur, quod Eccelinus Romani Tyrannus, cum multa de Joannis ſanctitate accepiſſet, ad illum ſe ultro contulerit, ac ſupplex Humiliatorum veſtem impetraverit. Quam rem cum vix Suyskenius attigerit, placet diligentius inveſtigare. Tres itaque Eccelini in hiſtoriis præcipue memorantur; Eccelinus primus, qui anno MCLXXXIII. adhuc vivebat, Gerardo Mauriſio teſte (*a*), ſæculi XIII. Scriptore; tum Eccelinus II., qui Monachus cognomento eſt appellatus; tertius denique celeberrimus ille Eccelinus vitiis æque ac bellica virtute clariſſimus, qui anno MCCLIX. ex vulneribus in prælio acceptis Soncini obiit. Sed aut tertium hunc, aut illum primum, Monaſticam vitam amplexum fuiſſe nemo umquam credidit. Unicus Eccelinus II. ideo Monachus cognominatus eſt, quod extremo vitæ tempore in eremum ſeceſſit; & hunc ipſum videlicet arbitratur Tattus Joannis diſcipulum factum. Verum ſi rationem temporum cognoſcamus, fieri nullo modo potuiſſe videbimus, ut quidqnam illi eſſet cum Joanne commune. Hic enim anno MCLIX. obiit: Eccelinus vero, de quo eſt ſermo, anno MCXCIV., Rolandino teſte ſæculi

(*a*) Script. Rer. Ital. T. VIII. col. 10.

culi XIII. Scriptore *(a)*, Eccelinum tertium genuit; & anno MCCXXVIII. adhuc vivebat: illius enim literas hoc ipſo anno ad Eccelinum filium datas recitat Rolandinus idem *(b)*. Qui ergo potuit ille ante annum MCLIX. ad Joannem accedere, atque Humiliatis adſcribi? Senſit rei difficultatem Tattus; ſed ſatis diluì illam poſſe arbitratus eſt, ſi diceret, Eccelinum juvenili ætate Humiliatorum leges amplexum defeciſſe deinde ab illis, ductaque uxore Eccelinum filium anno MCXCIV. procreaſſe. Verum præterquam quod qui anno MCCXXVIII. adhuc vivebat, difficile potuit ante annum MCLIX., ſcilicet LXX. & amplius ante annos ea ætate eſſe, ut Humiliatorum cœtum ingrederetur, omnium Scriptorum auctoritati id opponitur, qui Eccelinum ſub extremum tantummodo vitæ tempus in ſolitudinem ſeceſſiſſe conſentiunt. Itaque totam hanc de Eccelino inter Humiliatos cooptato narrationem prorſus confictam arbitror.

XI. At quomodonam deceptum hac in re fuiſſe arbitrabimur Tattum, aut quanam ille auctoritate narrationem ſuam confirmat? Triplicem ille facti teſtem profert: Gregorium Bulzium in MS., quam commemoravimus, S. Joannis vita; Petrum Girardum in Eccelini vita (ſi quidem ille hujus vitæ auctor ſit habendus, qua de re conſulendus eſt Cl. Apoſtolus Zenus *(c)*), & antiquas quaſdam picturas in vetere Humiliatorum Rondenarienſi Eccleſia a ſe inſpectas, quibus Eccelini cum Joanne colloquium, ac religioſæ veſtis aſſumptio exprimebatur. Sed quod ad Petrum Girardum attinet, miror hunc tamquam ſuæ narrationis teſtem a Tatto proferri. Ille enim & Joannem & Humiliatos ne nominat quidem; immo ex illius verbis & Tatti errorem intelligimus,

 & er-

(a) Ibid. col. 172.

(b) Ibid. col. 195.

(c) Annotaz. alla Bibliot. del Fontanini T. II. pag. 153.

& erroris cauſſam. Eccelini III. epiſtolam recitat Girardus (a) anno MCCXXVII. ad Salinguerram Ateſtinum datam, qua de Patre ſuo Eccelino II., de quo eſt ſermo, hæc narrat: *Ezzelin noſtro Padre ha deliberato di ſervire a Dio, & è andato nel caſtello di Meda, & ha preſo l' habito di monaco, & a noi ha raccomandato lo ſtato.* Et paullo poſt ait Girardus (b): *Ezzelin vecchio, il quale, come ho detto, era ridotto nel Caſtel di Meda & vivea in vita heremiteſca.* Vides itaque, quæ fuerit errandi occaſio. Cum Girardus Medæ oppidum nominaret, arbitratus eſt Bulzius, ac deinde Tattus de Meda Mediolanenſis Diœceſis pago ſermonem eſſe. At poterant illi ſane animadvertere, S. Joannem Medæ quidem natum fuiſſe, ſed poſtquam Humiliatis adſcriptus eſt Novocomi ſedem fixiſſe illum, ac Rondenarienſem domum ſemper incoluiſſe, ut non potuerit proinde Eccelinus Joannem Medæ convenire. Meda vero oppidum, quod a Girardo nominatur, ad Vicentinam Diœceſim ſpectat; atque huc Eccelinus (ficto ne an ſincero animo diſputant hiſtorici) ſeceſſit, ſic tamen ut per nuntios, quæcumque a ſuis gererentur, quotidie acciperet (c); quod ſane ſi Medæ in Mediolanenſi Diœceſi vixiſſet, haud ita facile licuiſſet. Bulzii vero auctoritas, qua etiam Tattus innititur, præterquamquod eadem ratione evertitur, eo minoris etiam eſt ponderis, quo ex aliis ejuſdem libris clarius conſtat, conſuetum illi fuiſſe non tam vera, quam veriſimilia ac mira præſertim ſectari. Picturarum denique veterum magna eſſet auctoritas, ſi & prorſus antiquas fuiſſe illas, & Eccelinum ibi omnino exprimi conſtaret. Sed nec de illarum antiquitate judicare poſſumus, nec ſatis oſtenditur, Eccelini potius, quam alterius cujuſcumque viri effigiem ibi deſignari; neque enim inſcriptionem ullam picturæ additam Tattus

(a) Vita di Ezzelino da Romano Lib. II. pag. 18. Edit. Ven. 1552.

(b) Ibid. pag. 23.

(c) Reland. Script. Rer. Ital. T. VIII. col. 195.

Digitized by Google

Tattus commemorat. Quæ cum ita ſint, quæ de Eccelino Tattus refert, non modo non vera, ſed ne probabilia quidem arbitror, præſertim cum nemo umquam ex Humiliatis Scriptoribus, ac ne ipſe quidem Joannesde Vico, rem hujuſmodi attigerit.

XII. Ordinis vero ſui incrementum quam egregie Joannes curarit, vetus ejuſdem vita a Suyskenio edita nos docet: *Hic nempe multi odorantes odorem ejus ſuaviſſimæ opinionis, quam fervidus in prædicationis opere deſudaret, quam efficax in animarum lucrificatione eſſet, quam ſtudioſus in coadunandis Religioſorum catervis, ſedulus ad Dei honorem, veteriſque Ordinis Humiliatorum in ædificandis domiciliis Religionis exſtiterit. Itaque fere omnes civitates & multi pagi Italiæ Religioſorum reſidentia decorantur, huic ſæculo renuntiantes &c.* Nonnulla porro Humiliatorum cœnobia in Novocomenſi urbe ac diœceſi a Joanne conſtructa Tattus commemorat, aitque Chronici cujuſdam Humiliatorum MS. apud ſe aſſervati auctoritate id confirmari. Quonam Chronico uſus fuerit Tattus, ignoro: at in tribus, quæ apud me ſunt, Humiliatorum Chronicis, præter Rondenarienſe, nullum a Joanne fundatum Cœnobium nominatur, nullum pariter in vetere illius, quam ſæpe attulimus, vita; ſed unice Joannis opera Humiliatos per Italiam diffuſos fuiſſe ii auctores teſtantur. Sed de his Cœnobiis ſermo erit Diſſertatione ſequente. Locus hic eſſet, ut de legibus, quibus Humiliatos ſuos S. Joannes inſtituit, diſſereremus: ſed de hoc tertia Diſſertatione ſatis jam actum. Itaque, quod tertio loco propoſuimus, videndum breviter, quibus quantiſque virtutibus ille præfulſerit: qua de re unicum veteris Vitæ teſtimonium proferimus, cujus auctoritatem ceteri deinde Scriptores ſequuti ſunt. *Erat itaque Joannes memoratus in pauperculo degens victu, verumtamen ſemper extitit in eleemoſynis largus, in vigiliis ſedulus, in oratione devotus, in doctrina præcipuus, in ſermone Dei paratus, in converſatione ſanctiſſimus, in charitate perfectus. Numquam invenit in eo generis humani inimicus nec quod fraude deciperet, nec quod ſimulatione ſuſcaret;*

ſuſcaret ; ſinceritatem mentis vultus ſerenitate in omnibus demonſtrabat. Quibus virtutibus cum Joannes fulgeret, non eſt cur miremur, multa a Deo O. M. patrata per illum fuiſſe prodigia. Quattuor ab antiquo vitæ Scriptore narrata legimus: pecuniam in ſumma annonæ caritate Joanni ab Angelo ſuppeditatam; oleum alendæ paupercula mulieri auctum; menſam illi in deſerto loco Angelorum manu inſtructam; igneam denique columnam illius, dum oraret, capiti impendentem. Quæ ſi quis fuſius narrata velit, vitam ipſam, aut Tattum conſulat. Nos enim, quibus nihil hic nova inveſtigatione dignum occurrit, ad alia properamus.

XIII. *Tandem*, inquit Marcus Boſſius, *poſt multas vigilias, orationes, eleemoſynas, ſudores, labores, ærumnas, ſine quibus non pervenitur ad portum ſalutis æternæ, poſt, inquam, plantatum, & firmatum ſuis magnificis exemplis & inſtitutis Ordinem hunc noſtrum adeo in vita ſua multiplicatum, apud Mediolanum in domo Breræ animam Deo reddidit, & corpus terræ materiam* 1159. Aliquanto diſtinctius Joannis mortem narrat ſæpius laudatus antiquus illius vitæ ſcriptor: *Sæpe dictus Joannes caritatis zelo accenſus acri fervore inſtabat, ut opus prædicandi, quod inchoaverat, conſumeret; ad civitatem Mediolani pervenit ad domum quamdam venerabilium Fratrum, ubi dicitur ad Braydam, ibique moratus eſt pluribus diebus. Appropinquante hora exitus ſui, quodam dolore ac interiori infirmitate correptus, cœpit acriter ægrotare. Circumſtantibus tantum* (forte *tandem*) *fratribus, animam ſuam cœleſti Viatico parans ab iſto ſeculo ad ſiderea ſedilia convolavit*. Quæ veterum Scriptorum verba ideo etiam recitavimus, ut conſtet, quanta iis omnibus habenda ſit fides, quæ Tattus oratorem potius quam hiſtoricum agens, atque unica fretus Borſierii & Bulzii auctoritate, quæ certe non multa eſt, Joannis mortem præceſſiſſe narrat. Ad mortis tempus quod attinet, auctores omnes in annum MCLIX. conſentiunt (*a*), diemque adnotant

(*a*) V. Tattum Cap. XXI.

tant XXVI. Septembris, ſimulque narrant, Novocomenſes, ſtatim ac de Joannis morte audierunt, Mediolanum adveniſſe, atque a Braidenſibus Humiliatis impetraſſe, ut Sancti viri corpus Comum deferre ſibi liceret, ut illius exuviis fruerentur, quem ſummo honore viventem coluerant: quod cum fieret, multos Joannis opem implorantes, beneficiis mirum in modum ab illo auctos fuiſſe; & cœcam præſertim puellam, cum mater ſanguine ex Joannis ore manante filiæ oculos deliniiſſet, viſum repente recepiſſe. At de mortis die dubitat jure Suyskenius: die enim VI. Kal. Octob. ſeu XXVI. Sept. non Sancti viri mortem, ſed illius corporis exportationem in antiqua Joannis vita deſignari animadvertit. At contra Braidenſis Chronici auctor: *B. Joannes presbiter . . . in domo Braydæ deceſſit anno Domini 1159. ſexto Cal. Octobris;* & in Sacris Humiliatorum Lectionibus anno MDXLVIII. editis: *Vir Dei tandem in pace quievit ſexto Calendas Octobris*. Itaque cum non potuerit profecto una eademque die & Joannes obire, & ejus corpus, a Novocomenſibus, Mediolanum, ejus morte audita profectis, Novocomum (urbem nempe XXV. millibus paſſuum Mediolano diſtantem) deferri, incertus hæreo, quam ſententiam amplectar.

XIV. Qua ratione ſub maxima Rondenarienſis Eccleſiæ ara (quam, Humiliatorum cœtu extincto, Clerici Regulares Congr. Somaſchæ anno MDLXXXIX. adierunt) uſque ad annum MDCVII. Sancti viri corpus ſervatum fuerit; repentinam vehementemque eo anno torrentis Coxiæ eruptionem, qua Eccleſia eadem ita vaſtata eſt, ut novam (cui Lauretani ſacelli nomen ab ædis forma inditum fuit) in alia ædium parte exſtruere fuerit neceſſe; inventum anno MDCXXXV. dum vetus Eccleſia in prophanos uſus converteretur, Joannis corpus; ac denique anno MDCXLV. VIII. Id. Junii novæ arcæ incluſum, atque ad Templum recens exſtructum delatum, omniaque, quæ, dum hæc agerentur, contigerunt, fuſe proſequitur Tattus, illumque ſequutus Suyske-

Suyskenius. Illud nos potius addemus, quod nec Tattus multo antea e vivis ereptus addere poterat, nec ad Suyskenii notitiam pervenit; anno ſcilicet MDCCXLIX., cum nova a PP. Congr. Somaſchæ Eccleſia ædificaretur, arcam marmoream, in qua S. Joannis corpus clauditur, die V. Auguſti in privatum Collegii Sacellum deportatam fuiſſe, donec anno MDCCLIII. die XV. Septembris, P. D. Franciſco Cicerejo Præpoſito, in novum templum illata, atque aræ ejuſdem nomini dicatæ ſuppoſita eſt.

XV. Nunc illud inquirendum ſupereſt, utrum Joannes eodem, quo obiit, anno MCLIX., fuerit ab Alexandro III. in SS. numerum cooptatus. Multis id probare aggreſſus eſt Tattus, qui tamen, quæ omnino diſtinguenda ſunt, non ſatis videtur diſtinxiſſe. Ut enim id probet, Scriptores omnes profert, qui Joannem Sanctum appellant. Atqui aliud ſane eſt aliquem hujuſmodi appellatione vulgò inſigniri, aliud eſt a Romano Pontifice Sanctorum numero ſolemni ritu adſcribi. Illa enim appellatio, ut optime Suyskenius animadvertit, multis conceditur, quibus numquam illa eſt a Romanis Pontificibus decreta. Nonnulli tamen ex iis, quorum auctoritate utitur Tattus, Joannem ab Alexandro III. ad hujuſmodi honorem fuiſſe evectum narrant, Benedictus Jovius (*a*) videlicet, Carolus Sigonius (*b*), Alphonſus Ciacconius (*c*), Arnoldus Wionius (*d*), Hieronymus Borſierius (*e*), aliique. Borſierius autem hoc ipſum Apoſtolicis literis confirmari ait, quæ ad calcem Conſtitutionum Humiliatorum adduntur. At literas haſce nec Tattus umquam, nec Puricellius, nec nos, nec, ut arbitror, Borſierius ipſe umquam vidit;

(*a*) Hiſt. Patr. Lib II.
(*b*) Lib. VIII. de Regno Ital. ad an. 1046.
(*c*) Vit. Roman. Pontif. in Gregor. VI.
(*d*) Martyrol. Bened. ad 16. Sept.
(*e*) Supplem. alla Nobiltà di Mil. Cap. IV.

dit ; cujus etiam auctoritas quanti facienda ſit , alias vidimus, quique hoc ipſo loco labitur, cum Alexandrum quartum pro tertio nominat. Sed præ ceteris Lucæ Caſtellini Ord. Prædicatorum auctoritatem profert Tattus. Ille enim cum anno MDCXXVIII. Tractatum ederet de *Certitudine gloriæ Sanctorum Canonizatorum*, illique eorum nomina conjungeret alphabetico ordine digeſta, qui ſolemni ritu Sanctorum Faſtis inſcripti ſunt, S. Joannem de Meda inter alios recenſuit (*a*), illumque ab Alexandro III. publico hujuſmodi cultu ornatum dixit. Cujus teſtimonium Tattus triplici potiſſimum ex cauſſa maximi facit ; primo quod diligentiſſime totam hanc rem auctor ille ſit perſequutus ; tum quod Romæ liber impreſſus ſit clariſſimorum virorum approbatione confirmatus ; denique quod Urbano VIII. librum ipſum auctor inſcripſerit, viro, ſi quis umquam, in iis, quæ ad SS. cultum pertinent, accuratiſſimo. Nec vero maximam hanc diligentiæ laudem, quam Tattus Caſtellino tribuit, denegare illi ego audeam. Sed quæ quantaque illa fuerit, melius, arbitror, ex Caſtellini ipſius quam ex Tatti verbis intelligemus. Audiamus itaque, qua ratione Tabulas illas Sanctorum a ſe confectas fuiſſe, Caſtellinus narret, quantaque in iis conſcribendis diligentia ſe uſum fateatur: *Collectus ſane fuit*, inquit (*b*), *ſequens Index ex Bullis Canonizationis ipſorum* (Sanctorum), *ex Breviario Romano*, *ex Martyrologio pariter Romano* ... *ex Catalogo Sanctorum Petri de Natalibus & Philippi Ferrarii*, *ex Surio*, *Lippomano*, *Sancto Antonio* (lege *Antonino*), *Voragine*, *Petro Ribadenera*, *Tritemio*, *Mombritio*, *Arnoldo* Wion *auctore ligni vitæ totius Religionis S. Benedicti*, *ex Enriquez Hortenſio auctore faſciculi Sanctorum Ordinis Ciſtercienſis*, *ex Petro Caniſio*, *Vincentio Belluacenſi*, *Bernardo Britone*, *Peralio Vallisbonæ*, *Platina*, *Panvinio*, *Flaminio*, *aliiſque Scriptoribus Vitæ Sanctorum*

(*a*) Tract. de Certitud. &c. pag. 419.

(*b*) Ibid pag. 423. 424.

ctorum atque Pontificum Romanorum. Quis vero ignorat, nonnullos ex his Auctoribus non paucis mendis ſcatere; plurimoſque ab illis in Sanctorum numero recenſeri, quibus numquam hujuſmodi honor ſolemni ritu collatus fuit? At forte Caſtellinus eorum dicta diligenter expendit, qui diligentis Scriptoris eſt mos, certa ab incertis accurate ſecernens. Minime ſane. Quin immo, ut Tattus de Caſtellini diligentia, ita de horum Scriptorum diligentia Caſtellinus mira prædicavit, eorumque auctoritati fidendum omnino eſſe ſtatuit (*a*): *Prænominati ſane auctores diſcrimen ab eis largiter cognitum inter juſtorum depoſitionem, elevationem, tranſlationem, relationem, & Canonizationem præſertim ſolemnem eximie explicarunt. Quamobrem quos ipſi optime ſuam fundantes intentionem certo pronunciant ſolemni ritu canonizatos, ita eſſe credendum eſt*. Vides itaque non majorem fuiſſe Caſtellini, quam ceterorum Auctorum diligentiam; atque hac de cauſſa Joannem ab illo inter Sanctorum numerum relatum, quod hoc ipſum a Wionio affirmari viderat. Præterquam quod, ut optime Suyskenius animadvertit, multa in illis tabulis Caſtellinus, *quæ corradere poterat, nec ſine mendis, congeſſit*. Auctoritas vero a Cenſorum & Urbani VIII. doctrina petita, quam infirma ſit, nemo non videt. Quis enim umquam arbitratus eſt Librorum Cenſores, aut eos multo adhuc minus, quibus Libri inſcribuntur, diligenter cavere, ne quis error hiſtoricus in Librum ipſum irrepat? Quis umquam credat aut Cenſores, aut ipſum Urbanum Pontificem Caſtellini tabulas diligenter expendiſſe, ac ſedulo cogitaſſe, ſinguli ne, qui in illis recenſentur, Sanctorum faſtis adſcripti eſſent? Quæ tamen non ideo a me dicta ſunt, ut Joannem fuiſſe ab Alexandro III., aut ab aliquo alio Romano Pontifice Sanctorum faſtis adſcriptum negem; ſed ut non ſatis id Tatti rationibus convinci oſtendam. Quamquam, ut candide fatear, tria me dubium hac in re reddunt,

(*a*) Ibid. pag. 429.

dunt , in eamque potius ſententiam flectunt , ut arbitrer numquam Joannem ſolemni ritu in Sanctorum numerum cooptatum fuiſſe . Ac primo Humiliatorum ſilentium : nullum enim aut in tribus Chronicis , in quibus multa de Joannis rebus geſtis habemus , aut in antiqua ejuſdem vita a Suyskenio edita , aut in Horis Humiliatorum Canonicis hujus rei veſtigium habemus ; nec vero videntur maximum hoc Patris ſui decus illi omiſſuri fuiſſe . Alterum eſt mira temporis brevitas (ſiquidem ab Alexandro III. publico cultu donatus dicatur eodem , quo obiit , anno MCLIX. ut omnes tradunt , qui Joannem in Sanctos relatum exiſtimant) , quod inter illius obitum , ac ſolemnem , ut dicimus , Canonizationem interceſſit . Quamvis enim citius res olim perageretur , vix tamen videtur , præſertim in non levi locorum diſtantia , cumque de eo homine quæſtio eſſet , qui probabiliter numquam Inſubria exceſſerat , tam cito de illius ſanctitate judicium Romæ fieri potuiſſe ; maxime cum , Eccleſia per id tempus Octaviani Pſeudo-Pontificis ſchiſmate turbata , minus otii Alexandro eſſe ad hujus cauſſæ cognitionem videretur . Tertio denique Humiliati ipſi Joannem Beatum ſæpius quam Sanctum appellant . Si enim ſacros eorum Libros excipias , in quibus plerumque die XXVI. Septembris *S. Joannis* feſtum indicitur , in utroque SS. ac BB. Indice , & in tribus Humiliatorum Chronicis , numquam Sanctus , ſed aut Venerabilis , aut Beatus vocatur . *Itaque* , ut cum Suyskenio finem huic quæſtioni faciam , *Joanni de Meda Sancti titulum , quem ab immemorabili tempore obtinuit , omnino adſcribo : ſed canonizationem ejuſdem ab Alexandro III. factam non poſſum non pro dubia habere , donec quis certiora attulerit .*

XVI. Enimvero Joannes Sancti titulo inſignitus in recentioribus Martyrologiis non paucis occurrit , aliiſque auctoribus , quorum verba Suyskenius refert . Humiliati vero die XXVI. Septembris illius memoriam colere conſueverant . In prima tamen *Breviarii* Humiliatorum editione anno MCCCCLXXXIII. pera-

ꝺa, quamvis in *Kalendario* Joannis feſtum enuncietur, nullum tamen, ne *de Communi* quidem, ut ajunt, *Officium* ad diem XXVI. Sept. indicitur. In altera vero, quam ego non vidi, editione anno MDIV. confecta, proprium illius *Officium* additum fuiſſe, ait Puricellius. Hujuſmodi vero in ceteris deinde editionibus videmus. Mittimus hic *Lectiones* & *Antiphonas* recitari ſolitas proferre, uti etiam *Miſſam* in Humiliatorum *Miſſali* anno MDIV. edito præſcriptam. Etenim, præterquam quod hanc Sormannus (*a*), illas auctor Vitæ S. Joannis an. MDCCXLVIII. Novocomi impreſſæ, & partim etiam Suyskenius publici juris fecerunt, nihil illis continetur, quod ex iis, quæ diximus, non ſatis conſtet. Illis vero adhuc utuntur Humiliatæ Moniales. Quin & ipſi Clerici Regul. Congr. Somaſchæ ſacrum Joanni diem XXVI. Sept. Novocomi celebrant, *Miſſa* tamen & *Officio* omiſſo, ex S. Congregationis decreto XI. Auguſti an. MDCXCI., quo Sanctorum, quorum corpus ſeu inſignes reliquiæ habentur, tunc tantum *Officium* & *Miſſa* celebrari permittitur, cum eorumdem nomen in Romano Martyrologio recenſetur.

XVII. Tertius in Humiliatorum tabulis profertur *B. JACOBINUS DE SENIS CARDINALIS*. Sed hujus res geſtas, ſi quo modo fieri poterit, in altera hujus Diſſertationis parte illuſtrabimus, ubi de Humiliatis dignitate illuſtribus ſermo erit.

XVIII. Sequitur deinde *S. BAUDOLINUS EPISCOPUS DE ALEXANDRIA*, qui cum in Humiliatorum Tabulis recenſeatur, facile quis ſuſpicetur, Humiliatum illum revera fuiſſe. Atqui tantum abeſt, ut Humiliatis umquam adſcriptus fuerit Baudolinus, ut tribus ſæculis vixerit, antequam illorum cœtus cogeretur. Sed qua ille ratione in Humiliatorum SS. Catalogum irrepſerit, mox videbimus, poſtquam ejuſdem res geſtas expoſuerimus. Placet enim diligentius, quæ ad S. Baudolinum pertinent, inveſtigare, quod

(*a*) Stor. degli Umil. pag. 134.

Digitized by Google

quod multis hactenus tenebris obducta fuerint. Ac primo proferenda ſunt veterum Scriptorum de Baudolini ſanctitate teſtimonia. Itaque Paullus Diaconus Scriptor Baudolino fere æqualis hæc habet (*a*): *Hujus Regis* (Liutprandi Langobardorum Regis, qui ab anno DCCXII. ad annum DCCXLIV. regnavit) *temporibus fuit in loco, cui Forum nomen eſt, juxta fluvium Tanarum, vir miræ ſanctitatis, Baudolinus nomine, qui multis miraculis, Chriſti gratia ſuffragante, refulſit. Qui ſæpe futura prædixit, abſentia quoque quaſi præſentia nuntiavit. Denique cum Rex Liudprandus in urbem ſilvam* (ita) *venatum iſſet, unus ex ejus comitibus cervum ſagitta percutere niſus, ejuſdem regis nepotem, hoc eſt ſororis ejus filium, Auſuſum nomine, nolens ſauciavit. Quod rex cernens, valde enim eundem puerum amabat, cum lachrymis ejus incommodum lamentari cœpit, ſtatimque unum e ſuis equitem miſit, qui ad virum Dei Baudolinum curreret, eumque peteret, ut pro vita ejuſdem pueri Chriſtum ſupplicaret. Qui cum ad ſervum Dei pergeret, puer defunctus eſt; cui Chriſti famulus ad ſe pervenienti ita dixit: Scio quam ob cauſam veneris; ſed illud quod poſtulas* (Codex Modoetienſis legit: *quod poſtulare miſſus es*) *jam fieri non poteſt, quia puer ille defunctus eſt. Quod cum is, qui miſſus fuerat, regi, quod a ſervo Dei audierat, renuntiaſſet, rex licet doluerit, quod effectum ſupplicationis ſuæ habere non potuit, tamen quia vir Domini Baudolinus ſpiritum prophetiæ habuerit, aperte cognovit*. Hæc Paullus Diaconus; cujus deinde teſtimonio Sigonius uſus eſt Baudolini ſanctitatem paucis verbis commemorans (*b*). Ejuſdem etiam, ſed breviſſime, meminit Chronicon Monaſterii Novalicienſis (*c*) his verbis: *Hujus ergo* (Liutprandi) *temporibus apud Forovicum erat Sanctus Baudolenus*.

XIX. Sed ex antiquis auctoribus nullum alium invenire licuit,

(*a*) De Geſtis Langobard. Lib. VI. Cap. LVIII.

(*b*) De Regno Ital. Lib. III. in Luitprando.

(*c*) Script. Rer. Ital. Vol. II. P. II. col. 714.

cuit, qui Baudolinum commemoret. Nec aliud quidquam de geſtis illius rebus nobis innoteſceret, niſi plura in Humiliatorum Horis Canonicis recenſerentur, ex quibus viſum eſt ea omnia excerpere, quæ ad S. Baudolinum pertinent. Utemur autem nuperrima illarum editione Mediolanenſi an. MDCCLI., ſimulque ſi qua in re veteres editiones diſcrepent, adnotabimus. Ibi itaque ad X. Nov. habemus: *In Feſto S. Baudolini Epiſc. & Confeſſ. omnia de Communi præter ſequentia.* In Primis Veſperis ad Magnificat: *Baudolinus in hortulo Olerum ſerit ſemina, quibus ſuperveniens viator famelicus ſub ipſa hora natis veſcitur & obſtupeſcit ad miraculum.* Oremus. *Propitiare nobis quæſumus Domine famulis tuis per hujus Sancti Confeſſoris tui Baudolini merita glorioſa, ut ejus pia interceſſione ab omnibus protegamur adverſis. Per Dominum &c.* Tum *Lectiones* ſequuntur, quibus Vita Baudolini exponitur, ſex nempe, ex Humiliatorum more, ex quibus tres priores in primo nocturno, reliquæ in altero recitantur. Lectio I. *Hic vir ſanctitate eximius, cujus hodie feſtum colimus, Baudolinus nomine, ab oppido quondam celebri, quod Forum dicebatur, poſtmodum labentibus rebus in parvum vicum redactum, nunc Villafori ab incolis appellatur, ubi magalia agunt paſtores, haud ita procul ab urbe Alexandriæ* (in veteribus editionibus: *Alexandria Europæ*) *exſtitit oriundus. Tu autem &c.* Lectio II. *Orbatus itaque utroque parente, cum placuit Altiſſimo, poſtquam vidit Baudolinus humana hæc omnia, quæ ab his, qui ea ſuſcipiunt, prima ducuntur, nullis ſuis ſubnixa viribus fluere & labi, ſtatuit animum ab eorum cupidine prohibere, & his rebus maxime intendere, quæ cum ſint firmæ, & perpetuæ tranquillitatem pariunt, ſuoſque cultores cœlo inferunt. Tu autem &c.* Lectio III. *Ceterum quo vacuo magis animo rem ipſam perageret, ſuiſque ſtudiis obſequi poſſet, diſtractis, quæcumque ex patris hæreditate poſſederat, quicquid inde pecuniæ conflatum eſt, id totum levandæ pauperum inopiæ, & miſerorum deprecandis incommodis erogavit. Tu autem &c.* Lectio IV. *Exutus igitur rebus omnibus æque, ac earum cupidine, ſolitarium locum*

petiit

petiit juxta templum Deiparæ Virginis, quod Fori erat, pollens antiqua Religione, ſed populo infrequens, ubi die noctuque jejuniis & orationibus incumbens, adeo celebre nomen adeptus eſt ſanctitatis, ut multi mortales ad eum confluerent alii alia petentes. Tu autem &c. Lectio V. *Miraculis plurimis claruit, quibus effectum eſt, ut duo Epiſcopi Dertonenſis ſcilicet & Aquenſis, apud quos ipſe invidia quorumdam Religioſorum falſo delatus fuerat, in ſuorum Epiſcopatuum ſocium eum & collegam adoptarent, licet renuentem. Tu autem &c.* Lectio VI. *Tandem præſcius mortis ſuæ, in Domino feliciter requievit, regnante Liutprando Langobardorum Rege; cujus corpus e Foro in Alexandriam juſſu Alexandri III. Pontificis Maximi, qui titulum & nomen ei civitati dedit, translatum, in templo ſub nomine ejus conſtituto uſque in hodiernum diem colitur. Tu autem &c.* Ad Benedictus Antiph. *Dum Dertonam pergit vir Dei, tunicam aquis inſtratam cum nuncio Epiſcopi conſcendens, in nomine Domini amnem Burmidam tunc vado inſuperabilem, ac ſi nave vectus eſſet, incolumis pertranſivit.* Ad Magnificat Antiph. *Ad juſſa Baudolini veniunt anſeres, ac dicto audiunt, cerva potum plenis præbet uberibus. Magnificemus ergo Dominum, qui potens eſt, & in Sancto ſuo Baudolino operatus eſt magnalia.*

XX. Hæc habemus paullo vetuſtiora de Baudolini ſanctitate rebuſque geſtis teſtimonia, quibus innixus breve illius elogium contexuit Philippus Ferrarius (a). Illius pariter Martyrologii Benedictini auctores meminerunt, Bucelinus, & Menardus ad diem X. Novemb. Sed uterque graviſſime lapſus eſt, cum Baudolinum Humiliatorum leges ſequutum dixit. At S. Baudolini vitam fuſe conſcribere aggreſſus eſt, eamque Alexandrinis typis edidit anno MDC. P. Archangelus Caraccia Ord. Prædicat. Hic vero non ſolum Paullo Diacono, Carolo Sigonio, atque horis Humiliatorum Canonicis uſus eſt, ſed MS. etiam de illius vita Commentario, quem Georgii Merulæ nepos neſcio quis olim ſcripſerat. Caraccia

(a) Catal. SS. Ital. ad diem X. Nov.

ciæ deinde narrationem contraxit, brevioremque Baudolini vitam edidit Petrus Hiacinthus Gallitia (*a*). Sed ſuperioris ætatis vitio peccat Caraccia, vitam Oratorio potius, quam hiſtorico more enarrans, veriſimilia paſſim veris commiſcens, nec, quibus ſingula auctoribus referat, accurate diſtinguens. Itaque in iis illuſtrandis, quæ de S. Baudolino referri videmus, ita illius auctoritate utemur, ut quæ vere dici, quæ probabiliter tantum, aut etiam falſo arbitramur, ſedulo expendamus.

XXI. Forum, quod etiam, Ghilino teſte (*b*), Villa dicitur, pagus eſt tribus circiter paſſuum millibus Alexandria Statiellorum diſtans, extra Genuenſem portam. Hæc ſcilicet Baudolino patria fuit, quem anno circiter DCCXVI. natum iidem auctores dicunt. Sed cum anno DCCXL. illum obiiſſe referant, quod etiam Julianus Porta confirmat (*c*), videntur hæc ſane conciliari non poſſe: etenim XXIV. annos tantum vixiſſe ille dicendus eſſet; quod nemo profecto de illo homine credat, quem videat epiſcopalis muneris ſocium a Derthonenſi & Aquenſi Epiſcopis fuiſſe adhibitum. Itaque aut ortus antea ſtatuendus, aut obitus protrahendus, qua in re nihil certo affirmare poſſumus. Plura de Baudolini pueritia ſanctiſſime traducta, de parentum in illius informationem collato ſtudio, de caſtiſſimis ejuſdem moribus refert Caraccia; illum omnium animos ad ſe rapuiſſe; mendacia, voluptates, illecebras omnes exoſum, cibi, ludi, ſomnique abſtinentem fuiſſe, aliaque hujuſmodi, quæ probabiliter magis quam certe narrari videntur. Qua ratione ſublatis parentibus totum ſe Deo devoverit Baudolinus, quemque ſolitudinis ſuæ locum delegerit, ſatis explicant recitatæ *Lectiones*. At Deiparæ templum illud, quod Fori erat, Canonicorum aliquot curæ commiſſum fuiſſe,

(*a*) Atti de' SS. che fiorirono negli Stati della Caſa di Savoja T. V. pag. 1. &c.
(*b*) Annal. d'Aleſſandria pag. 337.
(*c*) Eroi d'Aleſſand. pag. 43.

ſe, narrat Caraccia, qui Divinis laudibus canendis, Sacriſque celebrandis exercebantur; quorum cum ſiniſtra eſſet apud vicinos fama, Baudolinum Divini cultus ſtudioſiſſimum, gravibus prudentibuſque verbis (quæ a Caraccia ipſo proferuntur), ut ſuæ conditionis memores ſanctius vitæ genus amplecterentur, illos commonuiſſe. Hinc iratos Canonicos multa de Baudolini nece cogitantes inducit Caraccia; ac tandem hoc illos conſilium cepiſſe narrat, ut illum ſcilicet apud Aquenſem Epiſcopum, cujus ditioni Forum ſuberat, ut maledicum, plebis concitatorem, callidumque pietatis ſimulatorem traducerent. Quæ omnia, quam vere dicantur, aut quorum Scriptorum auctoritate nitantur, ignoro. Ego ſane ſuſpicor verba illa, quæ ex Humiliatorum *Lectionibus* jam recitavimus: *apud quos* (Epiſcopos) *ipſe invidia quorumdam Religioſorum falſo delatus fuerat*, occaſionem narrationis hujuſmodi contexendæ Caracciæ tribuiſſe. Ac ſane potuiſſe hæc ita fieri, non inficior; facta fuiſſe, non ſatis probat Caraccia. Quod ſi hæc a Merulæ nepote Caraccia hauſit, optandum eſſet, ut quibuſnam monumentis uſus ille fuiſſet, cognoſceremus; cum enim non potuerit ille niſi ad ſummum XV. ſæculo exeunte ſcribere, (quo tempore Georgius ipſe vivebat), nimis a Baudolini ætate diſtat, ut ejuſdem auctoritati ita fidamus, ut nulla veterum monumentorum teſtimonia optemus. Sed jam ad Caraccianæ narrationis ſeriem redeamus.

XXII. Aquenſis Epiſcopus, Canonicorum querelis auditis, nuncium miſit, qui Baudolinum ad ſe adduceret. Qui cum ad Baudolinum veniſſet, Fori incolas apud eum collectos invenit, agros ſuos a maxima ſilveſtrium anſerum copia vaſtatos conquerentes, hominemque orantes, ut Divinam iram ſuis precibus flecteret. At Baudolinus Epiſcopi nuncio excepto, auditoque imperio, ocius ſe juſſa ſacturum reſpondet: interim tamen nuncium ipſum ruſticoſque præſentes ad vicinos campos digredi jubet, atque anſeres ſuo nomine monere, ut ad ſe accedant. Quod cum

illi feciſſent, anſeres ſtatim Forum ingreſſi turmatim, populo univerſo (inquit Caraccia, qui paullo poſt nocturnum tunc tempus fuiſſe ait) ad ſpectaculum prodeunte, ad Baudolinum acceſſerunt; qui illos cubiculo per noctem incluſos, mane deinde monitos, ne impoſterum agros vaſtarent, abire juſſit. At illi obſtrepere, & Baudolini juſſa detrectare quodammodo. Senſit porro vir Sanctus, unum ex illis raptum a villicis noctu voratumque fuiſſe. Illos itaque anſeris ſilveſtris furtum cicure anſere rependere jubet. Tum vero, Baudolino iterum imperante, anſeres fuga capta nullam amplius agris perniciem intulerunt. His actis Baudolinus cum nuncio iter ingreſſus, hunc ſiti æſtuantem monuit, ut ad ceſpites quoſdam ſitis ſolatium reperturus accederet; quo cum ille iviſſet, diſtentis uberibus cervam invenit, cujus lacte refectus eſt. Hæc porro omnia cum a nuncio intellexiſſet Epiſcopus, Baudolinum honorifice excepit. Quin etiam in Canonicos, ut par erat, animadvertiſſet, niſi ſubmiſſis precibus conceptam in eoſdem Epiſcopi iram Baudolinus leniiſſet. Qui deinde ab Epiſcopo ipſo rogatus, ut in Epiſcopalis oneris partem ſuccederet, exorari non potuit, imparem ſe illi ferendo conſtantiſſime dictitans. Hunc in modum, Canonicis nequidquam frementibus, Baudolinus ſua ſe iterum ſolitudine abdidit. Nec tamen acquieverunt illi; ſed re ad Derthonenſem Epiſcopum delata, qui Mediolanenſis Archiepiſcopi Metropolitæ (ut contendit fieri potuiſſe Caraccia, cui idem videtur, eſſe aliquid poſſe, ac revera eſſe) vices gerebat, effecerunt, ut ille etiam Baudolinum ad ſe accerſeret. Baudolinum olera in hortulo ſuo ferentem nuncius invenit; cumque illum de Epiſcopi voluntate commonuiſſet, reſpondit Baudolinus, ſe Epiſcopi imperiis præſto futurum, ſed vires antea cibo reficiendas, quo alacrius iter ingrederentur. Menſam itaque ſibi æque ac nuncio pane tantum & aqua inſtruxit; quod cum hic ægre ferret, atque a Baudolino exquireret, nihil ne aliud juberet apponi, ſe quidem his tantum vivere,

Digitized by Google

vivere, Baudolinus repoſuit; nonnulla ad ſummum olera deliciarum cauſſa accedere interdum; ſed horum, quæ vix, ut viderat, conſita eſſent, nullam ſibi eſſe per id tempus copiam. Nihilominus cum nuncio ipſo hortum ingreſſus, olera illico nata atque educta comperiunt. His refecti iter ingrediuntur, nuncio viri ſanctitatem ſecum mirante. Sed multo major admiratio inceſſit, cum ad Bormidam accedentes, qui fluvius Forum inter ac Derthonam interfluit, illum ſubito imbrium impetu ita exundantem viderunt, ut tranſvehi nullo modo liceret. Tunc enim Baudolinus Dei ope implorata, inſtratoque aquis pallio, illud cum ſocio, inſtar cymbæ, conſcendens, ad ulteriorem ripam feliciſſime traductus eſt. Quæ cum Derthonenſi Epiſcopo nuncius narraſſet, hic non modo Baudolinum honorifice excepit; ſed etiam illatæ quoquomodo injuriæ veniam petiit. Tum re cum Aquenſi Epiſcopo communicata, uterque Baudolinum, quamvis invitum, Epiſcopalis muneris ſocium adhibuit, eumque iis populis præeſſe juſſit, qui Foro adjacebant.

XXIII. Hæc quæ paucis verbis perſtrinximus, fuſiore atque Oratorio ſtilo perſequitur P. Caraccia. Ac ſane Baudolinum falſorum criminum apud Derthonenſem & Aquenſem Epiſcopos accuſatum fuiſſe, ab iiſdem deinde non abſolutum modo, ſed in Pontificii oneris partem vocatum; illum præterea & olera recens conſita, effeciſſe, ut extemplo naſcerentur, & fluvium inſtrato pallio prætervectum, & anſeres dictis audientes habuiſſe, aliaque hujuſmodi patraſſe prodigia, ex Canonicis præſertim Humiliatorum horis didicimus. Sed hæc eodem ſcilicet ordine, eademque rerum ſerie contigiſſe, qua Caraccia utitur, quanam auctoritate, aut quibus monumentis comprobatur? At veriſimile eſt, ita hæc omnia accidiſſe. Eſto. At licet ne hiſtorico, quæ contingere potuerint, eadem, ac ſi vere contigerint, indubitate proferre. Mihi ſane videtur Caraccia (aut Merulæ nepos, ſi hic potius Baudolini vitam hac ratione primus digeſſit) cum pauca illa de Baudo-

lino referri videret, quæ ex antiquis monumentis retulimus, nec ſatis geſtarum rerum ſeriem diſtingui, hunc modum excogitaſſe, quo omnia ſuis fere temporibus diſtributa proferret. Sed melius profecto hiſtoriei Scriptoris partes egiſſet, ſi Lectores hoc ipſum monitos voluiſſet, non certa quidem ſed probabilia a ſe narrari. Atque ad miram Bormidæ tranſvectionem quod attinet, illam cum Epiſcopi nuncio factam fuiſſe vidimus ex *Antiphona ad Benedictus*. Sed cetera alia prodigia iiſdem nunciis ſpectantibus peracta fuiſſe, ibi ne innuitur quidem; quin etiam, cum de oleribus repente enatis eſt ſermo, eæ loquutiones adhibentur, quibus id negari videtur: *Baudolinus in hortulo olerum ſerit ſemina, quibus ſuperveniens viator famelicus &c.* Sicuti enim alibi nuncius Epiſcopi prodigii ſpectator dicitur, ita hic etiam dicendus, ſiquidem adfuiſſet, videbatur.

XXIV. Sed verba illa diligentius inveſtiganda ſunt: *ut duo Epiſcopi, Derthonenſis ſcilicet & Aquenſis ... in ſuorum Epiſcopatuum ſocium eum & collegam adoptarent, licet renuentem*. Quæ verba graviſſimi erroris anſam aliquibus ac Menardo præſertim & Bucelino præbuerunt, qui illum Alexandrinum Epiſcopum appellarunt, quattuor ſcilicet ſæculis antequam Alexandrina urbs exſtrueretur. Quin etiam Bucelino ſatis non eſt Alexandrinam urbem jam ab octavo ſæculo fingere (hoc enim ſæculo Baudolinum vixiſſe fatetur); antiquiorem adhuc facit: *quam ipſe Cathedram*, addit, *pulcherrimo ſanctitatis titulo, multo quam antea illuſtriorem reddidit*. Cautius Humiliati Scriptores in Sanctorum ſuorum Catalogo ſcripſerunt: *S. Baudolinus Epiſcopus de Alexandria*. Quibus verbis illum Alexandrinum Epiſcopum fuiſſe non indicant; tunc enim ſcripſiſſent: *Epiſcopus Alexandriæ*, ſeu *Alexandrinus*; ſed Epiſcopum illum fuiſſe, & Alexandriæ illius Corpus ſervari, vel locum ipſum incoluiſſe Baudolinum, prope quem deinde Alexandria condita fuit. Verum recte ne Baudolinum ab Humiliatis Epiſcopum appellari arbitrabimur? Ut hoc ſtatuamus, animadvertendum primo eſt,

certam

certam Epiſcopalem ſedem Baudolino nullam fuiſſe: profecto enim nec Aquenſis, nec Derthonenſis, nec alia ulla umquam Eccleſia in ſuorum Antiſtitum numero Baudolinum recenſuit. Ac fruſtra Caraccia ait, poſſe illum dici Fori Epiſcopum: hanc enim Epiſcopalem ſedem Caraccia primus invexit, nemini hactenus cognitam. Itaque hoc unum ſupereſt, ut Baudolinum Chorepiſcopum fuiſſe dicamus. Enimvero hæc fuiſſe videtur Humiliatorum opinio, ut ex eorumdem recitatis *Lectionibus* colligimus: *in ſuorum Epiſcopatuum ſocium eum & collegam adoptaverint*. Hoc ipſum Merulæ nepos innuit, cujus verba profert Caraccia: *Socium imperii conſiliique illum ſibi adoptavit* (Derthonenſis Epiſcopus) *juriſque & majeſtatis ſuæ conſortem fecit*. Porro Chorepiſcopi munus præſertim uſque ad Caroli M. tempora in uſu fuiſſe, eruditi norunt. Eorum ſcilicet erat, Epiſcopalia minoris momenti munera in vicis obire, ideoque etiam *Villani Epiſcopi* appellabantur interdum (*a*). At Epiſcopali ne dignitate ac jure Chorepiſcopi gauderent, diſputant Eccleſiaſticarum rerum Scriptores. Ac Petavius quidem (*b*) plura affert, quibus Chorepiſcopos hujuſmodi honore præditos fuiſſe comprobet. Negat vero Pariſienſis Archiepiſcopus Petrus de Marca (*c*). Plura de Chorepiſcopis habet Cangius (*d*), qui alios etiam auctores profert, qui de iiſdem diſputant. Quibus addendus eſt P. Joannes Hiacinthus Sbaralea Ord. Minor. Convent. S. Franciſci, qui plurimis argumentis Petavianam ſententiam propugnat (*e*). Nobis quæſtionem hujuſmodi ingredi non vacat. Hoc unum ſtatuimus veterem, tum Alexandrinorum Civium, tum Humiliatorum traditionem Baudolini Epiſcopatui favere, quem ut Epſcopum venerati ſunt ſemper, primique adhuc venerantur.

XXV.

(*a*) Cangius Gloſſar. in voce *Chorepiſcopus*.
(*b*) In Notis ad Epiphan. ad hær. 69.
(*c*) Lib. II. de Concordia Sacerd. & Imp. Cap XIII & XIV.
(*d*) Gloſſar. ibid.
(*e*) Apud Fleury Diſciplin. Pop. Dei Edit. Venet. 1761. Vol. II. pag. 163.

Digitized by Google

XXV. Baudolini mortem anno DCCXL., ut vidimus, auctores conſignant, quod tamen fieri non potuiſſe monuimus, ſi quidem ille anno DCCXVI. ortum duxerit, ut iidem referunt; qua in re non ſatis ſibi conſtat Caraccia, qui cum hos ipſos ortus atque obitus Baudolini annos ſtatuat, illum tamen ſenem obiiſſe ſcribit. Multa etiam addit de piiſſima Baudolini morte, cui Deiparam ſe videndam tunc præbuiſſe, refert. Quæ omnia utinam veterum monumentorum teſtimonio comprobaſſet Auctor. Baudolini corpus diu in eodem, apud quem vixerat, pago jacuit, Ghilino teſte (*a*), donec Alexandrina urbe anno MCLXVIII. exſtructa, temploque deinceps Baudolini nomini ſacro anno MCLXXXIX. ædificato, huc illius corpus delatum eſt. Ita rem narrat Ghilinus (*b*); cui tamen Humiliatorum auctoritas opponitur: in eorum enim Canonicis Horis legimus, Alexandri III., qui anno MCLXXXI. obiit, juſſu Baudolini corpus Foro Alexandriam delatum fuiſſe. Fieri autem potuit, ut Alexandro III. imperante urbi ejuſdem corpus inferretur, novum vero templum nonniſi anno MCLXXXIX. excitaretur. Templum ipſum Humiliatis conceſſum; cumque Baudolinum præcipuum urbis patronum Alexandrini juſſiſſent, ſolemni pompa ſacra illi dies IV. Idus Novemb. celebrari conſueverat, atque adhuc celebratur. Porro Alexandrinos ideo urbis Patronum Baudolinum renunciaſſe narrat Caraccia, quod urbe ab hoſtibus obſeſſa, ſublimem ſe ille e mœnibus ac minaci vultu videndum hoſtibus præbuerit, eoſque in fugam conjecerit. At unde hoc prodigium, cujus tempus non adnotat, ille hauſerit, omnino ſilet. Qua vero ratione Baudolini cultus ita apud omnes Humiliatos diffuſus ſit, ut illum etiam Humiliatum dixerint, ſuorumque SS. numero adſcripſerint, hinc arbitror factum fuiſſe, quod cum Alexandrina S. Baudolini domus

(*a*) Annali d'Aleſſandria pag. 13. ad an. 1189.

(*b*) Ibid.

Digitized by Google

mus inter antiquiſſimas Humiliatorum domos recenſeretur, ſolemnique ibi pompa, ut diximus, Baudolini exuviæ colerentur, ceterarum etiam domorum Humiliati, illius exemplo ducti, S. Baudolinum colere cœperint; atque hunc in modum toto paullatim Ordine illius cultus diffuſus ſit, ut Horis Canonicis insereretur, atque apud poſteriores rudioreſque Humiliatos opinio etiam invaleſceret, Baudolinum Humiliatum revera fuiſſe. Certe jam ab anno MCCCCLXXXIII. illius memoriam quotannis Humiliati venerabantur, ut ex Horis Canonicis eo anno editis conſtat, in quibus ad X. Novemb. hæc habentur: *In S. Baudolino Epiſcopo & Confeſſore Ordinis humiliatorum, omnia fiant ſicut in communi unius Confeſſoris Pontificis*. At in editione an. MDXLVIII. omnia illa de Baudolini vita addita ſunt, quæ num. XIX. recitavimus. Illis adhuc utuntur Humiliatæ Moniales, quæ veterem Humiliatorum ritum adhuc ſervant. Verum tum in S. Baudolini Eccleſia, tum in ceteris urbis ac Diœceſis Alexandrinæ Eccleſiis omnia de Communi, ut ajunt, Confeſſoris Pontificis recitantur. Hæc tantum propria in Cathedrali Eccleſia leguntur. Ad Laudes: *Benedictus Pater & Paſtor noſter Baudolinus, cujus vita egregia nos ædificat, protectio nos adjuvat, & recordatio nos lætificat*. ℣. *Reſpice, Pater, ſuper filios tuos*. ℟. *Reſpice, Paſtor, ſuper gregem tibi commendatum*. Ad Veſperas: *Dilectus Deo & hominibus Beatus Baudolinus in terris pugnat fideliter, in Cœlo coronatur feliciter, & a nobis recolitur humiliter*. ℣. *Hic eſt Sanctus, qui placuit Deo*. ℟. *Cujus memoria non recedet in æternum*. Oremus. *Deus, qui propter merita, & Orationes Sanctorum peccatores non deſpicis, quæſumus ut interveniente Sancto Baudolino Protectore noſtro ſine te in hoc ſæculo non vivamus, & ad te cum eo pervenire valeamus. Per Chriſtum &c.*

XXVI. *B. ANDREAS SENENSIS* poſt S. Baudolinum occurrit. In hujus rebus geſtis illuſtrandis, non eſt cur diutius immoremur. Etenim poſt veterem illius Vitam a Bartholomæo Naccarino an. MDXXVIII. editam, ex qua ſuam deinde collegit Silva-

Silvanus Razzius Camaldulenſis, Vitiſque SS. Etruſcorum inſeruit (*a*); poſtque aliam a P. Raimundo Barbio Ord. Præd. an. MDCXXXVIII. vulgatam, quæcumque ad Andream pertinent, diligenter illuſtrata habes in Actis SS. (*b*); ut mittam breve ejuſdem Elogium a clariſſima *Intronatorum* Academia confectum (*c*). Nos itaque illis breviter commemoratis, quæ in dubitationem non cadunt, nonnulla, quæ non ſatis conſtant, enucleatius evolvemus. Andreas e Gallerana, nobiliſſima Senenſi familia, Ghezzolino patre, ſæculo XII. exeunte ortus, ſtrenuum primo in patria militem ſe præbuit; tum blaſphemi hominis cæde perpetrata, ſolum vertere coactus eſt. Quo ille in exilium conceſſerit, auctores ſilent. Sed huc referendum videtur, quod Ugurgierius narrat in quodam Opuſculo MS., quod Senis in publici Gymnaſii Bibliotheca ſervatur, ut ad me ſcripſit ſæpiſſime mihi commemorandus P. Benedictus Vulpius Soc. Jeſu. Ibi enim narrat, Andream noſtrum Avenione maxima cum laude in bellis verſatum fuiſſe; quod ſcilicet, ut diximus, ad hoc exilii tempus probabiliter pertinet. Qua deinde occaſione ab exilio redux, totum ſe Deo Diviniſque rebus devoverit, narrat veteris Vitæ in Actis SS. editæ auctor, apud quem facti fides eſto. *Hic* (Andreas) *cum a Poteſtate Senenſi ex perpetrato homicidio publice exularet, quaſi nocturno tempore cum fratre ſuo de maritima veniens, vidit nubem de ſub quodam molendino ſubito exeuntem, quæ ipſum cum equo, cui inſidebat, a fratris aſpectu ſubtrahens, trium fere miliariorum ſpatio per aerem detulit, ipſo germano ſequente, & tantam perditionem doloroſis & anxiis gemitibus adclamante. Sed Vir Dei mox ſalutatione Virginis ſe munivit, eam nullatenus deſinens devotiſſime ſalutare, ita ut ejus meritis tandem ad terram fuerit incolumis reſtitutus.* Hæc ille.

XXVII.

(*a*) Parte II pag. 40.
(*b*) T. III. Mart. ad diem XIX. pag. 49. Edit. Antverp.
(*c*) Faſti Senenſ. pag. 72.

XXVII. Quam pium vero ſanctumque vivendi genus amplexus fuerit Andreas, fuſe narrat ejuſdem Vitæ auctor. Quidquid a diurnis laboribus temporis ſupereſſet, totum id precibus impendere piiſque contemplationibus conſueverat; inter quas cœleſtium rerum ſuavitate ſic rapiebatur, ut ſolum jugibus lacrimis humectaret. Deiparam autem Virginem, cujus præſentiſſimam opem, ab hoſtibus ad necem non ſemel quæſitus, expertus fuerat, eximio cultu proſequebatur. Qui quam acceptus Deiparæ ipſi eſſet, ſatis patuit, cum Andreæ cubiculo mira luce per noctem illuſtrato, rem mirata ancilla, ac propius accedens, Mariam vidit humaniſſime cum Andrea colloquentem. Sed nihil antiquius Andreæ fuit, quam ut in pauperes ægroſque pium ſe liberalemque præberet. Qua in re prodigiis quamplurimis hominis pietatem comprobavit Deus. Ægri interdum mirum in modum ſanitati redditi, vinum ſæpe ac panis egenis levandis auctus, clauſæ fores venienti Andreæ ultro patefactæ, ejuſdem veſtes, pluvia circum undique ingruente, intactæ, aliaque ejuſmodi non pauca, quæ in Andreæ vita leguntur, præclaram viri ſanctitatem teſtantur. Nec tamen ſatis ſibi viſus eſt ægrorum neceſſitatibus conſulere, niſi iis recipiendis ſanandiſque Noſocomium ſimulque piorum hominum Societatem conderet. Fuit olim Senis Noſocomium, *Domus S. Mariæ de Miſericordia Pauperum Senenſ.*, appellatum, quod uſque ad annum MCCCCVIII. (in Actis SS. *a*) per errorem impreſſum eſt an. MCCCVIII.) ſtetit, quo tempore Noſocomio diſſoluto, publicum ibi gymnaſium ſub *Sapientiæ* nomine conſtitutum eſt (*b*). Illius porro auctorem B. Andream fuiſſe conſtat ex lapide præſertim, qui ibidem exſtat apud Deiparæ aram: *An. D. MCCCXLVII. die VIII. Junii, tempore M. Agnoli Gucci Rectoris bujus domus conſtitutum fuit a Communitate Senenſi, ut feſtum*

 B. An-

(*a*) Loco cit. num. 10.

(*b*) Ugurgierius in citato Opuſc. MS.

B. Andreæ, qui caput & principium fuit hujus Sanctæ Domus, die Lunæ Sancto quotannis in perpetuum ſervaretur, ad gloriam Dei & honorem ipſius, qui ex hac vita deceſſit an. MCCLI.

XXVIII. At Noſocomium hoc Humiliatorum tertii Ordinis curæ commiſſum fuiſſe, nemo hactenus, quod ſciam, animadvertit, præter Clariſſimum Equitem Joannem Antonium Peccium Senenſem, qui illud in quodam ſuo Opuſculo de memorandis in Senenſi urbe rebus commemorat. Id porro ex iis, quæ alibi protulimus (*a*) monumentis, aperte patet. Videmus enim & Martinum IV. anno MCCLXXXII. Idibus Octobr., & Bonifacium IX. anno MCCXCVI., & Clementem V. anno MCCCXIV. Domum hanc *Ordinis Humiliatorum* vocare. Itaque Humiliatos tertii Ordinis, quod alibi factum videmus, Senis etiam Noſocomio præfuiſſe, videtur in dubium revocari non poſſe. Nonnulla tamen ſunt, quibus opinio hæc ſatis valide oppugnatur. Ac primo videmus illos, qui hoc Noſocomium adminiſtrabant, in aliis monumentis *Oblatos*, & *Fratres de Miſericordia Pauperum Chriſti*, non vero Humiliatos, appellari (*b*); ac præterea videmus Prædicatorum Ordini addictos fuiſſe illos in primis. Stephanus Biſentinus enim, octavus Prædicatorum Generalis Magiſter, decreto an. MCCXCII. X. Auguſti edito, in Sacrorum Communionem Fratres hoſce recepit, edixitque, ut iis obeuntibus eadem ſolverentur, quæ ſuis ſolvi conſueverant; ut Ugurgierius in memorato Opuſculo MS., & Editores Actorum SS. narrant (*c*). Nullum contra monumentum exſtat, quo Fratribus his fuiſſe quidquam cum Humiliatis commune indicetur. Quid? quod nonnullos in hanc Societatem cooptatos certiſſime conſtat, qui profecto Humiliati non eſſent, ut B. Petrus Pectinarius, qui tertio Franciſcanorum Ordini nomen

(*a*) Diſſert. V. num. XXIII.

(*b*) Acta SS. loco cit. num. 10.

(*c*) Ibid.

men dederat (*a*)? Præterea cervini coloris tunica, nigroque pallio illi utebantur, Ugurgierio teſte, qui hæc pictis tabulis confirmari ait, cui inſculptum erat ſignum ſts, ſeu, quod in idem fere recidit, litera M., ut in Actis SS. legitur. At vero tertii Ordinis Humiliati cinereo tantummodo colore utebantur. Quæ omnia a propoſita opinione me removerent profecto, niſi Pontificiarum, quas commemoravimus, literarum obſtaret auctoritas. Neque enim dici hic poteſt, quod in Monialibus factum fuiſſe videbimus, Humiliatorum ſcilicet nomen latius ſumptum interdum fuiſſe, iiſque etiam accomodatum, qui nihil ad Humiliatos pertinerent. Nullum enim latioris hujus appellationis, quod ad homines pertinet, monumentum habemus. Dicendum itaque ad Humiliatos tertii Ordinis quidem domum illam pertinuiſſe, ita tamen ut aliis etiam pateret, qui in eamdem adſcribi vellent; cujus proinde incolæ cum non omnes Humiliati eſſent, nunc Humiliatorum, nunc Oblatorum, nunc alio forte etiam nomine appellarentur. Nec vero mirum videri debet fuiſſe illos cum Dominicanis Sacrorum communione conjunctos. Laici enim homines quamvis Humiliatorum Clauſtralium juri obnoxii eſſent, poterant utique ſocietatem cum Dominicanis inire, ab iiſque Sacrorum communione donari. Ac fieri proinde etiam potuit, ut paullatim a vetere veſtiendi ratione deficerent, illaque uterentur, quam pictæ tabulæ exhibent.

XXIX. At B. Andreas ipſe ad Humiliatos ne pertinuiſſe dicendus eſt, tertiumque illorum Ordinem amplexus? Neque enim ſuſpicari quis poteſt, Clauſtralem illum vitam duxiſſe, ut ex iis, quæ de eodem retulimus, ſatis conſtat. Itaque Andream Humiliatum appellat, præter Catalogi noſtri auctorem, Hieronymus Gilius (*b*). Verum ceteri omnes hac de re prorſus ſilent. Ac

 ſane

(*a*) Acta SS. ibid. pag. 51. num. 13. Razzi Vite de' SS. Toſcani T. I. pag. 315.
(*b*) Diario Saneſe P. I. pag. 120.

ſane cum Humiliati Clauſtrales nonniſi poſt medium ſæculum XIII. Senas inducti videantur, ut ſequente Diſſertatione oſtendemus, probabile eſt, ne tertii quidem Ordinis Humiliatos ante id tempus in ea urbe fuiſſe. Præterquamquod in tabulis pictis, quarum aliquæ ſæculo ipſo XIII. confectæ putantur; B. Andreas eodem habitu pingitur, quo Fratres Noſocomii adminiſtri, cervina ſcilicet tunica, pallio nigro. Tertii autem Ordinis Humiliatos veterem cineream veſtem jam ea ætate immutaſſe non arbitror. Itaque Andream Humiliatis adſcriptum fuiſſe non ſatis, meo judicio, probatur; ac proinde ne Noſocomii quidem adminiſtros ab ipſo collectos; quamvis poſtea Humiliatis Clauſtralibus Senas ingreſſis, tertii Ordinis leges ante annum MCCLXXXII. amplexi ſint, ut ex commemoratis Martini IV. literis conſtat. At vero poſteriorum ætatum Humiliati, cum viderent Societatem illam a B. Andrea conflatam ad tertium Ordinem pertinere, facile ſibi perſuaſerunt, ex eodem cœtu fuiſſe Andream. Vidimus enim, cum de S. Baudolino ageremus, atque alias etiam deinceps videbimus, leviſſimis etiam de cauſſis eos in ſuorum numerum recenſuiſſe Humiliatos, qui numquam eorum leges ſequuti fuerant.

XXX. Hæc potiſſimum fuerunt de B. Andrea Senenſi diſquirenda. Obiit porro ille, ut Scriptores omnes conſentiunt, anno MCCLI. XIX. Martii, quam diem in tertiam Quadrageſimæ Dominicam incidiſſe oſtenditur in Actis SS. (*a*). Cum vero plurimis poſt mortem miraculis claruiſſet, quæ ab ejuſdem Vitæ Scriptoribus fuſe narrantur, anno MCCLXXIV. Bernardus Senenſis Epiſcopus literis ſuis XI. Cal. April. datis, quæ pariter in Actis SS. referuntur (*b*), unius anni, ut ajunt, Indulgentiam iis conceſſit, qui die Andreæ memoriæ colendæ ſtatuta (Lunæ ſcilicet die, quæ Palmarum Dominicam ſequitur) ad Eccleſiam Ordinis Prædi-

(*a*) Loco cit. pag. 49. num. 2.
(*b*) Ibid. num. 3.

Prædicatorum, in qua ejus corpus jacebat, accederent. Quæ ejuſdem corporis celebratæ fuerint translationes, quæ illius nomini aræ excitatæ, quæ pictæ tabulæ, aliaque hujuſmodi habes in Actis SS. Nos enim, quibus nihil aut addendum, aut illuſtrandum hoc loco ſuppetit, ad alia properamus. Hoc unice animadvertimus, Humiliatos, quamvis Andream in ſuorum SS. tabulas retulerint, numquam tamen publico illum cultu veneratos fuiſſe.

XXXI. *S. HOMOBONUS CONFESSOR DE CREMONA* ſextus in SS. Humiliatorum tabulis nominatur. Cujus hominis virtutes ac res geſtas non eſt cur fuſe proſequamur, ſatis jam notas. Nam præter illius vitam a Sicardo Cremonenſi Epiſcopo conſcriptam, quæ periit, aliamque a Cremonenſibus Canonicis anno MDLXX. digeſtam, ac Nicolao Sfondrato Cremonenſi Epiſcopo (qui poſtea Romanus Pontifex juſſus Gregorius XIV. eſt appellatus) inſcriptam, quam videre eſt apud Surium (a), bini alii Scriptores Homoboni res geſtas expoſuerunt, Hieronymus Trombonus, ac Hieronymus Balladorius, qui illius vitam Cremonenſibus typis ediderunt, alter an. MDCXVIII. alter anno MDCLXXIV., ut ceteros omittam, qui brevius de Homoboni ſanctitate meminerunt, & Romanum, recentioraque cetera Martyrologia, quæ Homoboni nomen præſeferunt ad diem XIII. Novemb. Exſtant præterea tum in *Romano Bullario*, tum in *Codice Canonizationum* a Juſto Fontaninio edito Innocentii III. literæ, quibus Homobonum Sanctorum faſtis adſcribit. Itaque breviſſime Homoboni vitam delibabimus; paullo fuſius illud inveſtigabimus, de quo nonnulli dubitant, jure ne Humiliati in ſuorum tabulas Homobonum retulerint.

XXXII. Cremonæ itaque e Tucenghorum familia, Mercatore patre, natus Homobonus (quod enim ſartorem fuiſſe illum vulgus putat, nec veterum Scriptorum auctoritate probatur, pugnatque

(a) Vitæ SS. Menſ. Novemb. ad diem XIII.

gnatque, ni fallor, cum illa vitæ ratione, quam ab Homobono ductam videbimus), ab ipſa adoleſcentia virtutibus omnibus egregie excultus, mercaturam integerrime exercuit. Uxore ducta, in matrimonio ipſo caſtiſſime vixit. At patre demortuo, novum vitæ genus Homobonus amplexus, iiſque, quas collegerat, opibus ſpretis, omnia in pauperes erogare adeo liberaliter cœpit, ut doleret primo, tum etiam viro ſuo uxor iraſceretur, quod rem familiarem tam incaute, ut illa ajebat, dilapidaret. Quam Homobonus mollibus verbis leniens, nihilo remiſſius in propoſito perſtabat. Effuſam hanc in pauperes miſericordiam ardentiſſimus in Deum amor illuſtriorem reddebat. Noctu ad S. Ægidii templum (quod nunc ab Homobono ipſo nomen accepit) adventare conſueverat; illique Obertus ejuſdem templi Præpoſitus, apud quem Homobonus noxas ſuas fatebatur, fores ſtato tempore recludebat. At cum interdum ſolito maturius acceſſiſſet, fores viro ſanctiſſimo ſponte patuiſſe, Obertus miratus eſt. Nec vero hæc ſolum Homoboni ſanctitatem notam fecerunt. Nam pauperum commodo & panis interdum in ſumma annonæ caritate multiplicatus, & aqua in vinum converſa. Neque autem corporibus tantum, ſed, quod multo præſtantius, animis etiam Homobonus profuit. Quamvis enim literarum rudis, & hæreticos tamen & impios homines ea verborum vi animique contentione aggrediebatur, ut plurimos ab errore atque a crimine revocaret. Tandem poſt vitam ſanctiſſime exactam, anno MCXCVII. Idibus Novemb., dum de more in Ægidiano templo Sacris intereſſet, cumque Angelicum, quod ajunt, Canticum cani cœpiſſet, manibus in crucis formam expanſis ita ad terram procubuit, ut orabundus videretur. At cum Evangelii recitationi non aſſurgeret, qui aderant, ſomno illum correptum arbitrati, excutere atque urgere; qui cum immotus perſtaret, de ejuſdem morte certiores facti ſunt. Rei fama per urbem diffuſa, maximus ad Homoboni cadaver factus eſt Civium concurſus. Cum vero & omnes ejus

ſancti-

ſanctitatem maximis laudibus efferrent, & ejuſdem tumulus plurimis in diem prodigiis celebraretur, Cremonenſes legationem ad Innocentium III. Rom. Pont. decreverunt, ut ſolemnis cultus honore Homobonus donaretur. Sicardus ipſe Cremonenſis Epiſcopus cum aliis nonnullis ad Innocentium profectus, ita Homoboni virtutes teſtatas fecit, ut illum in Sanctorum tabulas retulerit Pontifex, atque Idus Novemb. Homoboni memoriæ recolendæ ſtatuerit. Anno MCXCVIII. XII. Januar. id factum, narrant nonnulli. Sed ſi animadvertamus Homobonum duos tantummodo ante menſes obiiſſe, ipſum vero Innocentium quattuor ſolum ante dies ad Romanam ſedem evectum fuiſſe, tam cito potuiſſe hæc expediri vix arbitrabimur. Erroris porro anſam hac in re præbuere ipſæ Innocentii literæ, quæ II. Idus Januar. datæ ſunt, Pontificatus anno primo. Ac ſane ſi Innocentii Pontificatus anni ab electionis die ducendi eſſent, II. Idus Januarias omnino in XII. Januar. anni MCXCVIII. inciderent. Sed audiendus Baronius, qui poſt ipſas Innocentii literas ex parte relatas hæc addit (*a*): *Recitatur etiam hujuſmodi Diploma in Bullario nuper edito; corrigendus tamen eſt collector, qui datum ponit vigeſimoſecundo ſuperioris anni die, quem adnotavit; ubi enim in regeſto II. Idus Januarii habetur, legit ipſe undecimo Kalend. Januarii* (qui error in noviſſima Luxemburgenſi, ſeu potius Genevenſi Bullarii editione renovatus eſt); *deceptus vel quod ita legatur in exſcripto a Surio exemplo, vel quod datum dicatur Pontificatus anno primo. Innocentii Pontificatus annos ab VIII.* Kal. *Martii, quo die conſecratus fuit, numerari cœpiſſe, nulli dubium eſt; ſicque II. Idus Januarii anni Domini* 1199. *in primum Innocentii incidit*. Diverſas porro ejuſdem corporis translationes enarrat eruditiſſimus, mihique amicitiæ vinculo devinctus in primis P. Franciſcus Antonius Zaccaria Soc. Jeſu (*b*).

XXXIII.

(*a*) Annal. Eccleſ. ad an. 1199. num. XXI.

(*b*) Series Epiſcop. Cremon. pag. 244.

XXXIII. Nunc vero quæſtionem ingredimur, num S. Homobonus inter Humiliatos adnumerandus ſit. Ac ſane multum Humiliatorum opinioni obſtare videtur auctorum, qui de Homobono ſcripſerunt, ſilentium; nemo enim fuiſſe illum Humiliatis adſcriptum refert. Tribus præterea rationibus ſententiam hanc oppugnari arbitratur doctiſſimus ac mihi alias ſumma eum laude appellandus Brixienſis Sacerdos, & Quirinianæ Bibliothecæ Præfectus Carolus Doneda (a). Primo enim, inquit, S. Homobonum vetera Humiliatorum Chronica ne commemorant quidem. Præterea Innocentius III. in literis, quibus Homobonum Sanctorum faſtis adſcribit, narrat quidem Sicardum Epiſcopum alioſque Cremonenſes Romanum iter hac de cauſſa ſuſcepiſſe; at Humiliati, qui præ ceteris de Homoboni cultu ſolliciti eſſe debuiſſent, ſiquidem fuiſſet ille ex eorum cœtu, nullo modo memorantur. Denique in iiſdem literis ne verbum quidem exſtat, ex quo Humiliatum fuiſſe Homobonum colligere liceat. Nihilominus omnibus diligenter expenſis videor mihi Humiliatis tertii Ordinis (ad hos enim tantummodo Homobonum pertinuiſſe Humiliati ipſi arbitrati ſunt) honorem hunc probabiliter vindicare. Atque, ut a Cl. Donedæ objectis initium faciamus, quamvis Chronicorum auctores Homobonum numquam commemoraſſent, non magna hinc fieret difficultas. Etenim B. Lucam Manzolium S. R. E. Cardinalem ac Feſulanum Epiſcopum Humiliatum fuiſſe, nemo umquam negavit. Clariſſimi tamen viri nomen fruſtra in eorum Chronicis requiras. Vix enim illi umquam de viris inter ſuos illuſtribus ſermonem habent. Attamen de Homobono magis etiam quam de ceteris ſolliciti fuiſſe videntur. Mitto illius nomen legi in Catalogo SS. ex Ordine Humiliatorum, qui ad calcem Braidenſis Chronici additur an. MCCCCXIX. conſcripti. Georgio enim Luraſcho potius, qui, ut vidimus, centum circiter poſt annis

(a) Notizie di S. Coſtanzo pag. 59.

annis multa huic Chronico addidit, Catalogum illum tribuendum arbitror. At in Chronico altero an. MCCCCXXI. conſcripto, quod forte Cl. Doneda non vidit, hæc habentur Cap. IV. *Nota quod ex prædicto membro* (tertii Ordinis) *exſtiterunt aliqui Fratres, qui dudum habentur pro Beatis, ut puta ... B. Homobonus in Eccleſia majori de Cremona*. Vides itaque hujuſce Chronici auctoritate opinionem hanc confirmari; eamque proinde non circa ſæculi XVI. initia exortam, ut Auctor idem ſcripſit, ſed ſaltem ab anno MCCCCXXI. viguiſſe. Id etiam ex Bobienſi Codice MS. confirmatur, quem Diſſert. I. num. XVI. commemoravimus, quemque Conſtantinus Abbas Cajetanus medio circiter XV. ſæculo conſcriptum arbitratur. Ibi enim, ubi de Humiliatis eſt ſermo, hæc habentur: *Ex quibus infraſcripti Sancti fuerunt, S. Homobonus, S. Raynerius &c.*

XXXIV. Quod vero addit Cl. Auctor in Innocentii literis inter eos, qui publicum Homobono cultum decerni curarunt, Humiliatos nuſquam commemorari, adeo hoc non miror, ut mirarer potius Humiliatos ab Innocentio appellari. Vidimus enim in tribus ipſis Innocentii literis, quibus anno MCCI. trium Humiliatorum Ordinum leges comprobavit, Humiliatorum nomen ne ſemel quidem occurrere; nec alia ratione, quam ex iis, quibus præerant, domibus, eorum Præpoſitos, Prælatos, ac Miniſtros deſignari; hoc vero Humiliatorum nomen poſtremis tantum ſui Pontificatus annis ab Innocentio uſurpari cœpiſſe. Quid ergo miremur, Innocentium, qui cum Humiliatorum leges cœtumque triplicem Apoſtolica auctoritate confirmaret, numquam illos hoc nomine denotavit, hoc eodem illos non appellaſſe tribus fere ante annis in literis de Homoboni cultu datis, cum ſcilicet nondum eſſent eorum inſtituta Pontificiis literis comprobata? Fieri itaque omnino potuit, ut ex Humiliatis ipſis nonnulli Romam proficiſcerentur; quos Pontifex in ſuis literis verbis illis generatim complecteretur: *Sane veniens ad præſentiam noſtram Venerabilis*

Frater noſter Sicardus Epiſcopus veſter, multis viris Religioſis, & aliis honeſtis perſonis de ſua Diœceſi comitatus. Quæ cum ita ſint, tertia etiam Cl. Auctoris difficultas evaneſcit, ut arbitror, hinc petita, quod Homobonus in Innocentii literis Humiliatus non appelletur; neque enim illo nomine appellari debebat, quo Pontifex nondum uſus fuerat, quodque etiam nondum fortaſſe audierat. Præterquamquod cum tertio Humiliatorum Ordini adſcriptus Homobonus fuiſſet, atque in paterna proinde domo vixiſſet, non id erat hujuſmodi, ut eſſet neceſſario commemorandum; præſertim cum de Societate ageretur nondum ab Apoſtolica ſede approbatà, cumque ii, quibus illa conſtabat, vix alia re a ceteris Laicis quam rudi ac cinerea veſte, piaque vivendi ratione ſecernerentur. Ac quemadmodum ſi quis laicus in Sanctorum numerum nunc referretur, qui cœtuum illorum cuipiam adſcriptus fuiſſet, quos vulgo *Confraternità* appellamus, non miraremur ſane, id in Apoſtolicis literis non memorari, ita mirum non eſt Societatem hujuſmodi in illis omitti, cui Homobonus nomen dederat. Ex quibus denique prima etiam difficultas, quæ ex auctorum ſilentio ducebatur, videtur ſatis diſſolvi. Quid enim neceſſe erat rem hujuſmodi commemorari, quæ magni momenti per id tempus non videretur? Ac quemadmodum non omnia certe, quibus Homobonus vacabat, pietatis munera, retuliſſe illos credemus, ſic potuit ille etiam Humiliatorum conventibus intereſſe, eorumque leges amplecti, ſimulque hoc ab ejus vitæ hiſtoricis diſſimulari.

XXXV. Quæ nobis obiici poſſunt, hunc in modum ſolutis, Humiliatorum traditio certior hoc ipſo firmiorque evadit, quæ profecto antiquitate ipſa ſua non parum commendatur. Vidimus enim ex relatis alterius Chronici verbis ſaltem ab anno MCCCCXXI. hanc apud Humiliatos invaluiſſe; nec vero Chronici ſcriptor primus illam invexiſſe credendus eſt, ſed eamdem ex vetuſtioribus monumentis deſumpſiſſe. Chronico Sacri Humiliatorum Codices con-

conſentiunt. Etenim in Horis Canonicis anno MCCCCLXXXIII. editis, Pridie Id. Novemb. (hac enim die ſemper apud Humiliatos Homoboni memoriam recoli conſueviſſe animadverto) hæc habentur: *In S. Homobono Confeſſore tertii Ordinis Humiliatorum IX. Lectionum; omnia fiant, ſicut in communi unius Confeſſoris non Pontificis*. Eadem habentur in altera editione anno MDIV. peracta, Puricellio teſte, (nos enim illam non vidimus); quo etiam anno cum Humiliatorum *Miſſale* ederetur, idem Homobono honor decretus eſt. Nihilominus in *Breviarii* editione anno MDXLVIII. confecta, Homobonus ne commemoratur quidem. Qua id de cauſſa factum fuerit, ignoro. Ac forte ideo ille eſt omiſſus, quod dubitatione aliqua hac de re inter Humiliatos ſuborta, noluerint illi quidquam niſi certum proferre. Sed multo magis apud me valet vetus Humiliatorum traditio, quam dubitatio recentiorum. Certe monumentum nullum productum eſt haſtenus, quo Homobonum Humiliatum non fuiſſe evincatur. At vero cum Humiliatarum Monialium commodo anno MDCXXI. primo, tum deinde anno MDCCLI. Humiliatorum Horæ Canonicæ iterum ederentur, priori editioni S. Homoboni commemoratio, poſteriori integrum ejuſdem *Officium ſub ritu duplici* additum eſt. Novi equidem alios ab Humiliatis in SS. ſuorum numerum relatos fuiſſe, qui numquam inter eos vixerant. At quomodo decipi in aliis potuerint, video. Nam S. Torpeti, exempli cauſſa, & S. Baudolino ſacras illi ædes Piſis & Alexandriæ habuerunt, ut mirum non ſit peculiari cultu ab aliquibus primum, tum etiam ab omnibus Humiliatis habitos illos fuiſſe. Brixienſis etiam Deiparæ ædes, quæ de Conchis dicitur, ubi S. Conſtantii corpus quieſcebat, ad Humiliatos olim pertinuit, ut facile perſuadere ſibi potuerint, Conſtantium ipſum eorumdem leges fuiſſe amplexum. At quid in cauſſa eſſe potuerit, cur Homobonum ſibi Humiliati vindicarent, profecto non video. Niſi forte illud dicamus, Humiliatos ideo Homobonum ſuis adſcripſiſſe, quod, cum

 vide-

viderent laicum hominem ſanctum vivendi genus amplexum, arbitrati ſint tertii Ordinis Humiliatum illum fuiſſe, quibus hæc ipſa vivendi ratio propoſita erat. Verum hac de cauſſa non paucos alios, qui ſancte extra Religioſorum clauſtra vixerunt, ſuis adnumerare potuiſſent. Itaque cum & nullo documento probetur non fuiſſe tertii Ordinis Humiliatis addictum Homobonum, nec validis poſſit opinio hujuſmodi difficultatibus oppugnari, & opinio eadem antiqua Humiliatorum traditione confirmetur, videor mihi illam, ſaltem ut probabilem, jure optimo amplecti.

XXXVI. *B. BLANCA DE SENIS:* Ita hujus Beatæ mulieris nomen Humiliati ſcribere conſuerunt. Ceterum B. hanc Blancam Senenſem numquam apud Scriptorem ullum invenias; ſed utique Aldobrandeſcam, quam tertio Humiliatorum Ordini nomen dediſſe, fatentur omnes. Enimvero Puricellius in Adverſariis ſuis MSS. teſtatur, in diverſis picturis nunc Blancam, nunc Aldam vocari illam; ex quo Papebrochius conjicit, Aldobrandeſchæ nomen ita ſectum fuiſſe, ut nunc Alda, nunc Brandeſca, atque hinc corrupte Branca, ac deinde etiam corruptius Blanca appellaretur. Hujus pariter vitam paucis illuſtrabimus, cum quæcumque ad illam pertinent optime Papebrochius digeſſerit in Actis SS. (*a*). Atque ille etiam Scriptores habuit, quos ſequeretur, Gregorium Lombardellum Ord. Præd., qui primus Aldobrandeſchæ vitam Italice edidit anno MDLXXXIII., & Silvanum Razzium Camaldulenſem, qui Lombardelli narrationem breviorem fecit (*b*). Illius præterea Elogium exſtat in Faſtis Senenſibus ab Intronatorum Academia editis (*c*), ut ceteros mittam, qui brevius de illa egerunt, Wionium (*d*), inquam, Menardum (*e*), Philip-

(*a*) T. III. Apr. ad diem 26. pag. 466. & ſequ. Edit. Antverp.

(*b*) Vite de' SS. e BB. Toſcani T. I. pag. 154. & ſequ.

(*c*) Pag. 84.

(*d*) Lignum vitæ Lib. III.

(*e*) Martyrol. Benedict. ad diem 26. Apr.

Philippum Ferrarium (*a*), Bucelinum (*b*), alioſque. Nos itaque ab his auctoribus relata breviter perſtringemus.

XXXVII. Senis anno MCCXLV. die XXVIII. Februarii, Petro Franciſco Pontio, atque Agnete Bulgarina piiſſimis parentibus ortum duxit Aldobrandeſca. Prægnans mater cubiculum mira luce illuſtratum per ſomnium viderat; hominesque complures ante recens natam puellam venerabundos conſpicere viſa fuerat, ſupernamque vocem audire, qua de diligentiſſima filiæ educatione moneretur. Itaque ad omnem pietatis legem diu informata, tandem, ut parentibus morem gereret, Bindo Bellanti optimo adoleſcenti nupſit; quicum, Tobiæ ac Saræ exemplum renovatura, pepigit, ut ad ſex vel octo dies concubitu abſtinerent; quod deinde errandi occaſionem Wionio, aliiſque nonnullis præbuit, qui Aldobrandeſcam virginem appellarunt. Cum novum vitæ genus ſanctiſſime proſequeretur Aldobrandeſca, Bindus primo temporalium rerum non levi jactura, tum graviſſimis etiam doloribus diu conflictatus piiſſimam vitam pari morte clauſit. Tunc vero Aldobrandeſca impenſius adhuc Divinis ſe rebus addicens, non ſolum oblatas iterum nuptias rejecit, ſed etiam ad S. Thomæ ædem, quæ ad Humiliatos pertinebat, accedens ab Accurſio Ptolemæo Præpoſito tertii Humiliatorum Ordinis habitum impetravit. Tunc vero viliſſimis cibis, herbis ſcilicet ac leguminibus ſemel in dies veſci, pane ipſo plerumque abſtinere, aqua, eaque felle interdum, myrrha, aut aceto permixta ſitim reſtinguere; ferrea catena, cruentis flagellis, corona inſuper ſpinea, aſperrimoque cilicio in ſe ipſam ſævire, breviſſimum ſomnum, ſacco terræ inſtrato, carpere. Pravis præterea impulſionibus a Dæmone laceſſita, illas conſtantiſſime rejecit. Tum liberius adhuc Deo vacatura in prædiolum ſuum, altero ab urbe lapide,

(*a*) Catalog. general. SS. Ital. ad eumd. diem.

(*b*) Menolog. Benedict. ad eumd. diem.

pide, ſeceſſit, cui Villa ad Quartum nomen; ibique ædicula ſacris peragendis excitata, iiſdem aſſidue intererat, Diviniſque epulis, quoties liceret, reficiebatur. Chriſti Jeſu, Deiparæ Virginis, & Angelorum aſpectu, viſiſque cœleſtibus non ſemel dignata, Chriſti etiam ſanguinem ex ejuſdem effigiei latere manantem non ſemel hauſit. Oculi unius uſum, quem amiſerat, mirum in modum recepit. Clavis, quibus Chriſtus Cruci confixus fuerat, ab Angelo per viſum oblatis, illorum imaginem tam alte animo hauſit, ut unius, qui ceteris magnitudine præſtabat, effigiem ramo oleagino ad vivum expreſſerit, quæ adhuc in S. Thomæ templo Senis ſervatur. Sub extremum vitæ tempus ad S. Andreæ, quod nunc S. Onuphrii dicitur, Noſocomium ſecedens, poſt plurima præſertim in ægrotis ad valetudinem revocandis patrata prodigia, poſt plura, quæ imminebant, apertis verbis prænunciata, poſt virtutum omnium clariſſima exempla propoſita, tandem vehementiſſima febri conflictari cœpit. Cùm tamen nihil de conſueta vivendi ratione remitteret, die XXVI. April. an. MCCCX. qui Noſocomium incolebant, cum nuſquam præter morem illam viderent, rem mirati ad ejuſdem cellam accedunt, quam clauſam obſeratamque nacti, incerti aliquandiu quid agerent, denique feneſtra ingreſſi, cubiculum cœleſti odore fragrans ac mira luce illuſtratum, piiſſimam vero mulierem orantis in morem compoſitam, ſed jam vita functam viderunt. Eodem tempore B. Joannes Baptiſta Ptolomæus Ord. Prædic. ſpectatæ ſanctitatis vir, Aldobrandeſcam in columbæ ſpeciem ad Cœlum evolantem ſe vidiſſe teſtatus eſt. Illius mors omnium lacrimis excepta. De ejuſdem ſepulchro inter Humiliatos S. Thomæ, & S. Andreæ Parochum contentio exorta; cum illi Religionis, hic Parœciæ jus proferret. Demum ex ſententia Rogerii de Caſulis Ord. Prædic. Senenſis Epiſcopi cauſſa Humiliatis adjudicata eſt, ac die XXIX. Aprilis Aldobrandeſchæ corpus maxima celebritate ad S. Thomæ delatum, atque ad dexterum Eccleſiæ latus ſub

Deiparæ

Deiparæ ara ſepultum. Cum vero plurimis miraculis ejus tumulus celebraretur, anno MCCCCLXXXIX. Franciſco Piccolomineo Senenſi Epiſcopo (qui deinde Romanus Pontifex juſſus Pius III. eſt appellatus) conſentiente, altiore ac digniore loco illius corpus poſitum eſt. Anno autem MDLXXXIII. cum Lombardello ipſo præſente, nova atque ornatiore arcula Beatæ mulieris oſſa clauderentur, ſuaviſſimus repente odor diffuſus eſt. Ibidem Aldobrandeſchæ corpus ſervatur adhuc, poſtquam, ut videbimus, in S. Thomæ ædes Sanctimonialium S. Petronillæ cœnobium, quod antea extra portam Camulliam jacebat, deductum eſt. Nullum tamen publici cultus ab Humiliatis Aldobrandeſchæ præſtiti veſtigium habemus.

XXXVIII. *B. PETRUS DE CORINO*. Corinum ſeu Corenum vicus eſt ad lævam Larii Lacus oram in Mediolanenſi Diœceſi. Hanc porro fuiſſe B. Petro patriam crediderim. Sed quis ille fuerit, quo tempore vixerit, quem Humiliatorum Ordinem amplexus fuerit, quibus potiſſimum claruerit virtutibus, nec Humiliati ſcripſerunt, nec nobis, quamvis ex ipſis Coreni incolis quæreremus, aſſequi licuit. Itaque unum illius nomen, prout in tabulis SS. Humiliatorum latet, proferre cogimur. De publico autem cultu illi præſtito non conſtat.

XXXIX. *B. LUCAS DE FLORENTIA CARDINALIS*. Clariſſimi hujus viri, ac præcipui Humiliatorum ornamenti res geſtas altera hujus Diſſertationis parte illuſtrabimus, quæ erit de viris dignitate illuſtribus.

XL. *B. RAYNERIUS DE JANUA*. Suſpicatus eſt P. Jo. Bartholomæus a S. Claudia (a), Raynerium hunc illum eſſe, quem Innocentius III. literis ſuis ad primi & ſecundi Ordinis Humiliatos an. MCCI. datis commemorat inter illos, quibus Humiliatorum leges expendendas Pontifex idem commiſerat. Sed præterquam-

(a) Luſtri Storiali pag. 533.

terquamquod Humiliatum hominem huic muneri delectum fuiſſe, parum veriſimile eſt, veteri etiam traditione hæc opinio oppugnatur. Etenim B. Raynerii corpus Genuæ adhuc ſervatur ad S. Marthæ, vulgo *de Aquaſola*, ubi Humiliatorum fuerat quondam, nunc vero Sanctimonialium Caſinenſium floret Cœnobium; ibi enim illius caput argentea lamina tectum conſpicitur; ac tabula etiam illius effigiem exprimens in eodem Cœnobio videtur. Porro in Commentariis quibuſdam MSS. Genua ad Puricellium miſſis, qui in Ambroſiana Bibliotheca ſervantur, hæc habentur; veterem eſſe apud Sanctimoniales illas traditionem, Raynerium Laicum, ut ajunt, ex Humiliatorum Ordine fuiſſe, ac magnæ ſanctitatis virum; quæ duobus potiſſimum prodigiis comprobata eſt. Cum enim aliquando e molendino rediens ſaccos farina plenos conveheret, obviis pauperibus totam diſtribuit, ſaccos ipſos deinde arena implens, quam poſtea in farinam domum redux converſam vidit. Præterea qua hora Raynerius obiit, ſacrum templi æs illius obitum ſponte nunciavit. Hæc tantum de Raynerio cognoſcere licuit. Nullo publico cultu ornatum illum videmus, ne apud Humiliatos quidem, nec illius mentio in Martyrologio ullo occurrit.

XLI. *B. HORICUS DE VERCELLIS. B. BRUNA DE VERCELLIS*. Utrumque conjungimus, quod utrique fere communia ea ſunt, quæ de illis accepimus. Antiquiſſimam S. Martini domum Vercellis habuere Humiliati, quam conſtans Vercellenſium traditio fert BB. Horicum & Brunam Vercellenſes Cives Fundatores habuiſſe, ut ille virorum, hæc mulierum ædes conſtruendas curarint. At de utriuſque rebus geſtis vix Scriptorem ullum habemus. Breviter illos commemorant Jo. Stephanus Vercellenſis Epiſcopus (*a*), Aurelius Corbellinus Auguſtinianus (*b*), ac Joannes

(*a*) Vita S. Euſebii Vercell. Epiſc. ejuſque ſucceſſor pag. 241. 242.

(*b*) Vite de' Veſcovi di Vercelli pag. 66. & 79.

Digitized by Google

nes Andreas Iricus (*a*). Hinc qui Acta SS. Sabaudæ ditionis ediderunt, pauca admodum de Horico memoriæ tradita eſſe queruntur (*b*); Brunæ autem nomen ipſum ignoraſſe videntur, cum illud ne proferant quidem. Fuſius aliquanto de utriuſque vita Carolus Amedæus Bellinus ſcripſit, cujus de Vercellenſibus viris, fœminiſque illuſtribus Opus MS. ſervatur apud Spectatiſſimum Vercellenſem Civem Joſephum Comitem Corbettam, qui quæcumque ad inſtitutum noſtrum pertinerent, inde deſcribi humaniſſime voluit, ac nobiſcum communicari. Horicus itaque, ut Corbellinus, Bellinus, atque Iricus referunt, Vercellenſis Eccleſiæ Canonicus, Ghiſulpho Epiſcopo, floruit; qui cum Canonicos ſuos ad omnem ſanctitatis normam effingeret, multi hinc Sanctiſſimi viri, atque Horicus præ ceteris, prodierunt. Cum vero, addit Bellinus, Pontificias partes contra Imperatorem (cujus nomen non profert) ſtrenue tutatus eſſet, cum multis ejuſdem conſilii ſociis in Germaniam ab Imperatore ipſo relegatus eſt. Ubi cum ſe divino cultui addixiſſent omnes, albaſque veſtes induiſſent, ad Cæſaris pedes ſeſe aliquando abjecerunt, veniamque ſimul ac reditum in patriam impetrarunt. Hac ratione, pergit Bellinus, Humiliatorum Ordo, qui jam ab anno MXVII. initium duxerat, novam quodammodo perfectioremque formam accepit. At Horicus Vercellas redux non longe ab urbe templum domumque S. Martino ſacram exſtruxit, quæ a regionis nomine S. Martini de Gatteſco eſt appellata. Hinc Horicus primus ejuſdem domus Præpoſitus renunciatur. Ghiſulphus vero Epiſcopus Horicum ad novam in ipſa urbe ædem S. Chriſtophoro ſacram conſtruendam hortatus eſt; quod cum aggreſſus eſſet Horicus, anno MCXLI. vita exceſſit. Hæc quibuſdam Vercellini patris ſui commentariis MSS. comprobari ait Bellinus, ex quibus hæc profert: *habetur ex tradi-*

H h

(*a*) Differt. de S Oglaria pag. 5.

(*b*) T. IV. pag. 308.

traditione & monumentis Collegii S. Chriſtoffori Beatum Oricum cœpiſſe fundare dictum Collegium, ſed obiiſſe anno 1141., *& ſepulturam habuiſſe in Eccleſia S. Martini in Gatteſco, quæ fuerat prima Præpoſitura ejuſdem Ordinis humiliatorum, & inde corpus ejus translatum ad ipſum monaſterium S. Chriſtoffori*. Hæc Bellinus, in cujus narratione multa ſunt, quæ nullo modo comprobari poſſe arbitror. Etenim Horicus Canonicus Vercellenſis, Ghiſulpho Epiſcopo, fuiſſe dicitur; tum vero obiiſſe anno MCXLI. Atqui Ghiſulphus anno MCXXXVII. exeunte Vercellenſis Epiſcopus juſſus eſt, ut ex Ughellio conſtat (*a*). Qui itaque potuit vix quattuor annorum ſpatio ea omnia Horicus præſtare, quæ a Bellino narrantur? Ad Horici vero exilium quod attinet, unicum profert hujus teſtem Corbellinum in Hiſtoriis MSS. Vercellenſibus, auctorem ſcilicet, qui eodem ac Bellinus ſæculo XVII. floruit. Porro evidens eſt, quæ vidimus circa annum MXV. accidiſſe, ea fere hic referri tamquam ad Horici ætatem pertinentia. At nulla Scriptorum, nulla veterum Monumentorum auctoritas ad rei veritatem confirmandam adducitur. Horicum tamen S. Martini ædem conſtruxiſſe ceteri auctores conſentiunt; ſed id ante annum MCXLI. factum, ut Bellinus ait, difficile adducor ut credam. Oſtendimus enim eodem prope tempore primum Humiliatorum Ordinem (ad quem profecto Horicus pertinuit, ſiquidem ille & Sacerdos & Vercellenſis Canonicus fuerit) Novocomi initium duxiſſe; nec videtur potuiſſe tam cito ad alias urbes extendi; præſertim cum Vicoboldonenſis domus prima poſt Novocomenſem condita videatur. Probabilius itaque memorati alii Scriptores circa annum MCXLIV. id contigiſſe arbitrantur; quod etiam in Commentariolis quibuſdam MSS., qui a PP. Clericis Regularibus S. Paulli Vercellenſibus ad Puricellium tranſmiſſi fuere, confirmari video.

XLII. Quod ad S. Chriſtophori ædem pertinet, non ſatis conſtat,

(*a*) Ital. Sacr. T. IV. in Epiſc. Vercell.

conſtat, utrum illam Horicus ipſe conſtruxerit, an illo jam extincto conſtrui cœperit. Corbellinus in Epiſcoporum Vercellenſium vitis ita loquitur (*a*), ut unicam S. Chriſtophori ædem ab Horico exſtructam fuiſſe indicet; S. Martini autem domum Friderici I. temporibus ædificatam innuit (*b*): quamvis alibi deinde, eam ipſam anno MCXLIV. conditam narret (*c*). Sed S. Martini ædem Horici ætate conſtructam, eidemque Veneriæ & Roncarioli prædia a Ghiſulpho Epiſcopo attributa, quæ ad Lucedienſe Cœnobium antea pertinebant, ædemque ipſam fuiſſe ab initio fratribus ſororibuſque communem, illorum Horico, harum vero Bruna præſide ac duce, plerumque auctores conſentiunt: quibus etiam accedit doctiſſimus Vercellenſis Eccleſiæ Canonicus ac Theologus Carolus Innocentius Fileppius, anno MDCCLXIV. maximo literarum damno e vivis ereptus, qui hoc ipſum ſtatuit in ſuis quibuſdam de Vercellenſibus Humiliatis Commentariolis MSS., quos ad nos vir humaniſſimus tranſmittendos curavit.

XLIII. Bruna vero, ſi Bellinum audimus, non ſolum Mulierum cœnobium Vercellis eodem tempore, eodemque quo Horicus loco Fratrum domum conſtruxit; ſed cum hanc incolis ſatis auctam videret, Vercellis abiens, plura alibi Humiliatarum mulierum cœnobia ædificavit, ac Mediolani præſertim & Laudæ, ubi S. Benedicti domum erexit; tandem Vercellas rediens, paullo poſt vita exceſſit. Porro ad Laudenſem profectionem quod attinet, Laudenſium ipſorum traditione hanc comprobari, mox videbimus. Sed S. Benedicti domum nonniſi ſæculo XIV. fuiſſe conſtructam, evidenter oſtendemus ſequente Diſſertatione. Quod ſi Laudam Bruna profecta eſt, Mediolanum etiam probabiliter illa adiit, potuitque ibi aliquam Humiliatarum domum exſtruere.

Hh 2 Optan-

(*a*) Pag. 66.
(*b*) Pag. 70.
(*c*) Pag. 79.

Optandum tamen fuiſſet, ut hæc omnia auctoritate aliqua Bellinus confirmaſſet. Illius effigiem in pluribus picturis veteribus ſic exhiberi narrat Bellinus, ut lapis prope illam pingatur; quod a Puricellianis etiam ſchedis confirmatur, in quibus dicitur illius imago Applani in S. Joannis Evangeliſtæ templo ſupereſſe (quod olim ad Humiliatos pertinuit); ibique Brunam lapidem læva ſuſtinentem pingi, cui hæc inſcribuntur: *Lapis obedientiæ*. Narrat porro Bellinus, hanc fuiſſe ſua ætate apud Vercellenſes Humiliatas traditionem, Brunam juſſam aliquando immane ſaxum alio transferre, mandatis illico, quod fieri nullo modo poſſe videretur, paruiſſe; lapidemque illum, mirantibus omnibus, diu manu geſtaſſe: hinc vero hanc Brunæ pingendæ rationem ortam fuiſſe. Alibi tamen illa tres clavos manu ſuſtinens pingitur.

XLIV. Utriuſque corpus, poſtquam diu in S. Martini ſuburbana æde ſervatum fuerat, in S. Chriſtophori deinde delatum, ibi adhuc cuſtodiri, conſtans eſt Vercellenſium traditio. Cujus rei teſtis exſtat in eodem S. Chriſtophori Collegio, quod nunc ad Clericos Regulares S. Paulli pertinet, membrana his verbis inſcripta: *Beatiſſimi Orici Confeſſoris, Beatæque Brunæ Civium Vercellenſium corpora, a ſuburbano S. Martini templo, ubi miraculis plurimis coruſcantia cœlo eorum animas vivere declararunt, in hanc S. Chriſtophori Baſilicam, Clero univerſo & frequentiſſimo populo comitante ſolemni ritu, prout Sanctos decet, allata, & in marmoreo ſarcophago condita, poſtmodum mutatis chori ſubſelliis hoc locello incluſa, religioſo cultu hic poſuere RR. PP. DD. Cherubinus Caſatus Præpoſitus, & Jacobus Antonius Roſetus, atque Clemens Noberaſcus Presbiteri Regulares Congr. S. Paulli Decollati, aliis Clericis Collegialibus aſſiſtentibus, Ill. D. Alexandro Titiono, & Magnif. D. Aviano Salvio Senenſi, & Nobili viro D. Proſpero Carolo Novarienſi præſentibus anno Domini MDLXXXV. pridie Nonas Martii, Sixti V. Pont. Max. primo, & Joannis Franciſci Bonhomii Epiſcopi Vercellenſis Epiſcopatus decimoquarto.*

Super-

Superſunt adhuc carmina Horici olim ſepulcro appoſita, quæ nunc in tabellam relata in S. Chriſtophori Sacrario ſervantur, ex quibus etiam nonnulla de egregiis Horici virtutibus intelligimus. Sic porro ſe habent.

Hoc jacet in tumulo felicis Corpus Orici
Ordinis iſtius, vitam qui duxit acerbam.
Floribus hic miris virtutum fulſit in orbe:
Annis nam ſeptem Quadragenæ in tempore ſacro
Aſpernans eſcas, ſaturatus corpore Chriſti
Conſtitit, & tandem expirans gaudia cepit,
Vitæ perpetuæ cum juſtis dante ſuperno.
Exultent igitur Vercellæ Præſide tanto.

XLV. Enimvero utriuſque oſſa ac cineres diſtinctos, duabuſque arculis incluſos nos ipſi in ejuſdem templi Sacrario vidimus. Sed B. Brunæ corpus ſibi Laudenſes vindicant; idque Defendens Laudius in quibuſdam Commentariis MSS., quos alibi commemorabimus, probare aggreditur veteris cujuſdam Humiliatorum *Miſſalis* auctoritate, (MS. arbitror, nam in impreſſo verba mox proferenda non leguntur), ubi hæc de B. Bruna haberi ait: *Aſſervatur ejus corpus in Eccleſia Monialium S. Benedicti Laude.* Addit vero, anno MDLXXXVIII. cum S. Benedicti templum iterum ædificaretur, B. Brunæ cineres, qui arculæ incluſi inventi fuerant, in commune ſepulcrum incaute fuiſſe illatos; quod ipſum ejuſdem Cœnobii Sanctimoniales, aliique Laudenſes, cum Laudæ eſſem, mihi teſtati ſunt. Itaque Laudenſes B. Brunæ corpus apud ipſos olim fuiſſe affirmant, atque adhucципереſſe, quamvis alienis cineribus permixtum. Vercellenſes vero ejuſdem corpus adhuc oſtendunt. Sed eadem hic ſolvendæ quæſtionis ratio adhibenda videtur, quæ unica ſæpe eſt ad urbium ſimili in cauſſa invicem contendentium controverſiam definiendam, ut ſcilicet neutram integrum corpus, utramque ejuſdem partes poſſidere dicamus. Ac ſane multo plura B. Horici, quam B. Brunæ oſſa Vercellis ſervan-

ſervantur ; ut veriſimile ſit, hujus cinerum partem Laudenſibus conceſſam, ut qui vivam illam exceperant aliquando, ejuſdem exuviis ex parte fruerentur. Sed de BB. Horico & Bruna ſatis. Unum addimus, nullum illorum fuiſſe ne apud Humiliatos quidem publicum cultum, nec illorum nomen in ullo, quod ſciam, Martyrologio occurrere.

XLVI. *S. CONSTANTII DE BRIXIA*, qui poſt B. Horicum recenſetur, res geſtas breviter primo illuſtravit Bollandus (a), iis collatis accurateque expenſis, quæ auctores alii, Philippus nempe Ferrarius, Capreolus, Ughellius, Wionius, Menardus, ac Maurolycus ſcripſerant. Sed diligentiſſime non multis abhinc annis ejuſdem vitam illuſtravit Cl. Carolus Doneda paullo antea laudatus, ut vix novæ inveſtigationi locum reliquerit. Itaque doctiſſimi Scriptoris veſtigiis inſtantes, S. Conſtantii res breviſſime recenſebimus ; tum inquiremus, jure ne illum ſuis adſcripſerint Humiliati. Quæ fuerit Conſtantio patria, non ſatis conſtat, cum alii Gnardi in Camuniis (vulgo *Val Camonica*) natum, alii in Galliæ urbe vulgo *Eſtampes*, alii Italum generatim dicant. Quam in rem nihil certi poſſe afferri memoratus auctor ſtatuit. At ſin minus origine, domicilio certe Brixienſis eſt appellandus. Itaque anno circiter MLXXX. nobili genere natus, Comitis dignitate opibuſque illuſtris, militiam primo ſequutus eſt. Tum humanarum rerum pertæſus, in deſertum montem decimo circiter a Brixia lapide Vallem Trumpiam verſus, Deo vocante, ſeceſſit, ubi templum Virginumque Cœnobium Deiparæ ſacrum exſtruxit. Quo tempore, ut verbis loquar, ex Canonicis Humiliatorum Horis deſumptis, *illud memorabile contigit, quod dum carpentarii ligna cæderent & lævigarent, columba minutiſſimas lignorum particulas roſtro acceptas eo loci, ubi futuræ Eccleſiæ jacienda erant fundamenta, deportabat*. Perfectum deinde templum ut ab Armanno

(a) Acta SS. Febr. T. II. ad diem XII. pag. 604. Edit. Antuerp.

Digitized by Google

no Brixienſi Epiſcopo ſolemni ritu conſecraretur, impetravit; quod inter annos MCX. & MCXVI. contigiſſe probat laudatus Doneda. Quibus peractis rudi veſte indutus, apud templum ipſum piiſſime vivere, Divinis rebus aſſidue vacare, afferre indigentibus ægrotiſque opem, in ſuum ipſe corpus crudeliter ſævire aggreſſus, ſanctiſſimam hanc inſtitutæ vitæ rationem ad provectam uſque ætatem produxit, ac demum an. MCLI. pridie Idus Febr. ad Superos evolavit. Tumulus illi in eodem templo datus; ac tumulo paullo poſt ara impoſita. Quo pacto deinde anno MCCCCLXXXI. a PP. Ordin. Prædicatorum, ad quos per id tempus ſacra illa ædes ſpectabat, S. Conſtantii, cujus omnis fere memoria interierat, oſſa inventa primum, tum poſt graviſſimas monticolarum turbas, qui ſe tanto pignore ſpoliari ægre ferebant, ſolemniſſima pompa Brixiam delata fuerint, atque in S. Catharinæ Cœnobio condita, ubi adhuc coluntur, mirifque prodigiis illuſtrata, diligenter idem auctor perſequitur. Nos itaque quæſtionem aliam ingrediemur, quæ magis inſtituti noſtri eſt propria, jure ne Humiliati ſibi Conſtantium vindicarint.

XLVII. Ac primo Clauſtralibus Humiliatis adſcribi Conſtantium non poſſe, ſatis patet; cum in deſerto Conchenſi monte ſolitariam ille vitam, ut vidimus, duxerit apud Deiparæ templum, quod idem ante annum MCXVI. conſtruendum curarat, cum nondum ſcilicet neuter Clauſtralium Humiliatorum cœtus coactus fuerat. Ipſum vero Conchenſe Virginum Cœnobium, numquam ab Humiliatorum Ordinis Sanctimonialibus habitatum fuiſſe legimus. Itaque illud tantum inquirendum ſupereſt, tertione Humiliatorum Ordini nomen dederit Conſtantius. Graviſſima hac de re controverſia circa annum MCCCCLXXXIII. Humiliatos inter ac Dominicanos exorta eſt Brixiæ, quam fuſe Cl. Doneda exponit. Biennio antea, ut diximus, S. Conſtantii oſſa e Conchenſi templo, quod ad Brixienſes S. Catharinæ Sanctimoniales Ord. Prædic. tunc pertinebat, ad ipſam S. Catharinæ ædem tranſlata

slata

ſlata fuerant; ac ſacra Conſtantio die XII. Februar. quotannis vertente, PP. Ord. Prædicat. ædem eamdem ingreſſi, Sancti viri cineres publico cultui proponebant. Quod cum anno MCCCCLXXXIII., aut uno alterove poſt (quod non ſatis conſtat), ageretur, Fr. Franciſcus de Roma S. Bartholomæi de Contegnaga Brixienſis Humiliatorum Domus Præpoſitus, ac Generalis etiam Humiliatorum Ordinis Vicarii ac Syndici dignitatem prætendens, acceſſit, vetuitque conceptis verbis, ne S. Conſtantii corpus proferretur: Humiliatorum juris illud eſſe, ex quorum cœtu Conſtantius fuerat; illud in Conchenſi templo, Conſtantio ipſo jubente, depoſitum; quod cum ad Brixienſes S. Lucæ Humiliatos olim ſpectaſſet, non ſine graviſſima eorumdem injuria ablatum inde Conſtantii corpus S. Catharinæ Monialibus conceſſum fuiſſe. Contra Monialium ac Prædicatorum nomine reſponſum eſt, Conchenſem ædem ad Moniales eaſdem certiſſimo jure tunc pertinere; ſuo itaque jure uſas illas fuiſſe, nec eſſe ideo, cur Humiliati quererentur, quamvis Conſtantius eorum leges ſequutus fuiſſet, quod tamen, ajebant, nullo modo conſtat.

XLVIII. Utrum alia Humiliati tentaverint, incertum. Sed omnino cauſſa ceciderunt, & S. Conſtantii corpus ibidem ſemper ſervatum eſt; nec ſatis probaſſe illi videntur, Humiliatum fuiſſe Conſtantium. Enimvero ante illud tempus numquam illi Sanctum Conſtantium ut ſuum agnoverant. Etenim in Chronico an. MCCCCXXI., ubi de viris ex tertio Humiliatorum Ordine ſanctitate præclaris eſt ſermo, B. Ubertus Landrianus, & B. Homobonus utique, numquam Conſtantius nominatur. Quod vero illius nomen Braidenſi antiquiori Chronico, ſeu SS. Catalogo ad illius calcem appoſito, additum videmus, minima eſt hujus argumenti auctoritas, cum plurima Chronico illi adjecta circa an. MDXXIV. a Georgio Luraſco fuiſſe viderimus. At ne in prima quidem Humiliatorum *Breviarii* editione an. MCCCCLXXXIII. Conſtantii nomen innuitur; ſed in altera ſolum an. MDIV., in

qua

qua *Officium novem Lectionum* Conſtantio decernitur, ex quibus ſex (ritu Humiliatorum proprio) res illius geſtas complectuntur. In editionibus vero an. MDXLVIII. & MDCXXI. omnia *de Communi Confeſſoris* indicuntur. At in ultima an. MDCCLI. peracta tres Lectiones propriæ, præter Orationem, proferuntur; quas ideo referre mittimus, quod nihil continent, quod jam non attigerimus. Duo tantum obſervanda: alterum primæ illæ voces: *Conſtantius Comes, quem monumenta vetera & Scriptorum teſtimonia Ordini Humiliatorum nomen dediſſe aſſerunt*. Monumenta enim ac teſtimonia hujuſmodi jactantur facilius quam producuntur; cum nullus ſæculo XVI. antiquior Scriptor Conſtantium Humiliatis adjudicarit. Alterum verba illa: *Alias præterea vigintiquatuor Eccleſias variis in locis condidiſſe traditur*, quod etiam Inſcriptione quadam continebatur, quam refert Doneda (*a*). Quo loco emendandus eſt Sormannus, qui quattuordecim pro quattuor & viginti ſcripſit (*b*). Sed ubinam hæc templa exſtiterint, quo tempore conſtructa, cui Sacra fuerint, numquam Humiliati ſtatuere, aut indicare potuerunt.

XLIX. Itaque nonniſi poſt annum MCCCCLXXXIII. hæc inter Humiliatos opinio invaluit, cui tamen evertendæ veterum auctorum ac monumentorum ſilentium non parvam vim habet. Præterquamquod antiquiores illi Humiliati cinereis veſtibus ac bireto utebantur. At Conſtantii biretum, quod adhuc, ut creditur, in S. Catharinæ ſervatur, ex nigro panno confectum eſt. Quapropter hac tantum de cauſſa id ſibi perſuaſiſſe Humiliatos arbitror, quod in Conchenſi æde, quæ diu ipſorum juris fuit, illius corpus ſervaretur, qua ſcilicet ratione & S. Baudolinum & S. Torpetem ſuis illos adnumeraſſe videmus. Wionius (*c*), eumque ſequuti

(*a*) Cap. VII.
(*b*) Stor. degl. Umil. pag. 116.
(*c*) Martyrol. [illegible] ad diem XII. Febr. & Lign. Vit. Lib. I. Cap. LIX.

quuti Menardus (*a*), ac Maurolycus (*b*) Conſtantium Brixienſem Epiſcopum dixerunt. Qua in re graviſſime eos deceptos hinc conſtat, quod nec apud Ughellium, nec in *Brixia Sacra* eruditiſſimi P. Gradonici Conſtantius ullus inter Brixienſes Epiſcopos recenſetur. Ab hoc tamen errore abſtinuerunt Humiliati, apud quos Conſtantius Confeſſoris non Pontificis cultum ſemper obtinuit. Itaque quod Doneda refert (*c*), Vicentinas Ordinis Humiliatorum Sanctimoniales S. Conſtantium ut Epiſcopum adhuc colere, fieri profecto non poteſt, ſiquidem illæ proprio Humiliatorum *Breviario* utantur.

L. *B. TIBERIUS DE PALMA*, ſeu potius *de Parma*; ille ipſe ſcilicet, de quo egimus Diſſertat. IV. num. XX., ubi cum ea omnia expoſuerimus, quæ ad illum pertinent, nihil hic ſupereſt addendum, præterquam nullum illi tributum cultum, nullo illum in Martyrologio recenſeri, quamvis Beati nomen illi Humiliati conceſſerint.

LI. *S. TORPETIS MARTYRIS DE PIXIS*. Mirabitur ſane aliquis eo deveniſſe Humiliatos, ut primi Chriſtiani ſæculi Martyrem ſuo cœtui adjudicarent; (perperam enim, nullaque auctoritate innixus duos Torpetes induxit Wionius (*d*), alterum, qui primo ſæculo, alterum, qui Humiliatorum temporibus vixerit). Sed eadem id de cauſſa factum eſt, qua vidimus Baudolinum Humiliatis adſcriptum. Nos in hujus Martyris actis illuſtrandis non immorabimur, quod egregie jam præſtitit Papebrochius (*e*). Acta porro ipſa a Papebrochio edita, apocrypha, ut dicimus, certiſſime ſunt, fabuliſque referta, ut idem oſtendit. Illud certo conſtat, ac veterum etiam Martyrologiorum, quæ Papebrochius recen-

(*a*) Martyrol. Benedict. ad eumd. diem.
(*b*) Mare Oceano delle Relig. Lib. III. pag. 182.
(*c*) Cap. V.
(*d*) Lign. Vit. Lib. I. Cap. LIX.
(*e*) Acta SS. Maji. T. IV. pag. 5. & ſequ. Edit. Antverp.

Digitized by Google

recenſet, teſtimonio comprobatur, Torpetem, Nerone imperante, ſtrenue pro Chriſti nomine certantem Piſis in Etruria occubuiſſe. Quæ ad Torpetis cultum per Galliam & Luſitaniam diffuſum pertinent, apud memoratum auctorem videre licet. Nos quæ cultum Torpeti a Piſanis atque ab Humiliatis præſtitum ſpectant, diligentius evolvemus, præſertim cum non ſatis illa cognoviſſe Papebrochius videatur, qui de S. Torpete agens Humiliatos ne memorat quidem. Animadvertit itaque Cl. auctor de S. Martyris capite nihil in Actis memorari, ubi ſolum narratur, illius corpus naviculæ impoſitum ventorum arbitrio commiſſum fuiſſe, ex quo deinde inter Gallos ac Luſitanos exorta contentio, utriſque illud ad ſuas oras delatum affirmantibus. Verum Torpetis caput ſæculo XIII. apud Piſanos fuiſſe, ex MS. narratione colligimus, quam Latine factam edidit Papebrochius, ſive illud Piſani, antequam Torpetis corpus navi imponeretur, ſibi ſervarint, ſive alio delatum, quo tempore plurimum mari poterant, illud receperint. Hæc porro in memorata narratione referuntur. Friderico Piſano Archiepiſcopo (qui ab an. MCCLIV. ad an. MCCLXXVIII. illi Eccleſiæ præfuit) cum diuturna ſiccitate cives agrique vexarentur, frequenteſque ideo haberentur ad ſacra templa ſupplicationes, Archiepiſcopus quondam populo *verſus oſtium Arni ad vicum S. Luxorii*, *ubi antiquitus ſervabatur caput S. Torpetis* deducto, (eſt autem vicus ille vulgo *S. Roſſore* tertio circiter ab urbe lapide), Sacrum ipſum caput præ manibus ſumens, atque ad maris oram progreſſus, precibus ad Deum fuſis, undis illud immiſit. At vehementiſſimo fluctu ingruente caput e Præſulis manibus ereptum eſt; quod cum ille vehementer doleret, Deumque oraret, ut ablatum ſacrum illud pignus ſibi iterum redderetur, novo fluctuum impetu S. Martyris caput iterum ad Friderici manus delatum eſt; ac deinde tanta vis pluviæ ingruit, ut ægre ad *Monaſterium S. Luxorii* redire potuerint. *Ex illo autem tempore*, ait narrationis auctor, *ingens fuit Piſanorum erga S. Torpetem veneratio*,

neratio, & in hunc uſque diem durat non ſine effectu ſalutari. Hinc Papebrochius probabile arbitratur Piſanos tunc aut veterem S. Torpetis Eccleſiam, ſiquam antea habuerant, magnificentius inſtauraſſe, vel novam a fundamentis erexiſſe, quam nunc ſcilicet PP. Ordinis Minimorum incolunt, apud quos ſervatur S. Martyris caput; quod videtur proinde, antequam illi ædes eaſdem ingrederentur, a S. Luxorii templo fuiſſe illuc delatum. Hæc Papebrochius probabilibus conjecturis innixus.

LII. At ex egregio monumento an. MCCCXII. XVI. Auguſti ex Archiepiſcopali Piſano Tabulario educto, cujus exemplar ad me tranſmiſit ſæpius memoratus P. Benedictus Vulpius, plura alia docemur. Monumenti inſcriptio hæc eſt: *Qualiter privati fuerunt per ſententiam de Eccleſia Sancti Ruxorii Prepoſitus & Fratres Sancti Torpetis Ordinis Humiliatorum per Dominum Archiepiſcopum Joannem*. Monumentum ipſum Volumine altero cum reliquis proferemus. Nunc ſufficiet, quæ illo continentur, breviter perſtringere. Friderici itaque Archiepiſcopi ejuſdem, quem ſupra meminimus, tempore Humiliatos & Piſis domum habuiſſe S. Torpetis appellatam, & aliam pariter in prædicto S. Luxorii ſeu S. Ruxorii vico; hanc autem Friderico ipſo conſentiente primæ conjunctam (quo anno non conſtat) his conditionibus fuiſſe, ut & Humiliati aliquot Sacris peragendis illam incolerent, & jus in illam ſuum Archiepiſcopus exerceret, hæc omnia monumento illo narrantur, quo Archiepiſcopi Joannis ſententia continetur; qui cum Humiliatos conditionibus non ſtetiſſe noſceret, illos a S. Luxorii domo decedere juſſit. Ex his autem nonnulla probabiliter colligi videntur; fuiſſe ſcilicet primo Humiliatos ad S. Luxorii ædem; Friderico deinde Archiepiſcopo, cum prodigii ſuperius relati occaſione novum S. Torpeti templum Piſis conſtrueretur, Humiliatos ad novas ædes incolendas demigraſſe, ſic tamen, ut veteris etiam S. Luxorii domus memoratis conditionibus jus retinerent. Ceterum ſacram Torpeti ædem ante narrati prodigii

ætatem

ætatem Piſis fuiſſe non arbitror; neque enim probabile videtur, dum Torpetis templum in urbe eſſet, illius caput in parvo vico atque in aliena æde, ut ita dicam, ſervatum fuiſſe. Tunc itaque Torpetis caput Piſas delatum exiſtimo, cum nova illi ædes ibidem exſtructa eſt. Hinc cum Piſani Humiliati præcipuo cultu S. Martyrem venerari aggreſſi eſſent, cultus ipſe deinde, ut de S. Baudolino contigiſſe vidimus, ad univerſum Humiliatorum cœtum diffuſus eſt. Atque anno quidem MCCCCLXXXIII. cum primum Humiliatorum *Breviarium* ederetur, nulla illius mentio eſt facta. At tum *Breviario*, tum *Miſſali* anno MDIV. edito, illius nomen inſertum eſt; nam & in *Kalendario*, quod *Miſſali* præmittitur, ad III. Kal. Majas hæc habentur, ab homine profecto Hiſtoriæ & Chronologiæ ignaro ſcripta: *S. Torpetis M. Ordinis Humiliatorum;* & ejuſdem *Miſſa* habetur *de Communi Martyrum;* ejuſdemque *Officium* ſic in *Breviario* indicitur: *In S. Torpete Martyre novem fiat lectionum: omnia ſicut in S. Georgio.* At deinde in *Breviarii* editione an. MDXLVIII. ceteriſque recentioribus, Torpetis nomen cultuſque omnino omiſſus.

LIII. *B. UBERTUS DE MEDIOLANO*. Clarius hujus nomen in BB. tabula indicatur ad Braidenſis Chronici calcem adjecta, his verbis: *B. Ubertus de Mediolano: eſt de Landriano, & erat frater in domo Ottaciorum, & ibi eſt corpus.* Ex quibus colligimus ex antiquiſſima Nobilium de Landriano familia fuiſſe Ubertum, vixiſſe illum in Ottaciorum domo, atque ibidem illius corpus quieſcere. Errat itaque Wionius, cum narrat (*a*), ab Uberto Braidenſem Humiliatorum domum conſtructam fuiſſe, eumque anno MXXXVI. in Ottaciorum domo obiiſſe; neque enim potuit profecto aut Braidenſem domum condere ante annum MXXXVI., quam ſæculo integro ſerius ædificatam oſtendimus, nec eodem anno in Ottaciorum domo obire, quam nonniſi anno MCCXXXII. exſtru-

(*a*) Lign. Vit. Lib. I. Cap. II.

exſtructam fuiſſe, proxima Diſſertatione videbimus. In hac porro domo Ubertum obiiſſe non ſolum ex prolatis verbis, ſed etiam ex alias memorato ejuſdem domus Necrologio intelligimus; in quo ad VIII. Cal. Mart. hæc habentur. *Ob. Dominus Ubertus de Landriano*. At quamvis in Ottaciorum domo ille obierit, videtur tamen tertium tantummodo Ordinem amplexus fuiſſe; id enim & illa loquendi ratio: *Dominus Ubertus:* & alterius Chronici auctoritas ſuadet, cujus Scriptor Cap. IV., poſtquam dixit multos ex tertio Ordine vitæ ſanctitate claros prodiiſſe, addit: *ut puta B. Ubertus de Landriano in domo de Ottaciis in Porta Vercellina*. Itaque quod ſuperius referri vidimus: *& erat frater in domo Ottaciorum*, ſic explicandum arbitror, ſub extremum vitæ tempus illuc Ubertum ſeceſſiſſe, ut impenſius pietatem excoleret, quod etiam a Laicis hominibus fieri interdum videmus. At quo tempore Ubertus vixerit, non ita facile ſtatuere poſſumus. Necrologium illud ſcribi, ni fallor, cœpit anno MCCXCIV., ex hoc enim anno Indictionum tabella exorditur ad illius calcem adjecta. Uberti vero commemoratio caractere aliquanto recentiore ſatis tamen antiquo ſcripta apparet; ut illum proinde ſub ſæculi XIV. initia aut paullo poſtea obiiſſe exiſtimem. Sed fruſtra de Uberti rebus geſtis quidquam exquiras, de quibus Humiliati æque ac Mediolanenſium rerum Scriptores ſilent; nullum enim hi Ubertum de Landriano per hæc tempora commemorant (niſi forte illum fuiſſe dicamus, qui inter Mediolanenſis Reipublicæ moderatores anno MCCLIV. (a) numerabatur), nec aliam illi Uberti hujuſce mentionem, præterquam in relatis BB. tabulis, faciunt.

LIV. *S. PINCININUS EPISCOPUS BRIXIENSIS:* ita in utroque Catalogo. At Pincininum fruſtra in Brixienſium Antiſtitum ſerie, aut in Martyrologio ullo requiras. Conjicit Fainus (b) mendoſe

(a) Giulin. Memor. T. VIII. pag. 118.
(b) Cœlum Brixian. Eccl. pag. 58.

Digitized by Google

doſe Pincininum pro Albuino ſcriptum fuiſſe, non Brixienſi quidem, ſed Brixinenſi Epiſcopo *Sancto*, inquit, *& miraculis claro, qui circa primordia illius Ordinis Humiliati vixit*. Sed præterquamquod hujuſmodi nominis immutatio non ita facile potuiſſe fieri videtur, non video quid eſſe potuerit Humiliatis eum Brixinenſi Epiſcopo commune, ut illum ſuis adnumerarent. In Tabulis SS. MM., quas Fainus ad calcem ejuſdem Libri adjecit, quæque præſertim ex S. Afræ tabulis excerptæ ſunt, quibus quæ habenda ſit fides, eruditi norunt, leguntur inter ceteros: *S. Pezzinus Bonviſius Mart. S. Pizzinus de Sarnegio Mart.*, *S. Pizzinus Maggius Mart.* Quæ nomina cum facilius mutari in Pincininum potuerint, ſuſpicio oriri poſſet, ex iis aliquem ab Humiliatis fuiſſe perperam ſuis adſcriptum, quamvis illi primis Chriſti ſæculis vixerint, ut de S. Torpete contigiſſe vidimus. Sed cum in S. Afræ æde condita illorum corpora dicantur, quæ numquam ad Humiliatos pertinuit, nulla apparet cauſſa, cur illorum aliquem ſibi Humiliati vindicarent. Itaque quæ ad hunc pertinent, donec certiora argumenta proferantur, in incerto relinquere inviti cogimur.

LV. *S. HOLINUS*. Hujus etiam aut nomen in ullo Martyrologio, aut res geſtas ex Humiliatis ipſis fruſtra requiras. In tabula ad Chronici Braidenſis calcem addita hæc tantum habentur: *S. Holinus in domo Dei Aſt.* Atque Aſtæ quidem in Monteferrato ædem habuerunt Humiliati *Domum Dei* appellatam. Itaque ſpes aliqua hine effulſerat, fore ut apud Aſtenſes aliquod Beati Viri monumentum ſupereſſet. Quare cum hoc ipſum de Cl. P. D. Joſepho Maria Carlevario ex Comitibus S. Damiani Canon. Regul. Lateran. Abbate per literas quæſiſſem (plurima enim de Humiliatis Aſtenſibus a ſe ſumma eruditione collecta ad me tranſmiſerat, ut proxima Diſſertatione dicemus) humaniſſime ille reſpondit, gratias ſe quidem mihi habere, quod Aſtenſis civis, aut ſaltem incolæ ſanctitate præclari nomen e tenebris educerem; ſed ſibi, quicumque de Sanctis aut Sabaudæ ditionis univerſæ,

aut

aut de Aſtenſibus ſigillatim egerunt, & vetera etiam Aſtenſia monumenta diligentiſſime pervolventi, nullum hactenus Scriptorem occurriſſe, qui Holinum vel nominaret. Utinam alia aliquando innoteſcant, quibus Beati hominis memoria revocetur.

LVI. Hos ex Humiliatorum Cœtu Beatos Sanctoſque Tabula ad *Miſſalis* calcem addita recenſet. At quæ Braidenſi Chronico adnectitur, alium profert *B. ALBERICUM DE GAMBARA BRIXIÆ*. Cujus tamen nulla alia eſt apud Humiliatos mentio. Videtur tamen ille ipſe Albericus de Gambara fuiſſe, a quo Brixienſem Humiliatorum Domum eodem nomine, ſcilicet S. Mariæ Magdalenæ de Gambara appellatam, proxima Diſſertatione exſtructam fuiſſe videbimus; quique proinde ſæculo XIII. ineunte vixiſſe credendus eſt. Sed ceteras Alberici res geſtas, quemque ille amplexus ſit Humiliatorum cœtum omnino ignoramus.

LVII. Hoc loco denique omittendam non arbitror Cunizam, ſeu Cunegundem ex Humiliatorum Cœtu Virginem, quamvis illi non modo inter BB. hanc non retulerint, ſed ne nominarint quidem. At digniſſimam eſſe cujus memoria ſervetur, quæque iis addatur, qui inter Humiliatos ſanctitate claruerunt, oſtendit egregium monumentum, Epigraphe ſcilicet plumbo inſculpta, quam edidit doctiſſimus P. Bernardus Maria de Rubeis Ord. Prædic. (a), exhibuitque compendiariis iiſdem notis, quæ in plumbea lamina leguntur: nos vero Lectorum commodo inſervientes eamdem explicatius proferemus. *Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo* XIIII. (Indictione) *die tercio decimo exeunte Auguſto, vivente Domino Conrado Dei gratia Epiſcopo Juſtinopolitano Soror Cuniza de Carinthia virgo de hoc ſeculo migravit, que vitam ſuam duxit honeſte cum hobedientia apud Sacilum* (Forojulienſis provinciæ oppidum, ubi erat Humiliatorum domus) *in Ordine humiliatorum circa annos XXII., & propter perſecutionem & crudeli-*

(a) Vita B. Benvenutæ Bojanæ pag. 10

delitatem guerre Icelini de Romano ad Civitatem Iuſtinopolitanam pervenit cum pluribus conſororibus ſuis , & tunc ſuppliciter & devote nominato Domino Epiſcopo de licencia ſui Conventus apud Eccleſiam Sancti Michaelis de Riolo in heremitorium per ipſum Dominum Epiſcopum eſt incluſa . Que ibidem vitam ſuam ſancte , honeſte , & caſte duxit in cilicio , paupertate , jejuniis , vigiliis , abſtinentia , confeſſionibus , ymnis & orationibus multis , annis XIIII. & menſibus XI. & diebus duobus. Cujus anima per Dei miſericordiam cum ſanctis Angelis requieſcat in gloria paradiſi , cujus pater Gotfredus , ver. mater . Hujus Inſcriptionis meminit etiam Cl. Apoſtolus Zenus (*a*) , qui poſtremas illas voces ſic legendas arbitratur : *Cujus pater Gotfredus , & ejus Mater . . .* Hæc tantum de Cunegunde accepimus , quibus primam Diſſertationis hujuſce partem claudimus. Jam enim Humiliati dignitatibus illuſtres nos ad ſe vocant.

DISSERTATIONIS VI. PARS II.

DE HUMILIATIS PRÆCIPUA ALIQUA DIGNITATE ILLUSTRIBUS.

I. SI Hieronymus Borſierius audiendus eſſet (*b*) , ex Humiliatorum cœtu XXIX. Epiſcopi , VIII. Archiepiſcopi , S. R. Eccleſiæ Cardinales V. prodiiſſe dicendi eſſent. Ita enim ille teſtatur , addens , de illuſtribus inter Humiliatos viris agere Jacobum Torchium ad calcem Conſtitutionum Ordinis ejuſdem , & Benedictum Jovium in Novocomenſi hiſtoria. Et Jacobus quidem Torchius inter Humiliatos vivebat anno MDLII., Præpoſitus Mediolanenſis domus SS. Trinitatis ;

(*a*) Lettere Vol. III. Lett. 239.
(*b*) Supplem. della Nobiltà di Mil. Cap. IV.

nitatis; illiuſque fortaſſe opera (quamquam ætatis paulo antiquioris videtur) exemplar quoddam Conſtitutionum earumdem deſcriptum eſt, quod in Metropolitani hujus Capituli Bibliotheca ſervatur: ibi enim hæc habentur: *Præſcriptæ Conſtitutiones extractæ fuerunt a volumine quodam de Brayda, & correctæ prout in eodem volumine repertæ fuerunt, ad informationem Præpoſiti & Fratrum S. Trinitatis Mediolani Ordinis Humiliatorum*: At ibi nulla ſane illuſtrium Humiliatorum mentio. Benedicti autem Jovii hiſtoria omnium manibus teritur, licetque unicuique per ſe ipſum cognoſcere, aliquidne ille de Humiliatis hiſce illuſtribus narret. Ac mirum ſane eſſet ex hominum cœtu, qui iis plerumque muneribus exercebantur, quæ a literarum ſtudiis fere abducunt, tot potuiſſe tantis dignitatibus claros viros prodire. Paullus Morigia tres tantum Cardinales Humiliatis tribuit (*a*), quorum tamen nomina ſilet. Duos novimus; B. Jacobum Paſqualium Senenſem, & B. Lucam Manzolium: tertium ignoramus. Itaque duorum, quos commemoravimus, res geſtas primo exponemus. Tum de iis agemus, quos inter Humiliatos ſacris infulis inſignitos fuiſſe auctores tradunt.

II. Atque ad *B. JACOBUM* quod attinet, vidimus in SS. tabula, quam prima hujus Diſſertationis parte explicuimus, tertio loco memorari *B. Jacobinum de Senis Cardinalem*. P. Joannes Bartholomæus a S. Claudia ſuſpicatus eſt (*b*), Jacobum hunc eumdem ſcilicet eſſe, qui in Senenſibus Faſtis commemoratur (*c*), cognomento Muratus de Monterio dictus, qui, antequam Divino cultui ſe addiceret, Jacobinus vocabatur, quique cum diu tacita in ſolitudine abditus vixiſſet, anno MCCLXXXIX. ad Superos evolavit. Sed cum hunc numquam aut ex Humiliatorum Ordine,

(*a*) Sommar. Cronol. Lib. VI.
(*b*) Luſtri Storiali pag. 532.
(*c*) Pag. 30.

ne, aut multo minus Cardinalem vocari animadverteret, in Humiliatorum tabulas errorem irrepſiſſe eſt arbitratus, præſertim cum nullus a Ciaconio, aut ab Oldoino, ceteriſque Sacræ Hiſtoriæ Scriptoribus Jacobus ſeu Jacobinus Cardinalis Senenſis proferatur. At nullum eſſe in Humiliatorum tabulis errorem, Senenſium Scriptorum auctoritate docemur. Placet hic inter ceteros Ugurgierii verba recitare, quod ille aliorum etiam teſtimonia commemorat (*a*): *Fr. Jacobus Paſqualius* (ait ille Italicis verbis, quæ a me Latine redduntur) *ex Humiliatorum Ordine a Pio V. Rom. Pontifice extincto, Senenſis nobili genere natus eſt; cujus familia quamvis fere apud nos interierit, ſuperſunt tamen, qui ex Paſqualiis feminis originem ducunt, viri fama opibuſque illuſtres. Præcipuas fere omnes inter ſuos dignitates non hominum favore uſurpatas, ſed pietatis potius quam doctrinæ laude promeritas obtinuit. Cum enim Humiliatorum cœtus voluntariam præſertim animi demiſſionem ſectaretur, parum in literis verſatus eſt. Eam nihilominus adeptus eſt famam, ut Romana purpura a Joanne XXII. Pont. Max. inſigniri meruerit, ut Senenſes Hiſtorici, & Thomaſius præſertim, atque inter exteros* Wionius De ligno vitæ *teſtantur; & adhuc antiquæ illius imagines Senis proſtant, quibus ille ſuæ dignitatis inſignibus ornatus exhibetur, radiiſque capiti obductis, quod magnam ſanctitatis famam decedens reliquerit. Nec vero eſt cur miremur, a Platina, Panvinio, Ciaconio aliiſque Scriptoribus prætermiſſum illum fuiſſe. Priuſquam enim collatæ dignitatis nuncius ab Avenionenſi urbe adveniret, Senis ille obiit. Vivebat tamen cum Cardinalis eſt renunciatus. Itaque qua ratione Leonardum Datum Ord. Prædicatorum Magiſtrum Cardinalibus accenſet Ughellius, quamvis paucos dies collatæ dignitati ſuperfuerit, quam collatam ſibi fuiſſe ne accepit quidem, eadem nos Paſqualium noſtrum Cardinalem jure optimo dicimus*. Hactenus Ugurgierius. Similia habet Hieronymus Gilius (*b*).

(*a*) Pompe Saneſi P. I. tit. 1.
(*b*) Diario Saneſe P. I. pag. 210.

Habes itaque & Jacobi, ſeu Jacobini genus, & collatam illi a Joanne XXII. dignitatem. Sed fruſtra diſtinctius aliquid de illius rebus exquiras, aut quo ille anno obierit. Hoc enim unice ſtatuere poſſumus, inter annum MCCCXVI., quo Joannes XXII. Pontifex juſſus eſt, & annum MCCCXXXIV., quo idem obiit, Jacobum vita exceſſiſſe. Illum Beati nomine, ut vidimus, Humiliati ornant: nullum tamen publici cultus indicium extat, nec illius nomen ullo in Martyrologio, quod ſciam, recenſetur.

III. Alter ex Humiliatorum Ordine Cardinalis in eorumdem BB. tabulis nominatur, videlicet *B. LUCAS DE FLORENTIA CARDINALIS*, ſcilicet B. Lucas Manzolius. Multi clariſſimi hujus ex Humiliatorum Ordine Cardinalis res attigerunt; ſed nemo hactenus diligentem in iis illuſtrandis operam poſuiſſe mihi videtur. Rem itaque & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ non inutilem & eruditis viris non injucundam facturos nos arbitramur, ſi, quæ ad illum pertinent, accurate colligamus. Itaque anno MCCCXXXI. ortus eſt Lucas; quod inde conſtat, quod illum LXXX. annos natum anno MCCCCXI. obiiſſe communi conſenſu auctores ſcribunt. Manzolii autem appellatio ex patris potius, quam ex gentis nomine deducta videtur, ut optime ait, qui elogium Alexandri Marchetti conſcripſit (*a*); quamvis deinde in gentis nomen tranſierit. Lucas enim Manzi filius fuit, ut ex tabulis mox commemorandis diſcimus, ex quibus etiam Ponturmium, oppidum Florentiam inter ac Piſas, patriam illi fuiſſe colligimus: *Fr. Lucas filius qu. Ser Manzi qu. Neronis de Ponturmo;* ſimulque Florentiæ illum habitare ſolitum: *qui morari conſuevit in populo S. Luciæ Omnium Sanctorum*. Annos circiter duodeviginti natus Ordinem Humiliatorum Florentiæ ingreſſus eſt; dumque in domo Omnium Sanctorum Tyrocinium ageret, domum ipſam bonorum ſuorum tertio loco hæredem ſcripſit, an. MCCCXLIX. die V. Septemb. Qua

(*a*) Giornal. de' Letter. d' Ital. T. XXI. pag. 217.

Qua de re confectas tabulas, quarum initium Ferdinandus Ughellius (*a*), ac Dominicus Maria Mannius (*b*) jam protulerunt, nos integras, ac Mannii ipſius beneficio acceptas, in monumentorum collectione dabimus. S. Catharinæ Senenſis diſcipulum illum fuiſſe ſcribit Franciſcus Xaverius Quadrius (*c*); ac ſane multam ſibi illum famam tum morum ſanctitate, tum etiam doctrina ac literis comparaſſe, teſtatur præſertim S. Antoninus, qui Lucam *magni conſilii virum*, *Sacræ Theologiæ profeſſorem peritum*, *& magna fama probitatis* vocat (*d*). Alibi autem ab Antonino eodem dicitur Lucas *Sacræ Theologiæ profeſſor*, *fama celebri*, *probitate & ſcientia clarus* (*e*). Digniſſimus itaque habitus eſt, qui domus ejuſdem omnium Sanctorum Præpoſitus renunciaretur (*f*). Errant autem (*g*), qui Lucam toti Humiliatorum cœtui præfuiſſe narrant, quod ex ipſa Generalium Magiſtrorum ſerie, quam contexuimus, ſatis conſtat. Veriſimilius eſt, quod Ughellius arbitratur (*h*), Generalem ſuorum in Etruria Vicarium fuiſſe Lucam. Illum etiam Florentinæ Reipublicæ nomine ad Gregorium XII. Pontificem profectum, ut ſupremam dignitatem illi collatam gratularetur, narrat P. Richa (*i*).

IV. Hunc in modum maximam cum doctrinæ tum pietatis laudem adeptus, diu inter Humiliatos Lucas floruit ad annum uſque MCCCCVIII., quo tempore Feſulanus Epiſcopus, & S. R. E.

(*a*) Ital. Sacr. T. III. in Epiſc. Feſulan num. 39.

(*b*) Oſſervaz. ſopra i Sigilli antichi T. VII. Sig. VIII.

(*c*) Storia e Ragione della Poeſia T. IV. pag. 170.

(*d*) Chronic. III. Part. Tit XXII. Cap. V. §. I.

(*e*) Part. II Tit. XVI. præfat. Cap. 13.

(*f*) Donius Flores Cardinal. T. II. pag 41. Oldoinus Athen. Rom. pag. 464. Ciacon. Vit. Pontif. T. II. col. 770. Edit. Rom. 1677. &c.

(*g*) Bucelin. Annal. Benedict. P. II. pag. 81. P. Richa Chieſe Fiorent. T. IV. Lez. XXV. num. III.

(*h*) Loco cit.

(*i*) Loco cit.

R. E. Cardinalis a Gregorio XII. dictus eſt. Non tamen utraque ſimul dignitate ornatum illum dicunt Donius, & Ciaconius, ſed Feſulanam antea ſedem, mox Romanam Purpuram conceſſam illi fuiſſe. Erat ſcilicet per ea tempora Feſulanus Epiſcopus Jacobus Altovita Ord. Prædicat., qui ſolum anno MCCCCX. deceſſit, ut Ughellius oſtendit (*a*). Itaque ut intelligamus, qua ratione potuerit Lucas, Jacobo nondum demortuo, Feſulanæ Eccleſiæ præeſſe, repetenda eſt funeſtiſſimæ diſſenſionis memoria, qua tunc Eccleſia omnis agitabatur. Occidentale, ut appellant, ſchiſma anno MCCCLXXVIII. coortum, acrius fervebat in dies. Innocentio VII. anno MCCCCVI. e vivis erepto, Angelus Corarius Cardinalis ſuffectus fuerat, ac Gregorius XII. appellatus; qui antea jurejurando ſimul cum Cardinalibus præſtito, ſua ſe dignitate, ſi forte Pontifex renunciaretur, ultro abdicaturum promiſerat, ſtatim ac Petrus de Luna, Benedictus XIII. appellatus quemque Gallia, atque Hiſpania verum Pontificem agnoſcebant, ejuſque Cardinales idem præſtarent; ut unicus tandem toti Eccleſiæ Pontifex concederetur; ſimulque nullum ſe Cardinalibus additurum, niſi ad Cardinalium numerum, qui Petro Lunenſi favebant, exæquandum. Quod jusjurandum iterum poſt electionem ſuam confirmavit. Sed cum poſtea Gregorius minus de pace Eccleſiæ reddenda, quam de ſua dignitate tuenda ſollicitus videretur, cumque anno MCCCCVIII. VII. Id. Majas (ut conſtat ex Cardinalium Epiſtola quinque poſt diebus conſcripta, quam Rainaldus profert) (*b*) ſe jurejurando ſolutum arbitratus, Piſis IV. Cardinales renunciaſſet, ex veteribus Cardinalibus ſex ab illo defecerunt, ac Piſanam deinde Synodum indixerunt. Hinc novæ diſſenſiones exortæ, aliis Gregorii, aliis Cardinalium, qui a Gregorio receſſerant, partes tuentibus. Hac vero occaſione factum arbi-

(*a*) Loco citat. num. 38.
(*b*) Annal. Eccleſ. ad an. 1408. num. VIII.

Digitized by Google

arbitratur Ughellius, ut de Feſulana ſede Jacobus Altovita a Gregorio amoveretur, ad eamque eveheretur Lucas. Hunc tamen numquam Eccleſiam ſuam adiiſſe crediderim; nam & Jacobum, qui a Gregorio defeciſſet, illius detrectaſſe imperia veriſimile eſt & Jacobo demortuo Feſulana Eccleſia die V. Julii anno MCCCCIX. (Luca adhuc vivente) ab Alexandro V., qui in Piſana Synodo Pontifex juſſus fuerat, Antonio Cardinali Cajetano eſt commendata, ut Ughellius oſtendit.

V. Lucam vero noſtrum ſtrenue pro Gregorio ſtetiſſe hinc etiam cognoſcimus, quod eodem anno MCCCCVIII. cum Gregorius, a quo aliquot iterum Cardinales receſſerant, Cardinales alios novem Senis juberet, inter hos Lucam Feſulanum Epiſcopum Tit. S. Laurentii in Lucina nominavit. Electionis diem XIX. Septemb. Ciaconius ſtatuit: contra Rainaldus V. Non. Maji; ſed per typorum errorem *Maji* ſcriptum eſſe, forte pro *Octobris*, ex tota rerum ſerie, quas Rainaldus idem narrat, aperte patet; itaque probabiliter legendum eſt *V. Nonas Octobris*. At eorum ſane emendandus eſt error, qui Lucam in prima electione Cardinalem appellatum volunt, ut inter ceteros Joannes Caroli Ord. Prædic. apud Donium. Tum vero literis ſuis eodem anno VI. Kal. Novemb. datis, quas idem Rainaldus profert, Lucam Cardinalem Legatum in Etruria ſuum dixit. Florentini initio Lucam ut Pontificium Legatum honorificentiſſime exceperunt. Sed cum deinde Patrum in Piſana Synodo collectorum partes ſequuti eſſent, ipſum Gregorii Legatum rejicere viſi ſunt. Rem ex ipſius Gregorii literis colligimus ad Florentinos datis anno MCCCCIX. IV. Id. Martii, quas Rainaldus edidit: *Dilectum filium noſtrum Lucam civem veſtrum ibidem exiſtentem Presbyterum Cardinalem & Apoſtolicæ Sedis Legatum noluerunt admittere, ſicut prius receperant, & honoraverant in ſuo dominio ut Cardinalem pariter & Legatum*. Quin etiam in *Capitulis* quibuſdam a Gregorio hac eadem in cauſſa ad Florentinos miſſis, queritur Pontifex, quod Lucam ne ut Cardina-

lem

lem quidem receperint (*a*): ait enim Vexilliferum Juſtitiæ, ut ajunt, in publico Florentinorum concilio hunc in modum fuiſſe loquutum: *Gli è ſtato chiamato per voi il venerabile patre maeſtro Luca a coteſta congregazione; e non è venuto: ben farà de venirve domani: meglio havrebbe fatto, ſe vi foſſe venuto oggi*. Quibus verbis dolet Gregorius, ipſam Cardinalis appellationem fuiſſe Lucæ negatam. At Lucas Gregorii partes conſtanter ſequutus, Piſanæ Synodo hoc ipſo anno celebratæ, in qua tum Gregorium XII. tum Benedictum XIII. omni Pontificatus jure excidiſſe decretum eſt, ac Petrus Philargus Mediolanenſis Archiepiſcopus ac S. R. E. Cardinalis ad Pontificiam ſedem, Alexandri V. nomine aſſumpto, evectus eſt, Piſanæ, inquam, Synodo non interfuit; neque enim illius nomen uſquam in Synodi actis apparet. Maximum hoc Gregorii defendendi ſtudium multorum ſermones in Lucam acuit, ut Hieronymus Garimbertus narrat (*b*); ſed dubitandum non eſt, quin homo vitæ ſanctitate morumque innocentia clariſſimus, ideo Gregorii partes tutandas ſibi exiſtimaret, quod verum illum certiſſimumque Romanum Pontificem arbitraretur.

VI. Quid poſt Piſanam Synodum Lucas egerit; num adhuc pro Gregorio ſteterit, qui Pontificiæ dignitatis inſignia ad Conſtantienſem uſque Synodum retinuit; num ab illo recedens, infulam purpuramque, ut Piſanæ Synodi Patres edixerant, poſuerit ultro, Scriptores ſilent. Sed ex Epigraphe, quam mox referemus, illius tumulo appoſita, videtur Lucas non Cardinalis ſolum, ſed Legati etiam dignitatem atque inſignia ad obitum uſque ſervaſſe. Illud certum eſt duobus poſt Piſanam Synodum annis, ſcilicet anno MCCCCXI. die XIV. Septembr. illum octoginta annos natum obiiſſe. In tumulo altius ſublato, ut Ughellius & Ciaconius referunt, depoſitus eſt in Eccleſia omnium SS.

(*a*) Manſi Supplem. ad Concil. T. III. col. 1183.

(*b*) Vite de' Papi P. I. pag. 149.

SS. Florentiæ, ubi adhuc Lucæ corpus ſervatur, his carminibus tumulo appoſitis.

Exemplar vitæ, morum, virtutis, & almæ
Profeſſor legis, qualem vix noverit ætas
Noſtra parem, fuit hic Lucas ex ordine noſtro:
Cardinis ad culmen Romanæ ſponte vocatur
Eccleſiæ, verum Legatus poſtea Summi
Pontificis moritur, Cælum mens ipſa volavit.
Anno Domini MCCCCXI. die XIV. Sept.

Beati nomen Donius, Wionius, Bucelinus, Menardus aliique præter Humiliatos Scriptores Lucæ tribuunt. Publici tamen cultus tributi nullum exſtat indicium; quod in cauſſa fuit, cur in Actis SS. (a) ille inter prætermiſſos recenſeretur. De libris ab eodem conſcriptis ſermo erit in III. hujus Diſſertationis Parte.

VII. Cardinalibus Epiſcopi ſuccedant; quos etiam tamen numero paucos ex Humiliatorum cœtu delectos videbimus. Nos certe Ughellii Italiam Sacram, alioſque Auctores nonnullos evolventes, ſex tantum deprehendimus Humiliatos Epiſcopali munere inſignes. Atque omnium antiquiſſimus *JACOBUS CALZINARIUS* Dertonenſis Epiſcopus occurrit; de quo nihil aliud omnino præter Ughellianum elogium proferre poſſumus. *Jacobus Calzinarius*, ait ille (b), *ex Ordine Humiliatorum, Sacrorum Canonum Doctor eximius, a Romano Pontifice Honorio IV. eligitur, ut Eccleſiæ Dertbonenſi conſuleret, quam cum honeſtiſſime ad annum uſque* 1300. *gubernaſſet, exceſſit e vivis boni Epiſcopi famam poſt ſe relinquens*. Itaque XV. circiter annis Dertonenſi Eccleſiæ præfuit. Cum enim anno MCCLXXXIV. Melchior Jacobi prædeceſſor, Ughellio ipſo teſte, a Marchionis Montisferrati militibus crudeliter cæſus obierit, non multo poſt fuiſſe illi ſuffectum Jacobum crediderim.

(a) Septemb. T. IV. pag. 141. Edit. Antverp.
(b) Ital. Sacr. T. IV. in Epiſc. Derton.

Nec tamen fieri id potuit ante anni inſequentis MCCLXXXV. Aprilem, quo Honorius IV. Pontificiam ſedem aſcendit.

VIII. Aliquanto plura de *PETRO SPELTA* Papienſi Epiſcopo erunt nobis dicenda. Hic Joanne Baptiſta Blancolinio teſte (*a*), Veronenſis Humiliatorum Domus S. Mariæ de Glarea Miniſter ſeu Prælatus anno MCCCXXXVIII. in Veronenſibus monumentis dicitur. Blancolinius idem Papienſem vocat; addit tamen a P. D. Innocentio ab Eccleſia Clerico Regul. Congreg. S. Paulli Veronenſem illum vocari. Enimvero hanc illi patriam fuiſſe, ait Ughellius (*b*). Contra Antonius Maria Spelta totus eſt in Papienſi Civitate Petro vindicanda (*c*); ac probat ſane ille, Petrum e Spelta gente fuiſſe, & Speltam gentem Papiæ vivere; ſed cum per alias etiam urbes diffuſam illam fateatur, non ſatis evincit Papienſem potius quam alienigenam Petrum fuiſſe. Sed quidquid hac de re ſentiendum ſit, cum Petrus Humiliatis ſuis Veronæ præeſſet, Bartholomæo Scaligero Veronenſi Epiſcopo V. Kal. Septemb. anno MCCCXXXVIII. impie cæſo, a Veronenſi Capitulo poſt quattuor dies ſuffectus eſt. Rei monumentum Ughellius protulit (*d*). Nondum hujus electionis fama ad Benedictum XII. Avenione degentem delata fuerat; ſed cum de Bartholomæi cæde nuncium accepiſſet, literis ad Aquilejenſem Patriarcham VIII. Kal. Octobr. datis, illi edixit, ut Veronenſem Clerum a novi Epiſcopi electione prohiberet, quam ſibi reſervatam voluit. Petrus cum, antequam de Pontificis voluntate cognoſceret, Veronenſis Epiſcopus renunciatus eſſet, Pontificem ipſum flectere, ſibique conciliare ſtuduit, ut electionem ſuam rectam haberet. At fruſtra: donec Benedicto XII. anno MCCCXLII. e vivis erepto, ſuffe-

(*a*) Notizia delle Chieſe di Verona Lib. III. ubi de S. Maria a Glarea pag. 35. & ſequ.

(*b*) Ital Sacr. T. I. in Epiſc. Papienſ.

(*c*) Vite de' Veſcovi di Pavia pag. 361.

(*d*) Ital. Sacr. T. V. in Epiſc. Veronenſ.

ſuffectoque illi Clemente VI., Petrus, quodcumque ſibi ad Veronenſem Eccleſiam jus eſſet, illo ſe abdicavit; atque anno inſequente ad Papienſem Sedem translatus eſt. De rebus in Papienſi Epiſcopatu geſtis hæc tantum Ughellius: *Præfuit uſque ad annum* 1357. *Altare majus reſtaurandum curavit in Cathedrali, ut legitur in memoria marmorea ibidem;* quod etiam P. Romualdus a S. Maria Auguſtinianus Excalceatus (*a*), & Spelta confirmant. Hic autem addit Petrum a Clemente VI. anno MCCCXLVIII. IV. Octobr. *Decimæ* ad ſacri belli apparatum indictæ *Collectorem* juſſum fuiſſe; magnamque fuiſſe ejuſdem in juris præſertim ſcientia famam.

IX. Alter ex Humiliatorum Ordine Papienſi Eccleſiæ Epiſcopus datus fuit *PETRUS CRASSUS* Neocaſtri ad Scriviam natus. Hic jam ab anno MCCCLXX. Genuæ in Humiliatorum ædibus ad S. Marthæ degebat, ut ex ejuſdem anni charta conſtabit ſuo loco edenda, in qua inter ceteros domus incolas recenſetur: *Frater Petrus de Craſſis de Caſtronovo*. Hunc vero Generalem Humiliatorum Magiſtrum fuiſſe, perperam Ughellius ſcribit (*b*), ut ex ea, quam contexuimus, Generalium Magiſtrorum ſerie, ſatis patet. Multo autem gravius erravit Julius Antonius Coſta Neocaſtrenſis Præpoſitus, cum ait Petrum Ciſtercienſium leges primo ſequutum, ac Genuenſis S. Andreæ Cœnobii Abbatem juſſum, ad Humiliatorum deinde Magiſterium evectum fuiſſe (*c*); ubi Petrum Craſſum pro Petro Botta, de quo Differt. IV. diximus, perperam illum nominaſſe, ſatis patet, quamvis Botta numquam Papienſi Eccleſiæ præfuerit. Anno MCCCCI., IV. Kal. Auguſti, Ughellio eodem teſte, Cremonenſis Epiſcopus juſſus Petrus, cum biennio illi Eccleſiæ præfuiſſet, anno MCCCCIII.

L l 2 V. Kal.

(*a*) Papia Sacra P. I. pag. 40.
(*b*) Ital. Sacr. T. IV in Epiſc. Cremon.
(*c*) Pregi ed Obblighi della Comp. del SS. Sacram. in Caſtelnuovo.

Digitized by Google

V. Kal. Octob. ad Papienſem translatus eſt. Hæc in Cremonenſium Epiſcoporum ſerie Ughellius; at ubi de Papienſibus agit, anno MCCCCII. V. Kal. Octob. fuiſſe illum Papienſi Eccleſiæ præfectum narrat, auctoritatem proferens *Libri Proviſ. Prælat.*; quod etiam Spelta confirmat. At vero P. Romualdus anno MCCCCI. id contigiſſe ait (*a*). In tanta Scriptorum diſſenſione, nulla aptior videtur definiendæ controverſiæ auctoritas, quam ſepulcralis lapidis inſcriptio ab Ughellio & a Spelta prolata; quam nos etiam inferius edemus. Porro obiiſſe ibi dicitur Petrus anno MCCCCXXVI. XXVIII. menſis Septemb., ſediſſe annis XXIV., menſibus VII. Itaque, ſiquidem lapis fideliter deſcriptus fuerit, anno MCCCCII. Petrum Papienſem Epiſcopum juſſum dicemus; non tamen V. Kal. Octob., tunc enim XXIV. tantum anni uſque ad XXVIII. Septemb. an. MCCCCXXVI. interceſſiſſent, ſed ſeptem ante menſes, nempe exeunte Februario. Potuit autem fortaſſe hoc tempore Papienſis Epiſcopus renunciari; ſeptem vero menſibus elapſis Eccleſiam eamdem adire.

X. De rebus in Papienſi Epiſcopatu a Petro geſtis hæc Ughellius: *Hic Corporis Chriſti proceſſionem inſtituit, inque Cathedrali ad Divinum majus obſequium organa voluit extare. Nobile S. Marthæ Sacellum erexit, Synodoque celebrata ſaluberrimas plures edidit conſtitutiones*. Clarius etiam, quod ad SS. Euchariſtiam ſolemni ſupplicatione delatam pertinet, P. Romualdus a S. Maria (*b*): *Hic omnium primus anno* 1404. *ſolemnem Ticini proceſſionem cum Sanctiſſima Euchariſtia fecit, cujus exemplo reliqui Occidentalium partium Epiſcopi idem in propriis Eccleſiis præſtare cœperunt;* cujus rei teſtem profert *Genebrardi Hiſtor. fol.* 188. At ſi Genebrardi Chronographiam intelligit, ut videtur, ego ſane in Pariſienſi illius editione an. MDLXXX. nihil hujuſmodi comperi. Ac potuit ſane Petrus

(*a*) Papia Sacr. P. I. pag. 54.
(*b*) Ibid.

Digitized by Google

trus primus omnium Papiæ id præſtare; ſed primum conſuetudinem hanc invexiſſe illum in Occidentales Eccleſias, nemo exiſtimabit, qui animadvertat, ſaltem a Joannis XXII. temporibus, integro fere ſcilicet ante Petrum ſæculo, cœpiſſe id uſurpari (*a*). Piſanæ Synodo anno MCCCCIX. Petrus interfuit, ut ex ejuſdem Actis cognoſcimus (*b*). Quin etiam dum Papienſi Eccleſiæ Petrus præeſſet, Generali Concilio habendo fuerat urbs illa delecta; jamque anno MCCCCXXIV. celebrari illud cœperat, ſed peſte exorta, Senas primum, tum Baſileam translatum eſt. Anno MCCCCXXI. Minoribus, ut ajunt, de Obſervantia ædem S. Jacobi extra Papienſes muros attribuit (*c*). Denique anno MCCCCXXVI. IV. Kal. Octobr. e vivis exceſſit; ejuſque tumulo Epigraphe hæc appoſita fuit: *Hic jacet Reverend. in Chriſto Pater & Dominus Dominus Petrus de Graſſis de Caſtronovo, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Papienſis & Comes; qui obiit anno Domini MCCCCXXVI. die XXVIII. Menſis Septembris; & ſedit annis XXIV. & menſibus VII.*

XI. Aſtenſis etiam Eccleſia Epiſcopum ſuum ex Humiliatis habuit *SCIPIONEM ROTARIUM*. Hunc jam ab anno MCDXCI. Aſtenſis S. Quirici domus Præpoſitum fuiſſe, ex Humiliatorum comitiis eodem anno celebratis noſcimus. Anno autem MDIX. a Julio II. Rom. Pontif. Brixienſis S. Mariæ Magdalenæ de Gambara domus illi eſt demandata; & habemus rei teſtes in Bibliotheca noſtra Scipionis ipſius literas hoc ipſo anno XVIII. Julii datas, quibus Procuratorem, ut ajunt, ſuum ad Præpoſituram illam ineundam atque adminiſtrandam delegit *R. P. Dominum Ludovicum de Landriano Præpoſitum S. Petri de Vicoboldono dicti Ordinis Mediol. Dioc., & ejuſdem Ordinis Humiliatorum Vicarium Generalem.*

Hic

(*a*) Vide Benedicti XIV Inſtitut. V.

(*b*) Vol. XV Concil. col. 1241. Edit Colet.

(*c*) Coſta loc. cit., & Wading. Ann. Min. T. X. pag. 53.

Digitized by Google

Hic itaque anno MDXXIX. die XVI. Julii Aſtenſis Epiſcopus renunciatus eſt, ita tamen ut S. Quirici Præpoſituram, quam ſimul cum Brixienſi ſervaſſe videtur, dum viveret, retineret, ut ex Clementis VII. literis conſtat hoc ipſo anno XVII. Kal. Aug. datis, quas ſuo loco edemus. Illius elogium ex Ughellio damus (a): *Scipio Rotarius Ordinis Humiliatorum Monachus, Prior* (dicendum erat *Præpoſitus*) *S. Mariæ Magdalenæ Brixienſis, ad hanc* (Aſtenſem) *ſedem ſubvectus eſt anno* 1529. *die* 16. *Julii. Qui ut S. Marci, ſeu nominis Jeſu ſanctimoniales eo perfectius arctiſſimam S. Claræ diſciplinam tenere poſſent, S. Marci Eccleſiam & redditus, quam Cruciferi deſeruerant, ipſeque tunc in commendam obtinebat, facultate a Clemente VII. impetrata, earumdem Sanctimonialium monaſterio perpetuo univit; de quo hæc addidit noſter Catalogus. An.* 1533. *dum die S. Jacobo Apoſtolo ſacro Sacerdos in altari S. Secundi ſacrum faceret, ubi ad fractionem ſacratiſſimæ hoſtiæ devenit, quo loco antea una pars alteri cohærebat, primo utramque madidam apparere, deinde ſanguinem ſtillaret, ita ut aliquæ in calicem ipſum, aliæ ſuper patenam guttæ deciderent; & digiti celebrantis eo imbuerentur: rei miraculo attonito circumſtante populo, ipſa cunctatione ac tremore, qui celebrantem corripuerat ad intuendum excitato; ipſo vero ſacerdote cum cæteris ad orationem converſo, redditus fuit ſacris ſpeciebus priſtinus color; nec ultra veſtigia ſanguinis in calice, aut patena, ſeu digitis apparuere. Quod miraculum, cum Sacerdotis ſatis nota pietas nullam ſuſpicionem admitteret ob illius culpam accidiſſe, pro ſigno datum pluribus Germanis, qui Lutheri hæreſi infecti militibus ac curialibus Cæſarianis Aſtæ tunc mixti agebant, acceptum. Hoc vero miraculo per Italiam vulgato Paullus III. indulgentiam conceſſit iis omnibus, qui die ſtatuenda ab epiſcopo contriti ac confeſſi ante ipſum altare ſacras preces effunderent. Sequenti anno die commemorationi ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ſacro, ubi fuit inchoanda proceſſio in Cathedrali, Carolus V., qui tum aderat,*

(a) Ital. Sacr. T. IV. in Epiſc. Aſtenſ.

Digitized by Google

aderat, *maxima cum pietatis ſignificatione digniorem Umbrellæ baculum deferendum ſuſcepit. Circa hoc tempus etiam Fratribus Minoribus Capuccinis ab Aſtenſibus locus attributus. In iis vero præcipuum obtinebat locum Frater Bernardinus ex Pallidorum* (Boverius ait (*a*) *Palliorum*) *Aſtenſi familia*, *qui primus fuit eorumdem Miniſter Generalis & vir virtutibus ac vitæ innocentia clariſſimus*. Quo in elogio illud animadvertendum eſt, errorem certe aliquem in annorum notis latere, ubi de prodigio eſt ſermo, quod Sacerdoti Sacrum facienti accidiſſe narratur. Hoc enim anno MDXXXIII. tribuitur; anno vero inſequente Carolus V. ſolemni ſupplicationi Aſtæ interfuiſſe dicitur, qua SS. Chriſti corpus egregia pompa deferebatur. At certe Carolus V. numquam illo anno Hiſpania exceſſit; nec ante annum MDXXXVI. Aſtæ fuit (*b*). Itaque ſi anno ante prodigium illud contigerat, anno MDXXXV. conſignari neceſſe eſt. Hæc etiam laus Scipioni debetur, quod Synodales Conſtitutiones ab Epiſcopis, qui illum præceſſerant, latas, edendas curaverit; quæ editio facta eſt *Aſtæ per Franciſcum Garionum de Liburno & Civem Aſtenſem ſub anno Domini* 1539. *die* 29. *Menſis Novembris*. Quo anno obierit Scipio, Ughellius non adnotat; ſed cum Bernardinum de Cruce anno MDXLVIII. die 27. April., ſucceſſorem illi datum fuiſſe narrat, ſatis indicat non multo antea Scipionem obiiſſe.

XII. Hos tantum, quod ſciam, Epiſcopos Humiliatorum cœtus in Italia numeravit; quibus duo extra Italiam addendi, eodem uterque & prænomine & nomine. Notus eſt apud Brixienſes Hiſtoricos, alioſque Scriptores, qui a Cl. Joanne Maria Comite Mazzuchellio commemorantur (*c*), *BARTHOLOMÆUS AVEROLDUS*, patria Brixienſis, Benedictinus Monachus, atque ultimus

(*a*) Annal. Capuccin. ad an. 1554.
(*b*) V. Murator. Ann. d'Ital. ad hunc an.
(*c*) Scrittori d'Ital. T. I. P. II. pag. 1243.

Digitized by Google

ultimus Leonenſis Cœnobii ejuſdem Ordinis Abbas; quod cum Petro Cardinali Fuſcaro conceſſiſſet, (quo ex tempore aliis deinceps Cardinalibus aut Prælatis commendari illud cœpit), ille Spalatenſis Archiepiſcopus juſſus eſt an. MCCCCLXXIX. Sed paullo poſt, anno ſcilicet MCCCCLXXX. Veronæ obiit. Hic porro antequam ad Benedictinos tranſiret Humiliatorum leges amplexus fuerat, illiuſque ut Humiliati nomen occurrit in pluribus Leonenſis Cœnobii monumentis a Cl. P. Franciſco Antonio Zaccaria Soc. Jeſu mox edendis, præſertim ab anno MCCCCXXXVII. ad an. MCCCCXLVIII. Qua ratione ab Humiliatis ad Benedictinos ille tranſierit, incertum. Hoc conſtat anno MCCCCLI. Leonenſem Abbatem renunciatum illum fuiſſe. Itaque quamvis ex Benedictini Ordinis Cœnobio ad Spalatenſem Archiepiſcopatum evectus fuerit, licere tamen nobis arbitramur, hunc etiam illis addere, qui ad ſacras Inſulas ex Humiliatorum cœtu delecti ſunt, cui ille antea ſe addixerat.

XIII. Certiore jure *BARTHOLOMÆUS AVEROLDUS* alter hoc loco eſt proferendus, ab Humiliatorum cœtu ad Epiſcopalem dignitatem elatus. Hunc Blancolinius commemorat, aitque anno MID. domus S. Mariæ de Glarea Præpoſitum illum fuiſſe (*a*); tum vero Calamonenſis & Rhetimenſis Epiſcopi dignitate ornatum, Marci Cardinalis Cornelii Veronenſis Epiſcopi Vicarium fuiſſe circa annum MDXVII. Enimvero inter Calamonenſes Epiſcopos (quæ fuit Cretenſis inſulæ urbs) Bartholomæum noſtrum enumerat P. Michael le Quien Ord. Prædic. in eruditiſſimo Opere inſcripto: *Oriens Chriſtianus*; cujus hic verba affero (*b*): *De Bartholomæo nihil aliud nobis compertum eſt, niſi ipſum fuiſſe Alberti prædeceſſorem in Sede Calamonenſi, & deceſſiſſe anno 1537. In Actis enim Conciſtorialibus Paulli III. habetur ſub die 29. Octobris hujus anni,*

(*a*) Notizia delle Chieſe di Verona Lib. III. ubi de Eccleſia S. Mariæ de Glarea.
(*b*) T. III. col. 911.

anni, *teſte Fontana in Theatr. Dom. pag.* 150., *tit.* 119. *Die* 29. *Octobris Pontifex inſtituit epiſcopum Eccleſiæ Calamonenſis vacantis per obitum Bartholomæi Averoldi*, *Fr. Albertum Ordinis Prædicatorum*, *cum retentione omnium*. Quod vero ad Eccleſiæ Rhetimenſis Epiſcopatum pertinet, quem illi Blancolinius tribuit, id ideo dici arbitror, quod Calamonenſes Epiſcopi Eccleſiam Cathedralem Rhetimi haberent, ibique habitare conſueverant, ut ex eodem le Quien conſtat (*a*). Obiit Bartholomæus, ut vidimus, anno MDXXXVII., illumque in æde S. Mariæ a Glarea apud Deiparæ ipſius Sacellum honorifica Epigraphe appoſita tumulatum fuiſſe Blancolinius narrat. Brixiæ tamen etiam poſitum fuiſſe Bartholomæo tumulum Fainus teſtatur, cujus placet hoc loco verba proferre, quod diſtinctius aliquid de illo referunt (*b*): *Bartholomæus Averoldus Juriſprudentia aliiſque virtutibus ornatiſſimus*, *illius optimi Alexandri Averoldi Prothonotarii Apoſtolici*, *Canonici Brixienſis*, *ac Polæ*, *& Parochialis S. Laurentii Præpoſiti germanus frater*, *Chalamonæ Epiſcopus enituit*. *Suum mortalitatis exilium clauſit an.* 1538. (dicendum videbatur 1537.) *ſedente Paullo III. & imperante Carolo V.*, *& in eadem S. Laurentii Eccleſia in Capella Averolda idem Laurentius*, *qui eam conſtruxerat & dotaverat*, *nobile ei dicavit depoſitum*.

XIV. Hos ſolum ex Humiliatorum Ordine Epiſcopos nobis licuit invenire. Si quis alios inſcienter a nobis prætermiſſos proferat, novum Humiliatis addi decus gaudebimus. Nos interea Humiliatis Epiſcopis, Generales Epiſcoporum Vicarios aliquot ex Humiliatis delectos innuemus; ac primo *GUILLELMUM DE CORBETTA*, quem inter Generales Humiliatorum Magiſtros protulimus, Aicardi Antimiani Mediolanenſis Archiepiſcopi Vicarium. Habemus enim in Bibliotheca hac noſtra Aicardi ipſius ad Guillelmum literas, die XXIV. Martii an. MCCCXXXV. Placentiæ

M m datas,

(*a*) Ibid. col. 923.
(*b*) Cœl. Brixian. Eccleſ. pag. 109.

datas, quibus illum a decimæ colligendæ onere, quod illi impoſuerat antea, liberat, quod .... *tum ex officio Vicariatus*, inquit, *per nos tibi commiſſo*, *tum ex aliis cauſis rationabilibus per te nobis expreſſis*, *nequeas* ... *te intromittere*. *FRANCISCUS DE GILIIS* etiam, Papienſis S. Ulderici domus Præpoſitus, cum doctrina in primis clareret, anno MCCCXCVIII. a Petro Mainerio Placentino Epiſcopo, Mediolani per id tempus degente, vices ſuas agere tum in Epiſcopali munere, tum in Gymnaſii Placentini, quam gerebat, Scribæ dignitate, teſte Campio (*a*), juſſus eſt; idemque Placentinæ S. Spiritus domus Præpoſitus, & Sacrorum Canonum profeſſor fuit. *VINCENTIUM* pariter Bononienſis Humiliatorum domus Præpoſitum Jacobi Palladini Florentini ab anno MCCCCI. ad an. MCCCCX. Archiepiſcopi Vicarium commemorat Ughellius (*b*), eumque *Canonum ſolemnem doctorem* vocat. His etiam addendus *JOHANNES*, ſeu *JOHANNOLUS DE HOMATIO*, idem ille forte, de quo Differt. IV. num. XXIX. ſermo fuit. Hic enim Franciſci de Marerio Brixienſis Epiſcopi circa annum MCCCCXXV. Vicarius fuit. Quem qua auctoritate fretus hoc loco proferam, brevi expono. Fainus in *Cœlo Brixianæ Eccleſiæ* Generalium Vicariorum tabulam edidit (*c*). Hujus porro libri exemplar in Braidenſi hac noſtra Bibliotheca habemus, multis hac illac additionibus & emendationibus MSS., neſcio cujus opera, interpolatum. Inter cetera in memorata Vicariorum tabula ad an. MCCCCXXV. (quo ſcilicet tempore Franciſcus de Marerio (*d*) Brixienſi Eccleſiæ præerat) hæc adduntur: *Fr. Johannolus dell' Homatio Præpoſitus Humiliatorum de Gambara Brixienſ.* Duos denique Novarienſium Epiſcoporum Vicarios commemorat in iis, quos de Novarienſibus Humi-

(*a*) Iſtor. Eccleſ. di Piacenza T. II. pag. 191.
(*b*) Ital. Sacr. Vol. III in Epiſc. Florent.
(*c*) Pag. 129. & ſequ.
(*d*) V. Gradonici Brix. Sacr. pag. 331.

Digitized by Google

Humiliatis ad me ſubmiſit, MSS. Commentariis ſequente Diſſertatione laudandis, doctiſſimus Gaudentianæ Baſilicæ Canonicus Jo. Baptiſta Bartolus; alterum, cujus ætatem non indicat, *ÆGIDIUM NIBBIAM*, alterum, quem Joannis Vicecomitis Novarienſis primum Epiſcopi, tum Archiepiſcopi Mediolanenſis, Vicarium dicit *GUILLELMUM DE VICOBOLDONO*. Vicariorum agmen claudat non Epiſcopi alicujus, ſed Apoſtolicus Vicarius *DODUS DE MORANO*, Mutinenſis Domus S. Lucæ Præpoſitus, cujus & Vedrianus (*a*), & Auctor ſeriei Genealogicæ Moranæ gentis (*b*) cum laude meminerunt; vivebat ille an. MCCCCXXXVI. ut ex illius anni Comitiis colligimus; cumque deinde Mutinæ obiiſſet, hæc illius tumulo Epigraphe appoſita eſt, quam alter e memoratis auctoribus profert (*c*). *Rev. D. Fri. Dod. Ordinis Humiliatorum Vicario Apoſtolico Juris Canonici Doct. Spectato Viro, Joanni Morano ejus Fratri & ejus Heredibus D. Fr. Franciſcus Maria Pppoſitus Sancti Luce Pientiſ. Ut Religioſum Decet Poſ. MDIII.*

XV. Sed quemadmodum non ſacris tantum, ſed civilibus etiam muneribus exercebantur Humiliati, ita non ſacras tantum, ſed civiles etiam dignitates iis collatas videmus. Etenim, præter ea, quæ ſuperiore Diſſertatione commemoravimus, vidimus Hieronymum de Landriano Generalem Humiliatorum Magiſtrum unum ex quattuor Mediolanenſis Provinciæ adminiſtris, Ludovico Sfortia abſente, fuiſſe. Alius porro eodem tempore atque ex eadem gente fuit *LUDOVICUS DE LANDRIANO* Vicoboldonenſis Præpoſitus, cujus paullo ante incidit mentio, muneribus geſtis inſignis. Antonii de Landriano filius Ludovicus fuit, de quo multa videre eſt apud Fagnanum in Genealogico Opere MS., cujus partem illam, quæ ad Landrianam gentem pertinet, nobiſcum

(*a*) Storia de' Dottori Modaneſi pag. 83.

(*b*) Pag. 33.

(*c*) Pag. 83.

communicavit alias mihi laudatus D. Joſeph de Landriano. Antonius enim Galeatio Mariæ Sfortiæ Mediolanenſi Duci acceptus in primis, publico ærario Præfectus fuit; cujus rei teſtes Galeatii Mariæ ipſius literas Papiæ datas XIX. Martii MCCCCLXXIV. Fagnanus recitat. Poſt Galeatii Mariæ cædem an. MCCCCLXXVI. peractam, Antonius Ludovico, cognomento Mauro, Joannis Galeatii, qui Galeatio Mariæ patri ſucceſſerat, patruo conſtantiſſime adhæſit; atque auctor in primis fuit, ut, poſtquam an. MCCCCXCIV. Joannes Galeatius idem e vivis ſublatus eſt, Franciſco ejus filio rejecto, Ludovicus Mediolanenſis Dux renunciaretur. Hunc vero Antonius in funeſtis ipſis, quas paſſus eſt, fortunæ vicibus, ſtrenue ſequutus, numquam illi re conſilioque adeſſe deſtitit; donec anno MID. Gallis in Italiam contra Ludovicum irrumpentibus, cum Mediolanenſes ipſi alii Gallis, Sfortiæ alii faverent, qui hunc oderant, fidiſſimum pariter Sfortiæ aſſeclam Antonium exoſi, dum hic ad arcem equitaret, impetu in illum facto, tribus vulneribus fauciarunt; minime illis quidem lethalibus; ſed tamen concreto ob metum ſanguine poſt tres dies ille deceſſit, atque in Glaxiatenſi templo compoſitus fuit. Hæc tum ex Fagnano ipſo, tum ex Corio, ceteriſque Mediolanenſibus Hiſtoricis deprompſimus. Duo huic filii fuerunt, Auguſtinus, & Ludovicus noſter. Hic jam ab anno MCCCCXCI. Vicoboldonenſi domui præerat, ut ex illius anni Comitiis cognoſcimus; & deinde Generalis etiam Humiliatorum Vicarius fuit, ut ex iis conſtat, quæ de Scipione Rotario ſuperius diximus. At dum Antonius Ludovici pater adverſis fortunæ caſibus jactaretur, multa etiam in Ludovicum incommoda derivata ſunt. Nam & captivus a Gallis abductus eſt quondam, & mox magna pecuniæ vi ſoluta dimiſſus, exulare coactus eſt. Itaque cum Maximilianus Sfortia Ludovici filius Mediolanenſis provinciæ imperium recepiſſet, gratum ille ſe erga Ludovicum Landrianum præbuit, illique inter cetera, quamquam Humiliato, ærarii præfecturam conceſſit; tum etiam literis

literis ſuis die XXIX. Decemb. an. MDXIV. datis, quibus hæc omnia narrat, quaſque in Monumentorum collectione proferemus, *annuum redditum librarum duarum millium Imperialium ſuper datio Draperiæ Civitatis Cremonæ* Ludovico attribuit. Habemus itaque ex Humiliatorum cœtu Ducalis Ærarii præfectum; ſed ea ſcilicet erant illorum tempora, quibus Religioſæ vitæ legibus plerumque rejectis Laicorum potius, quam Clauſtralium vivendi rationem moreſque omnes, Humiliati ſequebantur.

XVI. Locus hic eſſet, ut de *JACOBO BUSSOLARIO* diſſereremus, qui anno MCCCLVI. a Joanne Montisferrati Marchione Papienſi urbi præfectus, ita ingenii dexteritate, orationiſque eloquentia civium animos occupavit, ut illos, quocumque liberet, ultro flecteret; effecitque, ut Galeatio Vicecomiti obſidione urbem prementi diu reſiſterent; donec anno MCCCLIX., Papienſes annonæ inopia victi ad Galeatium confugere coacti ſunt, qui Buſſolarium comprehenſum Vercellas perpetuo carcere puniendum amandavit. Locus hic, inquam, eſſet, ut de celeberrimo hujuſmodi homine diſſereremus, quem ſemel Corius primi Humiliatorum Ordinis appellat (*a*). Sed Corium hic lapſum eſſe ex eo patet, quod idem paullo antea Buſſolarium Auguſtinianum appellarat (*b*); quodque illum revera ex Eremitarum Auguſtinianorum cœtu fuiſſe & Matthæus Villanus (*c*), & Petrus Azarius (*d*), & Baptiſta Fulgoſius (*e*), aliique referunt. Itaque hæc de illo innuiſſe ſufficiat, ne quis nos forte reprehendat, quod virum per ea tempora inſignem inter illuſtres Humiliatos non recenſuerimus.

DIS-

(*a*) Iſtor. di Milan. P. III. pag. 233. Ediz. Venez. 1554.

(*b*) Ibid. pag. 231.

(*c*) Iſtor. Lib. VI Cap. XXXV.

(*d*) Chronic. Edit. Vol. XVI. Script. Rer. Ital. col. 374. & ſeqq.

(*e*) De Religionis cultu Lib. I.

Digitized by Google

DISSERTATIONIS VI. PARS III.

DE HUMILIATIS LITERARUM STUDIO ILLUSTRIBUS.

I. NUmquam id Humiliatis propoſitum fuiſſe, ut literarum ſtudio præ ceteris florerent, facile is intelliget, qui, quam illi amplexi eſſent vitæ rationem, animadvertat. Cum enim ex manuum labore plerumque viverent, & Sacerdotes ipſi & lanæ pannorumque opificio per artifices exercendo, & publicis ſæpe gerendis muneribus diſtinerentur, parum illis profecto ad literarum ſtudia excolenda ſupererat otii. Nihilominus de his etiam fovendis fuiſſe Humiliatos ſollicitos ex eorum Conſtitutionibus ac monumentis colligimus, ubi docentium interdum ſtudentiumque mentio occurrit. Quin immo is erat apud nonnullos ſtudiorum fervor, ut cum Doctores domeſticos non multos forte, aut non ſatis idoneos haberent, ad externa etiam gymnaſia profecti ab Humiliatorum domibus abeſſent. Itaque in generali eorumdem Conventu Modoetiæ celebrato an. MCCCXXI. edictum eſt, ut *nullus Frater .... ad ſtudendum extra domos Ordinis ad quævis ſtudia literarum vadat, abſque licentia Domini Magiſtri & Definitorum Capituli Generalis, & etiam Præpoſiti & Prælati ſui, majoriſque partis Conventus; & fratres omnes, qui ſunt in ſtudio extra Ordinem, hinc ad Kalendas Aprilis debeant remeare ad domos proprias.* Anno vero MCCCXLII. In Braidenſibus Comitiis lex lata eſt, *quod citra feſtum S. Lucæ proxime venientis Dominus Magiſter teneatur ordinare & exequi cum effectu, quod duodecim fratres juvenes apti & habiles ad ſtudium mittantur Bononiam ad ſtudendum in Grammaticalibus & Logicalibus ad communes expenſas totius Communitatis Ordinis &c.*

II. Nec ſolum ad celeberrima Italiæ gymnaſia, ſed in Galliam

Digitized by Google

liam etiam miſſos interdum Humiliatos ſtudiorum cauſſa fuiſſe video. Habemus rei teſtes in Bibliotheca hac noſtra Tiberii Parmenſis Generalis Humiliatorum Magiſtri literas, ſed magna ex parte laceras, quarum fragmenta aliquot hic ſubdo, quod & ad piiſſimi viri memoriam excitandam, quem Beati nomine ornatum vidimus, & ad rem, de qua agimus, illuſtrandam non parum conducant. Inſcriptio eſt hujuſmodi: *Fratribus Maffiolo & Chriſtophoro profeſſis domus noſtre de brayda commorantibus in civitate Pariſius* (ita ſæpe in medii ævi monumentis pro *Pariſiis*) *F. Tiberius XII. generalis magiſter*. Literæ autem ſic habent: *Tiberius Dei & apoſtolice ſedis gratia Ordinis humiliatorum generalis Magiſter. Cariſſimi filii; quod ſemper libenter vidimus in Ordine perſonas intelligentes & ſcientificas, idcirco poſtquam diſponente domino ſumus ſuper ipſius univerſale regimen conſtituti, nunc maxime quod proprio gerebamus affectu, nunc geſtimus deducere in effectum. Et quamvis ſtudium veſtrum Pariſius ſatis laudabile poſſit eſſe, tamen cognoſcentes illud non eſſe durabile, ex eo quod, ſecundum quod veſtre litere continebant, vos ſumme egetis, & eſtis debitis pregravati, tum propter penuriam, quam dicitis ibi eſſe, tum quod vo... domo veſtra tenue ſubſidium miniſtratur .... hiis omnibus ſimul ... conſiderationibus habitis ac debita meditatione penſatis deliberavimus ex ... adminiſtrationis principio unum generale ac.... ſtudium creare in domibus ordinis, ubi quicumque voluerint, & ſint apti, poſſint ſub regulari obſervantia proficere in qualibet facultate. Eapropter veſtre penurie compatientes, veſtroque deſiderio literarum ſtudio .... condeſcendentes animo tam benivolo, quam diſcreto vos eidem ſtudio extemplo* (*ita*) *fiendo per ordinem pro ſtudentibus deputamus ..... Dat. Mediolani die II.... menſis auguſti MCCCquinq........ Indictione VIIII.* (anno ſcilicet MCCCLVI., in quem nona Indictio cadebat).

III. At cum religioſæ diſciplinæ ſtudium apud Humiliatos languere cœpit, literarum etiam amor imminutus eſt. Itaque Pius II. cum anno MCDLIX. multa ad Humiliatorum diſciplinam

nam revocandam ſtatueret, hoc inter cetera edixit: *Et ne ordo virtuoſis viris claris virtutibus deſtituatur, ſed in illo pullulent continuo ſtudioſi, volumus atque ſtatuimus, ut Generalis ipſe duo Collegia, unum videlicet Papiæ, in quo ad minus octo, reliquum vero Paduæ, in quo ad minus quattuor ejuſdem Ordinis profeſſi fratres in Jure Canonico aut in artibus & in S. Theologia ſtudendo reſideant, conſiderata earumdem domorum facultate, infra unius anni terminum conſtruere & ordinare teneatur*. Enimvero per hæc præſertim tempora plures inter Humiliatos occurrunt, qui Decretorum doctores appellantur; ut hoc inprimis ſtudium apud illos floruiſſe videatur. Nonnulla etiam ad ſtudia inter Humiliatos revocanda, ſed irrito ſucceſſu, a S. Carolo decreta fuiſſe poſtrema Diſſertatione videbimus.

IV. Hæc generatim de Humiliatorum ſtudiis præfati, eorumdem Scriptorum Bibliothecam texere aggredimur, tenuem illam quidem, nec auctorum numero, aut etiam fama ſpectandam, ſed ex qua tamen non mediocris Humiliatis gloria conciliatur, quod, cum eo potiſſimum tempore floruerint, quo nondum erat typorum uſus invectus, cumque externa illi potius munera, quam literarum ſtudia ſectarentur, nonnullos tamen habuerint in multiplici ſcientia Scriptores. Præterquam quod ſi Humiliati ipſi recentiores de veterum memoria monumentiſque ſervandis ſolliciti fuiſſent, Scriptores multo plures fortaſſe extitiſſe inter illos animadverteremus, quam qui a nobis proferri poſſint; quibus tenuis hic Humiliatorum Scriptorum numerus fuit hinc inde non ſine aliquo labore colligendus. Sed jam Bibliothecam ipſam exordiamur, in qua alphabeticum, ut ajunt, nominum ordinem ſervabimus.

V. *ALCIATUS BENEDICTUS*. Hunc Argelatus (a) a ſe primo detectum, atque Alciatæ nobiliſſimæ familiæ Scriptorem additum

(a) Biblioth. Script. Mediol. T. I., P. II. col. 27.

ditum gloriatur. Sed vereor, ut & Benedictus ad illam pertinuiſſe non ſatis conſtet, & ex Humiliatorum Scriptorum numero ſit excludendus. Cum enim ille in Humiliatorum monumentis *de Alzate* appelletur, qui vicus eſt agri Mediolanenſis, cumque veteres Humiliatos ex patriæ ſæpe nomine appellatos videamus, ſtatuere certo non poſſumus, ex patria ne, an ex cognomine familia, quæ a vico Alzate nomen duxit, ac deinde Alciata appellata eſt; nomen ille habuerit. Ideo vero Benedictum inter Humiliatos Scriptores Argelatus recenſuit, quod exſtent in Ambroſiana Bibliotheca (*a*) *Conſtitutiones ab eo conditæ & promulgatæ in domo de Galgari, dum eſſet Præpoſitus Generalis, anno MCCCXXXII.* Quæ ſi vere dicerentur, Scriptoris nomen quoquomodo ille mereretur. At illas Conſtitutiones Benedictus profecto non *condidit*, ſed in Comitiis Generalibus latas literis ſuis præmiſſis confirmavit. Qua de cauſſa ſi Scriptor ille eſt appellandus, profecto Scriptorum numerus in immenſum ſuccreſcet. Poſt Argelatum Benedicto inter Scriptores Italos locum dedit eruditiſſimus Joannes Maria Comes Mazzuchellius (*b*). Ceterum de Benedicto ſermo jam fuit Diſſertat. IV. de Generalibus Humiliatorum Magiſtris num. XV.

VI. *DE ALLIIS STEPHANUS Cremonenſis divina atque humana præcellens Litteratura* dicitur ab Ariſio (*c*); qui illum circa annum MCCCCLXXXV. floruiſſe ait, duoſque tractatus ſcripſiſſe, alterum *de Hoſpitalitate*, alterum *de Horis Canonicis*, qui editi nec ne fuerint, ſilet. Stephani mentionem pariter faciunt P. Bartholomæus a S. Claudia (*d*), & mox laudatus Comes Mazzuchellius (*e*).

(*a*) Cod. MS. in fol. ſign. C. 74.
(*b*) Scritt. Ital. T. I. P. I. pag. 557.
(*c*) Cremon. Literat. T. I. pag. 340.
(*d*) Luſtri Storiali pag. 537.
(*e*) Scritt. Ital. T. I. P. I. pag. 187.

VII. *DE ARSAGO* ſeu *ARZAGO STEPHANUS*. Quæcumque ad hunc pertinent, Diſſertatione IV. num. XXXI. protulimus, cum Generales Humiliatorum Magiſtros recenſeremus. Verum hic etiam jurene ab Argelato (*a*) Scriptoris nomine inſignitur? Eodem ſcilicet jure, quo Benedictus de Alzate; nempe ob Conſtitutiones anno MCCCCXXXVIII., ait Argelatus, Vicoboldoni editas, quæ in eodem Bibliothecæ Ambroſianæ Codice ſervantur. Sed nec ullæ ibi exſtant leges anno MCCCCXXXVIII. Vicoboldoni editæ, Stephano Humiliatorum Magiſtro, & quæ exſtant, annis ſcilicet MCCCCXXXV. in Senenſi, & anno MCCCCXXXVI. in Mantuano Conventu latæ, Stephanum æque ac reliquos, qui Comitiis intererant, Humiliatos auctores habent. Itaque hic etiam ex Humiliatorum Scriptorum numero excludendus videtur. Illius pariter in Mazzuchelliano opere mentio occurrit (*b*).

VIII. *AVEROLDUS BARTHOLOMÆUS*. Hunc paullo antea inter Humiliatos dignitatibus illuſtres recenſuimus; ab Humiliatis enim ad Benedictinos digreſſus, Spalatenſis deinde Archiepiſcopus renunciatus eſt. Vertunnorum Academiam Brixiæ ille coegit; graviſſimaſque in SS. Biblia annotationes conſcribere, Octavio de Rubeis teſte (*c*), inceperat; quin etiam Decretorum Codicem emendatum ab illo fuiſſe ait Cozzandus (*d*). Quapropter illi inter Italos Scriptores locum dedit Cl. Comes Mazzucchellius (*e*).

IX. *DE AUGUSTIS CAMILLUS*. Hunc commemorat Ariſius (*f*); illumque ad an. MDXXVI. inter Cremonenſes Scriptores

(*a*) Biblioth. Script. Mediol. T. I. P. II. col. 106.
(*b*) Scritt. Ital. T. I. P. II. pag. 1139.
(*c*) Elog. di Breſc. illuſtr. pag. 192.
(*d*) Libr. Breſc. P. I pag. 48.
(*e*) Scritt. d'Ital. T. I. P. II. pag 1248.
(*f*) Cremon. Litter. T. II. pag. 77.

ptores recenſet his verbis: *Camillus de Auguſtis ex Ordine Humiliatorum Sacerdos hiſtoricis ſtudiis totus addictus ſcripſit Annales ſui Ordinis, in quibus de Viris illuſtribus memoriam agit. Ad manus Hieronymi Mannæ Cremonenſis Canonici id opus perveniſſe teſtatur anno* 1622. *Joſeph Breſcianus* (*a*). Equidem vix hæc apud Ariſium legi, maximo horum Annalium deſiderio incenſus ſum. Sed inquiſitio omnis irrita cecidit. Breſcianus certe illos inſpexit; ſæpe enim illorum auctoritate, Ariſio teſte, utitur; at numquam profecto editi illi ſunt. Memoratur etiam Camillus a P. Joan. Bartholomæo a S. Claudia (*b*), qui & ipſe dolet numquam Annales hos potuiſſe a ſe reperiri, & a Com. Mazzuchellio (*c*).

X. *BEBULCUS PACIFICUS*. Hujus elogium ex Argelato (*d*) proferimus, cui nihil addendum ſuppetit: *Pacificus Bebulcus ſatis clara Familia Mediolani ortus in Ordinem Humiliatorum cooptatus, jam labentis Congregationis ſuæ apud Apoſtolicam Sedem Procuratoris Generalis munus aliquot annos geſſit. Hujus viri ingenium ad Muſas præſertim proclive eo mirabilius eluxit, quo cæteri ejuſdem Ordinis alumni ab antiquo majorum ſuorum ſplendore deficientes pejora ſectabantur. Pii IV. Pontificis Maximi... temporibus floruit, ad quem ſequens Poema conſcripſit, ex quo tamquam ex ungue Leonem illius ingenium agnoſcere licet. Nec dubium quin plura conſcripſerit, quæ tamen omnia cum Ordine ipſo interiiſſe dolemus:* Ad Pium IV. Pontificem Maximum Poema Latinum ſatis elegans, atque prolixum Pacifici Bebulci totius Claſſis Humiliatorum Procuratoris Generalis. *MS. in fol. Exſtat in Biblioth. FF. Marchionum Vicecomitum.* Hæc Argelatus. Illius nomen inter Italos Scriptores recenſuit Comes Mazzuchellius (*e*).

(*a*) *In opere MS. inſcripto*: la Virtù Ravvivata.

(*b*) Luſtri Storiali pag. 517.

(*c*) Scritt. Ital. T. I. P. I. pag. 206.

(*d*) Biblioth. Script. Mediol. T. I. P. II. col. 132.

(*e*) Scritt. Ital. T. II. P. II. pag. 909.

XI. *BOSSIUS MARCUS*. Hic patria Mediolanenſis, Florentiæ omnium Sanctorum Domus Præpoſitus fuit, quo nomine Parmenſibus Comitiis anno MCCCCXCI. interfuit. Breve Humiliatorum Chronicon anno MCCCCXCIII. conſcripſit, quo Humiliatorum initia viceſque uſque ad annum MCCX. explicuit; qua in re maxima ſe diligentia uſum fatetur, Hiſtoriarum Chronicorumque Scriptoribus plurimis accurate perlectis. Hieronymo Landriano Generali Humiliatorum Magiſtro Chronicon ſuum Marcus inſcripſit, cui ſe addictiſſimum teſtatur. Bis in Boſſii elogio erravit Argelatus (*a*). Ac primo Boſſium ait, illi Humiliatorum Ordini nomen dediſſe, *quem tertium Ordinem nuncupabant*. Præter enim quam quod vix ullum amplius Boſſii ætate erat inter Humiliatos diſcrimen, ſi quod fuiſſet, profecto ad primum non ad tertium Ordinem pertinuiſſet Boſſius, qui & Sacerdos, & Florentinæ Domus Præpoſitus fuit. Tum de Boſſii Chronico loquens ſic illud deſcribit: *Codex MS. in fol. pluribus picturis exornatus, habitum, atque geſta prædictorum Fratrum demonſtrantibus, ſervatur in Bibliotheca Comitis Cæſaris Montii Equitis inter Mediolanenſes ſpectatiſſimi*. Codicem ego hunc non vidi, quin immo nullum hujuſmodi in memorata Bibliotheca ſervari intellexi. Sed quas Argelatus commemorat picturas, illæ profecto non Boſſiano, ſed antiquiori Chronico anno MCCCCXXI. conſcripto additæ ſunt, ut in Præfatione monuimus. At Boſſiani Chronici triplicem ego Codicem MS. vidi, alterum in Franciſci Comitis de Abdua Bibliotheca, alterum in Braidenſi hac noſtra; tertium in Ambroſiana (*b*), ubi etiam Italica, Puricellio auctore, ejuſdem interpretatio exſtat (*c*). At nullus eſt, qui picturam ullam præſeferat. Boſſium commemorat ſæpe P. Jo. Bartholo-

(*a*) Biblioth. Script. Mediol. T. I. P. II. col. 218.

(*b*) Cod. MS ſign. I. 118. in fol.

(*c*) Cod. MS. ſign. C. 74. in fol.

tholomæus a S. Claudia *(a)*, P. Jo. Paullus Mazzuchellius Congr. Somaſchæ in ſuis ſchedis, Argelato teſte, P. Helyottus *(b)*, qui tamen Boſtum illum per errorem vocat, aliique, qui de Humiliatis egerunt; ac nuper memoratus Comes Mazzuchellius *(c)*.

XII. *DE BRERA JOANNES*. De hoc Scriptore, quem primi deteximus, & Chronici anno MCCCCXIX. conſcripti auctorem oſtendimus, ſermo fuit in Præfatione, ubi quæcumque ad illum pertinent, digeſſimus.

XIII. *CAPRIANUS JOANNES PETRUS*. Floruit hic poſtremis Humiliatorum temporibus, ſuique cœtus infelicem exitum vidit. Brixienſem patria illum fuiſſe, ex opuſculi mox memorandi fronte colligimus. Jam ab anno MDLXV. Piſanæ S. Torpetis domui ille præerat. Anno autem MDLXVII. opuſculum Caprianus edidit, cujus unicum hactenus exemplar vidimus apud Nobiliſſimum virum nobiſque alias laudatum Carolum Abbatem Trivultium. Illud porro ſic inſcribitur: *De origine Eccleſiæ ejuſque præcellentia & authoritate ad Ampliſſimum & Illuſtriſs. Cardinalem D. Carolum Borromeum Piiſſimum Antiſtitem Eccleſiæ Mediolanenſis, ac Ordinis Humiliatorum Protectorem, Jo. Petri Capriani Humiliati Brixienſis Opuſculum, præſentium etiam temporum fluctibus non admodum inconveniens. Brixiæ. Ap. Vincentium Sabienſem.* 1567. *in* 12. *pagg.* 22. Breviter porro nec ineleganter Eccleſiæ originem præſertim in vetere Teſtamento adumbratam oſtendit; ac pauca deinde de Eccleſiæ auctoritate, de ejuſdem legibus, aliaque hujuſmodi addit. Suſpicor tamen aliud aliquid, hoc opuſculo edito, ac Card. Borromeo inſcripto, Caprianum ſpectaſſe, quam ut de Eccleſia diſſereret. Per illa ſcilicet tempora Humiliatos ad arctiorem diſciplinam revocare S. Carolus nitebatur; quod ex Præpoſitis

(a) Luſtri Storiali pag. 521. &c.
(b) Hiſt. des Ordr. Relig. T. VI. Cap. XIX.
(c) Scritt. Ital. T. II. P. III. pag. 1862.

ſitis præſertim multi ægre ferebant, qui opes luxumque ſuum hinc imminutum iri cognoſcerent. Huc autem ſpectaſſe Caprianus videtur; nam ubi de Eccleſiæ auctoritate in ferendis legibus agit, id graviſſimis verbis inculcat, lenitate ſumma in vitiis evellendis utendum eſſe; ſæpe enim fieri, ut dum morbo validior, quam oporteat, medicina adhibetur, deterior fiat ægroti conditio; quod ipſum fuſe proſequitur, ut omnino videatur ille optaſſe, ut hæc Card. Borromeus perlegeret, mitemque ſe in Humiliatorum vitiis emendandis præberet. Ceterum Caprianus Italicam etiam Poeſim excoluit, artemque Poeticam edidit inſcriptam; *Della vera Poetica. In Vinegia: appreſſo Bolognino Zaltieri.* 1555. *in* 4., ad cujus calcem Italica aliquot ejuſdem carmina exſtant. Capriani hoc Opuſculum memoratur a Cl. Quadrio (*a*), & in Appendice ad Catal. Bibliothecæ Card. Imperialis. Anno MDLXVII. ad Papienſem omnium SS. Præpoſituram translatus eſt. Extinctis autem Humiliatis, ut diximus, ille ſuperfuit; & chartam videre me memini, quamvis quo tempore aut loco non ſatis recordor, ex qua conſtabat Cremonæ illum deinceps in S. Abundii ædibus vixiſſe.

XIV. *CRIBELLUS PHILIPPUS*. Egregii hujus Humiliatorum Magiſtri res geſtas Diſſert. IV. num. XXXII. &c. commemoravimus. Unum hic ſupereſt inquirendum, jure ne illum Mediolanenſibus & Humiliatis Scriptoribus addiderit Argelatus (*b*); opus enim illi ſic inſcriptum tribuit: *Chronica Ordinis FF. Humiliatorum compilata per F. Philippum de Crivellis ejuſdem Ordinis Generalem Magiſtrum. MS. in fol. juſtæ molis ſign. D. num.* 54. *literis rubro-nigris optime ſcriptus & forte autographus. Exſtat in Biblioth. Metropol. Capitul. Mediol.* Quam impatienter hujus Codicis lectionem exoptarem, facile unuſquiſque intelligat. Itaque cum ab huma-

(*a*) Storia e Rag. d'ogni Poeſia T. I. pag. 254. & T. VII. pag. 143.

(*b*) Biblioth. Script. Mediol. T. I. P. II. col. 514.

humaniſſimo mihique alias laudato Bibliothecæ ejuſdem Præfecto, & Ordinario, ut ajunt, Metropolitani Capituli Canonico Joachimo Comite Gambarana impetraſſem, ut Codicem eumdem conſulere mihi liceret, extemplo me ab Argelato deceptum comperi. Neque enim Chronicon ullum eo Codice, ſed Pontificiæ literæ, quæ ad Humiliatos pertinent, continentur; atque ille ſcilicet eſt, quem in Præfatione commemoravimus. Atque hanc quidem collectionem curaſſe Cribellus videtur; nam illius interdum nomen occurrit; ut ad calcem literarum Nicolai IV. de Humiliatorum immunitate: *Fr. Philippus de Crivellis generalis Magiſter Ordinis Humiliatorum fecit autenticare ſupraſcriptum privilegium publico Inſtrumento rogato per Joannem Antonium de Giochis die* 27. *Jan. an.* 1462. Sed aliud ſane eſt Pontificias literas colligendas curare, aliud Chronicon ſcribere. Porro hiſtoricum aliquid ante eaſdem literas legitur. Sed quale illud tandem? Primo Philippi Bergomenſis Auguſtiniani ſententia de Humiliatorum origine ex ejus Chronicis excerpta profertur; tum breves aliquot quæſtiones de Humiliatorum origine rebuſque adduntur; atque inter has lepidiſſimum illud commentum de S. Bernardo Mediolani degente, dum Friderici armis urbs premeretur, quod Differtat. II. retulimus. Sed nec illa Chronici nomine appellari ullo modo poſſunt, nec ratione indiciove ullo Cribellus rudis illius narrationis auctor fuiſſe evincitur; neque enim illius nomen uſquam eo loco memoratur. Itaque, ubinam Cribelli hocce Chronicon viderit Argelatus, ignoro; certe nec in memorata Metropol. Capituli, nec in Ambroſiana Bibliotheca Codex ullus invenitur Chronicon hujuſmodi continens. Quare hic quoque ex Humiliatorum Scriptorum numero excludendus videtur.

XV. *FABA GUILLELMUS*. Plura de hoc Humiliatorum Magiſtro, qui etiam Guillelmus Villa appellatur, Diſſertat. IV. num. XVI. &c. protulimus. Illum vero inter Humiliatos Scriptores recenſemus ob conſcriptum in S. Benedicti leges Commentarium,
cujus

cujus tamen unica occurrit in Braidenſi Chronico mentio his verbis Cap. XIX. *Frater Gulielmus Faba, qui deceſſit anno 1365. recitat in quodam ſuo opere facto ſuper Regulam D. Benedicti in principio lecturæ, quod Humiliati habent &c.*

XVI. *LANDRIANUS HIERONYMUS*. Hujus etiam Generalis Humiliatorum Magiſtri res geſtas Differt. IV. num. XXXVI. &c. enarravimus. Hunc autem Cl. Quadrius bonum Poetam vocat (*a*); aitque a Puricellio id affirmari in Hiſtoria Humiliatorum, quæ in Bibliotheca Ambroſiana ſervatur, ubi etiam, inquit, Landriani Carminum ſpecimen exhibetur. At quam Quadrius commemorat Humiliatorum hiſtoriam a Puricellio conſcriptam nuſquam exſtare, in Præfatione oſtendimus. Mihi autem Bibliothecæ Ambroſianæ Codices, in quibus Puricellii ſchedæ ad Humiliatos pertinentes ſervantur, diligenter evolventi, nulla umquam occurrerunt Hieronymi Landriani carmina. Itaque ſuſpicor, Quadrium Marii Picii carmina, in quibus de Landriano agit, pro Landriani ipſius carminibus accepiſſe.

XVII. *LANDRIANUS VICTORIUS*. Plures jam protulimus ex nobiliſſima Landrianorum gente Humiliatos. Alium hunc Hieronymi Borſierii auctoritate innixi proferimus. Hic enim de S. Joanne a Meda, deque Humiliatis loquens (*b*), teſtimonium affert Victorii Landriani: *Fra Vittorio Landriano nell' Albero degli Umiliati alla terza eſpoſizione*. Quid hocce operis ſit, non ſatis Borſierius explicat. Sed quodcumque illud fuerit, mihi diligentiſſime inquirenti, invenire non licuit.

XVIII. *LURASCUS GEORGIUS*. Hunc Argelatus Humiliatorum Chronici auctorem facit (*c*); aitque ex P. Mazzuchellii ſchedis colligi, Vicoboldonenſis Domus Præpoſitum fuiſſe illum anno MCCCCXIX.

(*a*) Storia e Rag. d'ogni Poeſia T. II pag. 240. e T. VII. pag. 74.

(*b*) Supplem. della Nob. di Mil. Cap. IV.

(*c*) Biblioth. Script. Mediol. T. II. P. I. col. 817.

MCCCCXIX. Tum paullo poſt, non ſatis ſibi conſtans, ait Chronicon quidem ab Anonymo inceptum fuiſſe, ac deinde a Luraſco *continuatum, pluribuſque notis atque interpolationibus undique aſperſum; vivebat enim*, ait, *Luraſcus anno vigeſimo quarto ſupra milleſimum & quadringenteſimum, ut a nobis obſervatum eſt in pluribus Catalogis Præpoſitorum Ordinis Humiliatorum*. Quos viderit Catalogos Argelatus, aut quid in P. Mazzuchellii ſchedis compererit, ignoro; at certe in Luraſchi ætate ſtatuenda ſæculo integro aberravit. Jam enim Diſſertat. II. num. XI. ejus verba protulimus, quibus hoc ipſum teſtatur: *Et per me Fr. Petrum Luraſcum domus S. Petri Vicoboldoni Præpoſitum viſum eſt de anno Domini* 1524. *quoddam inſtrumentum &c.* Enimvero quid neceſſe erat Luraſcum anno MCCCCXIX. Vicoboldonenſis domus Præpoſitum Chronicon continuare eodem anno conſcriptum, atque ad illa uſque tempora deductum? Chronicon enim a Luraſco auctum atque interpolatum, ut in Præfatione oſtendimus, illud ipſum eſt, quod Joannes Braidenſis anno MCCCCXIX. conſcripſit.

XIX. *MANNA FELIX*. Cremonenſis patria, qua in urbe nobiliſſima hæc familia jamdiu floret, Theologus, ac SS. Bibliorum interpres vocatur hic ab Ariſio (*a*), ac dicitur circa annum MDXXVI. floruiſſe; & Commentarios ſcripſiſſe *ſuper Epiſtolas B. Pauli, & ſuper Cantic. Magnificat*, & alia plura, quæ Breſcianus in alias memorato opere MS. apud Hieronymum Mannam Cremonenſis Cathedralis Canonicum vidiſſe ſe refert. Illius etiam meminit P. Jo. Bartholomæus a S. Claudia (*b*), ſed per errorem *Maremam* illum vocat, ac *D. Jacobi* pro *D. Pauli* Epiſtolas ſcribit, additque de præcipuis Humiliatorum rebus ſcripſiſſe illum, quod opus numquam inveniri a ſe potuiſſe ait. Typorum etiam, puto,

(*a*) Cremona Litter. T. II. pag. 77.
(*b*) Luſtri Storiali pag. 537.

errore floruiſſe illum anno MDLXXV. indicat, quo tempore Humiliatorum cœtus deletus omnino fuerat.

XX. *MANZOLIUS B. LUCAS*. Clariſſimi hujus Cardinalis res geſtas paullo ante illuſtravimus. Nunc de libris ab eo conſcriptis pauca. Tres ſcilicet illi tribuuntur a Ciaconio (*a*), Oldoino (*b*), Negrio (*c*), Fabricio (*d*), aliiſque, nempe: *Summa Caſuum Conſcientiæ: Tractatus de Auguſtiſſimo Sacramento, & Conſilium pro Collegio Cardinalium contra Antipapas*. Poſtremum hoc Opuſculum ſub ſimulato nomine Laurentii de Ridulphis prodiiſſe dicunt. Qua tamen in re errorem aliquem latere ſuſpicor. Vivebat enim per ea tempora Laurentius de Ridulphis Senator Clariſſimus Florentinus, juris ſcientia rebuſque geſtis illuſtris, cujus etiam Opuſcula nonnulla in lucem edita ſuperſunt (*e*). Itaque Lucam Opuſculum illud ſub nomine illuſtris inter Florentinos viri emiſiſſe vix credam. Præterquamquod ex ipſa Libri inſcriptione nullo modo fuiſſe illius Auctor Lucas videtur: inſcribitur enim: *pro Collegio Cardinalium contra Antipapas* Gregorium ſcilicet XII., & Benedictum XIII. in Piſana Synodo Pontificiæ, ſi quod haberent, dignitatis jure exutos. Atqui Lucam vidimus pro Gregorio ſtrenue ſtetiſſe, illiuſque partes probabiliter ad mortem uſque ſequutum fuiſſe; nec veriſimile proinde eſt *pro Collegio Cardinalium*, a quo ille diſſentiebat, ſcripſiſſe, ac contra illum, cui addictus erat in primis. Italicam etiam Poeſim Lucas excoluit: illum enim nonnulla ad S. Catharinæ Senenſis, cujus diſcipulus fuerat, vitam pertinentia Italicis carminibus ſcripſiſſe, Lombardellus & Gilius apud Quadrium (*f*) teſtantur. Aliud etiam opus

conatur

(*a*) Vit. Pontif. & Cardin. T. II. col. 770. Edit. Rom. 1677.

(*b*) Athen. Roman. pag. 464.

(*c*) Scritt. Fiorentin. pag. 314.

(*d*) Biblioth. Latin. Med. & Inf. Æt. T. IV. pag. 281. edit. Ven.

(*e*) V. Negri Scritt. Fiorent. pag. 340. Fabric. Biblioth. Lat. Med. & Inf. Æt. T. IV. pag. 250 edit Ven.

(*f*) Storia e Rag. d'ogni Poeſia T. IV. pag. 170.

conatur Quadrius Lucæ noſtro tribuere (*a*); ſed vereor, ne non ſatis firmis rationibus opinionem comprobet ſuam. Edita eſt ſcilicet Mediolani anno MCCCCXCII. Italica Lucani interpretatio, ſic inſcripta: *La Farſaglia di Lucano traſportata in ottava Rima. In Milano: per Caſſano de' Mantegazzi* 1492. *in* 4. Ad Libri calcem hæc leguntur: *Explicit Liber Lucani Cordubenſis Poetæ Clariſſimi translatus per R. in Chriſto Patrem & Dominum E. de Montichiello Cardinalem digniſſimum*. Cardinalis hic E. de Montichiello quis fuerit, ignorare ſe fatentur Creſcimbenius (*b*), & Saxius (*c*). Unus Pellegrinus Antonius Orlandus, Octavianum quemdam Monticellum ab Innocentio II. anno MCXXXVIII. Cardinalem renunciatum, nulla auctoritate fretus, invexit (*d*). Quem etſi extitiſſe concederemus, profecto Italicam Lucani interpretationem non poterat ille per id tempus aggredi, quo nondum Italica Poeſis exerceri ullo modo cœperat, & vix Italica ipſa lingua in uſu erat. At Quadrius E. de Montichiello Lucani interpretem, Lucam Manzolium eſſe indubitate ſtatuit. Vellem opinionem ſuam teſtimonio aut ratione aliqua Cl. auctor confirmaſſet. Sed fruſtra vel leviſſimum hujus indicium requiras. Qua in re non poſſum, quin doctiſſimi viri diligentiam deſiderem. Ego vero non modo nullo id fundamento, ſed falſo dici arbitror. Qui enim, quæſo, potuit Manzolius *de Montichiello* appellari? Aut qui conſtat, fuiſſe illum aliquando hoc nomine appellatum? Illud certe nec gentis nomen fuit, ut vidimus, nec patriæ. Monticellus enim, vulgo *Montichiello*, pagus eſt Senenſis agri nunc ad Pientinam Diœceſim pertinens, ut ex Geographis conſtat. At Lucas Ponturmi in Florentino agro natus nihil cum Monticello

 com-

(*a*) Ibid.
(*b*) Comment. ſulla Poeſia Vol. I. Lib. VI. Cap. VII.
(*c*) Hiſtor. Typograph. Mediol. ad an. 1492. col. CCCLIV. & DXCI.
(*d*) Origine della Stampa pag. 368.

commune habuit. Itaque non poteſt certe hujus interpretationis auctor Lucas Manzolius dici. Quis vero fuerit ille tandem, fateor me quoque, quamvis laborem diligentiamque omnem in hanc inquiſitionem contulerim, aſſequi haud potuiſſe.

XXI. *DE MEDA S. JOANNES*. Hunc inter Scriptores Argelatus recenſuit (*a*), quod ſuorum & Conſtitutiones, & Canonicas horas digeſſerit. Quid in his Joannes præſtiterit, Diſſertatione III. vidimus. Itaque hæc retractare non vacat. Argelati errorem hic tantum emendabimus; ait enim: *Sanctitatem illius & merita cum eruditione conjuncta mirati Sodales, totius Ordinis regimini Joannem votis communibus præfecerunt*. Quamvis enim plurimum Humiliatorum cœtum Joannes auxerit, multaque iis ſancte ſapienterque præſcripſerit, illum tamen communi omnium ſuffragio electum fuiſſe, qui Ordini univerſo præeſſet, non modo nullo documento docemur; ſed ex iis, quæ IV. Diſſert. diximus, conſtat, neminem ante annum MCCXLVI. Humiliatorum cœtui Generalem Magiſtrum datum fuiſſe, ut Joannes morum potius ſanctitate, doctrinæque eruditione videatur, quam dignitate ac imperio Humiliatis præfuiſſe. Ex Oldrada gente fuiſſe illum Argelatus ſtatuit; quod nos non ita certo conſtare, ſuo loco oſtendimus. Typorum autem errore arbitror apud Argelatum *ſæculo XII. exeunte* natum dici Joannem, ac legendum eſſe *ſæculo XI.*, cum Argelatus ipſe narret anno MCLIX. illum obiiſſe.

XXII. *DE NOTTIS STEPHANUS*. Fuſe de hoc diſſerit, eruditiſſimus vir, ac de Mediolanenſi hiſtoria optime meritus Joſephus Antonius Saxius (*b*); atque illum ſequutus Argelatus (*c*); nobiſque ſatis erit proinde breviter eadem commemorare. Stephanus in Ticinenſi gymnaſio utriuſque juris Magiſtro uſus eſt celeber-

(*a*) Biblioth. Script. Mediol. T. II. P. I. col. 1001.
(*b*) Hiſtor. Typograph. Mediol. ad an. 1483. col. CCLVI. DXX. DLXXIX.
(*c*) Biblioth. Script. Mediol. T. II. P. I. col. 995.

leberrimo viro Joanne Antonio a S. Georgio, qui deinde Cardinalis Alexandrinus eſt dictus, a quo etiam laurea illi collata. Itaque grati animi cauſſa, cum *Tractatum de Jubilæo* ſcripſiſſet, illum Præceptori olim ſuo inſcripſit. Libri frons ſic habet: *Opus remiſſionis a pœna & culpa*. Ad calcem vero: *Die XVI. Jan.* 1500, *h.* 2. *noctis*. *Premiſſum opus compoſuit frater Steffanus ex Nottis primo in alma brayde domo ordinis humiliatorum profeſſus; & nunc in domo de Carugate* (non *de Canegrate*, ut male legit Argelatus) *ejuſdem ordinis & civitatis prepoſitus, Artium & Theologie magiſter, ac decretorum doctor. Ad Laudem omnipotentis Dei, & ut ſalventur anime omnium in hoc volumine devote legentium. Impreſſum Mediolani per Magiſtrum Leonardum pachel anno domini* 1500. *die primo decembris: in fol.* Porro Libri hujus a Nottio editi compendium additum fuit Commentario Martini Azpilcuetæ Navarri in Leviticum, cum hic Mediolani typis traderetur anno MDLXXIII., quin etiam ſeparatim hoc ipſo anno eſt editum *apud Pacificum Pontium*, *in* 8. Stephano etiam debetur prima *Breviarii Humiliatorum* editio anno MCCCCLXXXIII., de qua Saxius loco citato, quamque nos etiam III. Diſſertatione commemoravimus.

XXIII. *PERSICUS EUGENIUS*. Cremonenſis hujus Scriptoris notitiam Ariſio debemus (*a*), qui ad an. MCCCCXXXVIII. illius meminit, eumdemque laudat, quod in SS. Bibliorum ſtudio verſaretur diligenter, eſſetque religioſæ diſciplinæ integerrimus cuſtos. Hæc ſcripſiſſe ab Ariſio dicitur, qui Breſciani auctoritatem profert in memorato libro inſcripto: *Virtù Ravvivata De Beatitudine æterna Lib. tres; De Angelis Lib. II. De Prædeſtinatione Lib. II. De Sacramentis in genere. De celebratione Miſſæ Lib. II.* Editi porro ſint nec ne, penitus tacet. Illum etiam commemorat P. Jo. Bartholomæus a S. Claudia (*b*), qui tamen *Perſicum* in

(*a*) Cremon. Litter. T. I. pag. 247.

(*b*) Luſtri Storiali pag. 537.

Digitized by Google

in *Piſcem* non levi diſcrimine tranſmutat; quod forte ex non bene intellecto Breſciani Codice contigit; ſcripſit enim ille, antequam Libros ſuos Ariſius ederet.

XXIV. *PICIUS MARIUS*. Longum hujus Scriptoris elogium contexuit Argelatus (*a*). Nos breviter omnia perſtringemus, illius errores, ſicubi oporteat, emendantes. Mediolani nobili genere ortus eſt Marius XXIV. Aprilis anno MCCCCLXXXVIII., ut Marii ipſius carmina ab Argelato allata teſtantur. Humiliatis adſcriptus, Florentinæ S. Marci domus, ſi Argelato credimus, Præpoſitus juſſus eſt. At numquam profecto Florentiæ S. Marci ædes Humiliati incoluerunt, ut proxima Diſſertatione oſtendemus: præterquamquod in Sepulcrali Marii elogio nihil de hac illius dignitate innuitur. *Deinde*, addit Argelatus, *XXXII. annorum ſpatio idem cum ſingulari omnium laude egit in Patria in Ottaciorum Collegio*. Veriſſime hoc dicitur: ſed addendum erat, Domui etiam Novæ S. Joannis Evangeliſtæ Præpoſitum illum fuiſſe. Octavianum audiamus Marii fratris filium, de quo mox ſermo erit: *Sub iſto Magiſtro Generali* (Hieronymo Torchio) *ego frater Octavianus Picius Præpoſitus Domus S. Joannis Evangeliſtæ Domus Novæ Mediolani, ordinis habitum aſſumpſi; quem Rev. frater Marius patruus meus dictæ Domus Novæ Præpoſitus in domo Ottaciorum dedit, quam ipſe rexit annis triginta duobus dum eſſet commendata &c.*; quod etiam ex memorato ſepulcrali lapide conſtat. Videtur tamen Marius Domus Novæ Præfecturam Octaviano ceſſiſſe; hic enim illius Domus Præpoſitus dicitur in Comitiis anni MDLII., quo tempore Marius adhuc vivebat. Ipſam porro, quæ adhuc ſupereſt, Eccleſiam ædificandam, ac ſolemni ritu conſecrandam curavit Marius, ut ſequente Diſſertatione oſtendemus. Vixit annos LXXV. ac menſes prope decem: obiitque XV. Martii anno MDLXIV. At errat iterum Argelatus, cum illum in Ottaciorum domo

(*a*) Biblioth. Script. Mediol. T. II. P. I. col. 1077. &c.

domo ſepultum narrat. Octaviani verba hic etiam proferamus: *Qui* (Marius) *deceſſit anno Domini* 1564. *decimoquinto Martii; & cujus corpus quieſcit in Eccleſia domus novæ Mediol.* Subdit Octavianus Epigraphen Marii tumulo inſcribendam, quam cum Argelatus ediderit, nihilque contineat præter ea, quæ jam narravimus, referre parcimus. Itaque quæ ille ſcripſerit videamus.

1. *Verſi di Frate Mario Pizzo dell' Ordine degli Humiliati*. MS. in 4. Autographum apud PP. Auguſtinianos Excalceatos ad SS. Coſmæ & Damiani in hac Urbe Cod. ſign. D. V. num. 20. Nonnulla ex iis carminibus dedimus, cum de Generalibus quibuſdam Humiliatorum Magiſtris ageremus, quorum ille mores vehementiſſime eſt inſectatus.

2. *Breve Chronicon rerum memorabilium a die X. Septemb. an. MDXLVII. ad an. MDLVIII.* Exſtat in eodem Codice.

3. Necrologium etiam Humiliatorum a nobis ſæpe commemoratum, quodque ad Ottaciorum domum pertinuit, Picii operibus addit Argelatus. Necrologium nihil aliud quam Humiliatorum nomina complectitur, qui in illis ædibus obierunt; quorum aliquot forte Picii ipſius manu deſcripta ſunt. Verum inter Picii opera referendum hoc eſſe, ii tantum concedent, qui Parochos omnes Scriptoris titulo ornandos eſſe ſtatuant, a' quibus Libri hujuſmodi non ita pauci conſcribuntur.

Alius ſupereſt Argelati error hoc loco emendandus: ſic enim Picii elogium ille claudit: *Videndus eſt quoque Marcus Boſſius in Chronico*. At qui potuit, quæſo, Boſſius in Chronico anno MCCCCXCIII. conſcripto Marium commemorare quinquennem tunc puerum? Certe in illius Chronico ne ullum quidem de Mario verbum.

XXV. *PICIUS OCTAVIANUS*. Hic, ut diximus, Marii fratris filius, a patruo Humiliatorum habitum accepit. Suum porro Octavianus ipſe Elogium confecit in ea, quam mox commemorabimus, ad Humiliatorum Chronicon Appendice, his verbis:

Sicque

Digitized by Google

Sicque ſub iſto Generali (Hieronymo Torchio) *inſignia Doctoratus in utroque jure in Papienſi ſtudio aſſumpſi, cauſaſque exercui tam a Pontifice Maximo commiſſas, quam alio modo; & dum cauſas exercerem Mediolani pluribus annis jura civilia ſum interpretatus, Ordinarias, quæ in mane leguntur, lectiones, & in ſero, ac Juſtiniani Inſtitutiones legendo; & multos habebam auditores, & erant ex nobilioribus urbis Mediolani; & unus in S. Eccleſia Cardinalem per Pium quartum Pontificem Maximum Mediolanenſem aſſumptus eſt, quia Pontifex ille avunculus erat illi* (Fuit hic porro S. Carolus Borromeus, quem hinc Picii auditorem fuiſſe cognoſcimus). *Sicque ego domum Ottaciorum rexi per certum tempus, dum eſſet commendata D. Antonio de Coſcianis poſt mortem Patrui mei &c.* Hæc de ſe ipſo Octavianus, qui etiam, ut vidimus, vivente adhuc patruo, Domus S. Joan. Evangeliſtæ Præpoſitus fuit. Anno deinde MDLXVII. ad Præpoſituram Domus SS. Trinitatis Mediol. translatus eſt, ut ex Catalogo an. MDLXX. colligimus. Scripſit *Additamentum anno* 1567. *factum ad præcedentem ſui Humiliatorum Ordinis hiſtoriam*. Bis hoc loco lapſus eſt Argelatus (*a*); primo cum narrat Octavianum Marci Boſſii Chronicon continuaſſe; ille enim Braidenſe Chronicon continuavit, ut oſtendimus Diſſertat. IV. Tum ait Octavianum narrationem ſuam ab an. MDXIX. exordiri; quod pariter falſum; exorditur enim ab Hieronymi Landriani electione, quem anno MCCCCLXXXVI. Generalem Humiliatorum Magiſtrum renunciatum fuiſſe diximus; deſinit autem ad an. MDLXVII., quo ille ſcribebat. Duo alia Octaviani opuſcula Appendice eadem continentur, nempe *Oratio habita die XIX. Novemb. an. MDLII. in Generalibus Humiliatorum Comitiis*; & *Marii patrui ſui ſepulcralis inſcriptio* ſuperius memorata, cujus etiam Italicam interpretationem, neſcio unde eductam, protulit Argelatus. Hæc vero omnia in iiſdem Bibliothecis, iiſdemque Codicibus continentur, quibus et Brai-

(*a*) Biblioth. Script. Mediol. T. II. P. I.

Braidenſe , & Boſſii Chronicon contineri diximus . Aliud Octaviano opuſculum tribuit Argelatus, ſcilicet: *Canto di cento ottave: Prognoſtico della ruina del ſuo Ordine* . Ita libri frontem ille deſcribit; ſed revera ita ſe habet: *Pronoſtico della rovina de' FF. Humiliati copiato da una Scrittura alquanto vecchia , che trovaſi preſſo il Sig. Pietro Paolo Conſalonieri Dottor Collegiato vivente ancora nel 1639.* Servatur MS. in Bibliotheca Ambroſiana (*a*) , continetque ſcilicet Italica Carmina , quæ vulgo *Ottave* dicuntur , ejuſdem fere argumenti, (quin etiam ſtylo parum diſſimili), atque illa, quæ a Mario ſcripta narravimus . At undenam Argelatus didicerit , Octavianum Picium auctorem habere illa , ignoro . Illius certe nomen in libri fronte , cujus verba omnia , ſi prima illa excipias, *Pronoſtico della rovina de' FF. Humiliati* , Puricellii ipſius manu ſcripta ſunt , nuſquam indicatur ; nec mihi tot Humiliatorum monumenta evolventi ullum hactenus occurrit , quo illa Octaviano tribuantur.

XXVI. *DE RIPA BONVICINUS* . PP. Quetif & Echard, cum a Galvaneo Flamma *Bonveſinum Fratrem tertii Ordinis* memorari vidiſſent, illum ad tertium Prædicatorum Ordinem pertinere ſuſpicati ſunt (*b*) , dubii tamen , an Minoribus potius eſſet adſcribendus. Verum, ut optime Argelatus animadvertit (*c*) , nec ad Prædicatorum , nec ad Minorum Ordinem , ſed ad Humiliatos Bonvicinum pertinere, & monumenta complura, & ipſe in primis illius tumulo lapis impoſitus confirmant . Prima hujus viri mentio apud Flammam occurrit ad annum MCCLXXXVIII. ; qua de re mox ſermo erit . Ex Humiliatorum Chronicis vero anno MCCXCI. Bonvicinum adhuc vixiſſe colligimus ; ſed poſterior illius mentio nulla occurrit. At non levis Argelati error

 hoc

(*a*) Cod. MS. in fol. ſign C. 74.
(*b*) Script. Ord. Præd. T. I. pag. 479.
(*c*) Biblioth. Script. Mediol. T. II. P. I.

hoc loco eſt emendandus. Ait enim: *Erat adhuc Scriptor iſte in vivis anno MCCXCI. Sic enim legitur in Cap. XXX. Hiſtoriæ Ordinis Humiliatorum MS., de qua verba fecimus in articulo Marci Boſſii.* Jam vero Argelatus de Boſſio loquens non aliam Humiliatorum hiſtoriam commemorat, quam quæ Boſſium ipſum auctorem habet. Sed nec illa in Capita dividitur, nec Bonvicinum commemorat umquam. Alterum potius Chronicon appellare Argelatus debuit anno MCCCCXXI. conſcriptum, ubi revera Cap. XXX. Bonvicini fit mentio. Verum illius verba exacte ne protulit Argelatus? Si hunc audimus, hæc illo capite habentur: *Anno Domini MCCXCI. die IX. Menſis Maii per Ven. PP. Fratres Humiliatos Ordinis S. Benedicti celebratum fuit eorum Capitulum generale in eorum Domo ſeu Conventu SS. Trinitatis ſito in ſuburbio extra portam Cumanam Mediolani, tempore Fratris Bonveſini de Ripa tertii Ordinis Humiliatorum.* At longe aliter Chronici ipſius verba ſe habent: *Qualiter fratres primi membri* (ita tertius Ordo ſæpe appellabatur, quod omnium antiquiſſimus eſſet) *poſtquam repudiati fuerunt intereſſe cum Præpoſitis & Prælatis in Capitulo generali, ut puta ab an. 1272. citra, ipſi per ſe convocabant capitulum, & ea, quæ per ipſos ordinabantur, ad Capitulum totius Ordinis tranſmittebant confirmanda, juxta Conſtitutiones eis confirmatas per Capitulum generale anno Domini 1291. die nono Madii in Domo S. Trinitatis Mediolani celebratum tempore Fratris Bonvicini de Ripa tertii Ordinis Humiliatorum.* Bonvicinus porro tum literis, tum pietate in primis claruit. *Bonvicinus Rivius* (ita Erycius Puteanus (*a*) de auctore noſtro loquens) *per noctem illam temporum in ſcholis noſtris* (Palatinis Mediolanenſibus) *clarus, in Republica potens, qui, ſi lapidi* (ſepulcrali) *fides, Xenodochium in oppido Legnani hodie pietatis fama ſuperſtes extruxit; qui in hac ipſa urbe piiſſimum & toto orbe venerabilem ritum, quo ad æris ſignum humanæ ſalutis initium religioſa memoria cottidie reco-*

(*a*) De Rhetor. & Schol. Palat. pag. 20.

recolimus , inſtituit ; denique qui Italicam linguam rudem etiam tunc , & , ut ita dicam , infantem ſtilo & eloquio colere aggreſſus eſt , cum ne in ſcholis quidem barbaries Latinitati pepercisſet . Quæ omnia , ut Puteanus ait , ſepulcralis lapidis , qui olim ad D. Franciſci viſebatur , teſtimonio comprobantur . Illum proferre hic mittimus , quod plurimi jam illum , & nuper Quadrius (*a*) , Argelatus , ac Julinius (*b*) ediderint.

XXVII. Ex illo autem colligimus Grammatices Profeſſorem , in Palatino ſcilicet gymnaſio , Bonvicinum fuiſſe : vocatur enim *Doctor in Grammatica* . Legnani vero Noſocomium S. Eraſmo ſacrum adhuc ſupereſt , ac pecuniæ aliquid inde in pauperes erogari , Cl. Julinio teſte (*c*) , conſuevit . Suſpicor autem , ad tertii Ordinis Humiliatos illud olim pertinuiſſe . Etenim in *Notitia Cleri Mediolanenſis* , quam ſæpe ſequente Diſſertatione commemorabimus , nominantur *Fratres & hoſpitale S. Eraſmi de Legnano* . Hæc etiam laus Bonvicino tribuitur , quod primus Salutationem Angelicam ad ſacri æris ſonitum in urbe atque agro Mediolanenſi recitandam curaverit : *qui primo* [ita in lapide ſepulcrali] *fecit pulſari campanas ad Ave Maria Mediolani & in comitatu* . Quo loco hoc animadverſione dignum arbitramur , nonnullos Urbano II. Pontifice morem hunc invectum narrare , ac deinde , cum paullatim in deſuetudinem abiret , a Gregorio IX. ante medium ſæculum decimum tertium , renovatum illum fuiſſe . Hanc tamen opinionem nulla veterum monumentorum auctoritate confirmari , ait Benedictus XIV. (*d*) ; ac Mabillonius Angelicæ Salutationis ad ſacri æris ſonitum indictæ nullum ſe antiquius monumentum inveniſſe affirmat (*e*) , quam Synodi Vaurenſis decretum an-

(*a*) Storia e Rag. d'ogni Poeſia T. VI. pag. 190.

(*b*) Mem. di Mil. T. VIII. pag. 439.

(*c*) Ibid.

(*d*) Inſtitut. XIII. num. 11.

(*e*) Acta SS. Ord. S. Bened. Præf. ad Sæc. V. num. 121. V. etiam Cangii Gloſſ. T. I. col. 409. edit. Ven.

MCCCXLVIII., quo Paræciarum Rectores jubentur, ut circa ſolis ortum *pulſari faciant unam campanam eo modo, quo ad noctem pulſari ſolebat; & tunc iis, qui quinquies Orationem Dominicam, atque ſepties Angelicam Salutationem genibus flexis recitaverint, triginta dies de injunctis pœnitentiis relaxantur*. Veſperi autem ter Salutationem Angelicam recitari Joannes XXII., qui anno MCCCXVI. Pontifex renunciatus eſt, cupiebat; idque deinde, eodem Mabillonio teſte, a Senonenſi Synodo an. MCCCXLVI. indictum eſt; ſed nulla hoc loco æris ſacri mentio. Triplicis vero, quali nunc utimur, Salutationis morem, nonniſi ſæculo XVI. ineunte inductum iidem arbitrantur. Hæc illi; qui cum opinionem hanc propugnarent, videntur illorum Scriptorum auctoritatem parvi feciſſe, qui morem hunc S. Bonaventuræ opera, qui anno MCCLXXIV. e vivis exceſſit, receptum narrant, ut ſcilicet ad æris ſacri ſonitum Angelica Salutatio ſub veſperam recitaretur; quos inter diſertis id verbis affirmat Octavianus de Martinis Sinueſſanus J. U. D., & ſacri Palatii Apoſtolici Advocatus Conſiſtorialis in ea, quam ad Sixtum IV. habuit, de S. Bonaventuræ Vita & Prodigiis oratione (*a*). Sed forte auctoris, qui ſæculo XV. viveret, teſtimonium non illud viſum eſt eruditis viris, quo hujuſmodi opinio confirmaretur, præſertim cum nulla, ut afferunt, veterum monumentorum auctoritate comprobetur. At certe ſepulcralis Bonvicini inſcriptio, quæ ejuſdem cum Bonvicino ipſo ætatis omnino videtur, teſtabitur, ſæculo XIII. exeunte apud Mediolanenſes pium hunc morem invectum fuiſſe, quamvis non ſatis conſtet, ſemel ne, an bis terve in die hoc fieri Bonvicinus ſuaſerit. Qui auctus Deiparæ Virgini cultus in Humiliatorum non levem gloriam profecto redundat.

XXVIII. Sed jam Bonvicini opera enumeremus, in quo Argelatum ſequemur multa tamen aut addentes, ubi opus fuerit, aut etiam emendantes.

I. F. Bon-

(*a*) Acta SS. Jul. T. III. pag. 816. Edit. Antuerp.

Digitized by Google

1. *F. Bonvicini de Ripa Mediolanenſis de diſcipulorum preceptorumque moribus*, *ſeu Vita Scholaſtica*. Opus partim ſoluta, partim ſtricta oratione conſcriptum. Primam editionem Argelatus commemorat Venetiis curatam anno MDVII., eumque ſequutus eſt Quadrius (*a*). Nos hanc non vidimus; ſed, ſiquidem hæc umquam exſtiterit, alia certe antiquior in Braidenſi hac noſtra Bibliotheca ſervatur facta *Venetiis per Jo. Baptiſtam Seſſam anno Domini MCCCCCI. ſeptimo menſis Maii* in 4. Alias editiones Argelatus enumerat, Mediolanenſem nempe an. MDXXXIII., & Brixienſem MDXLII. in 8.

2. *Chronicon de Magnalibus Urbis Mediolanenſis*. Vidit hoc Chronicon, ſuoque *Manipulo Florum* inſeruit (*b*) Galvaneus Flamma, *Eodem anno* [MCCLXXXVIII.], ait, *quidam nomine Bonveſinus Frater tertii Ordinis Chronicon de Magnalibus Civitatis Mediolani compoſuit*, *cujus tenor talis eſt &c.* Annalium pariter Mediolanenſium auctor hujus Chronici partem ſuæ hiſtoriæ addidit ad an. MCCLXXXVII. (*c*). Hoc vero Bonvicini opuſculum diligentiſſime, ut ſolet, nuper illuſtravit Comes Georgius Julinius (*d*).

3. *Menſura & ſtatus Mediolanenſis urbis an. MCCLXXXVII. M.S. in fol. Exſtat*, ait Argelatus, *in Biblioth. FF. Marchionum Vicecomitum; item penes Advocatum Jo. Sitonum MS. in pergamena litteris Gothicis in fol.* Opuſculum hoc non vidi; ſed cum alio opuſculo ſuperius memorato menſura ſcilicet & ſtatus Mediolanenſis urbis contineatur, ut videre eſt apud auctores, a quibus illud eſt editum, cumque illud etiam eodem anno aut inſequente conſcriptum dicatur, vehementer ſuſpicor, utrumque opuſculum unum revera idemque eſſe.

4. *De*

(*a*) Storia e Ragione d'ogni Poeſia T. VI. pag. 160.

(*b*) Manip. Flor. Cap. CCCXXXVI. Script. Rer. Ital. T. XI. col. 711.

(*c*) Cap. LIX. Script. Rer. Ital. T. XVI. col. 680.

(*d*) Memor. di Mil. T. VIII. pag. 392. &c.

4. *De le zinquanta Cortexie da tavola di Fra Bonvicino da Riva*. Libri hujus frontem non ſatis diligenter ab Argelato recitatam, ſic protulit Quadrius (*a*). Italicum porro eſt carmen eodem metro conſcriptum, quod primus ſe inveniſſe Petrus Jacobus Martellius arbitratus eſt, cuique laudem hanc jure deberi exiſtimat Quadrius (*b*), qui forte nondum Bonvicini carmina viderat. Ac rudi quidem incultoque ſtilo exarata hæc ſunt; ſed ea ſcilicet erant tempora, quibus Italica poeſis nondum elegantiam venuſtatemque illam adepta erat, quam eidem deinde, qui paullo poſt inſurrexerunt, Vates clariſſimi conciliarunt. Servatur hoc Opuſculum MS. in Ambroſiana Bibliotheca (*c*), cujus hoc eſt initium:

Fra bon Vexin da Riva, che ſta in borgo legniano
D' le corteſie da deſcho ne dixette primano;
D' le corteſie cinquanta, che s' de' oſſervare a deſcho
Fra bon Vexin da Riva ne parla mo de freſcho.

Alia porro tum Latina, tum Italica Bonvicini carmina eodem Codice contenta recenſet ibidem Quadrius, qui alibi (*d*) etiam alios Bonvicini Hendecaſyllabos verſus Italice conſcriptos commemorat, quibus ſacras plerumque prophanaſve aliquot hiſtoriolas auctor complectitur; aitque ſervari illos MSS. in eadem Bibliotheca *Cod. N.* 45. *in* 4. Sed alia omnia hoc Codice continentur, & per errorem arbitror 45. pro 95. impreſſum; nam revera eodem hæc ac ſuperiora alia Codice continentur.

5. *Poeſie di Bonvicino da Riva*. Opus hoc a reliquis diverſum, ab Argelato omiſſum, commemorat Quadrius (*e*), aitque ſacra ibi non pauca argumenta eodem Martelliano, ut nunc ajunt, metro

(*a*) Ibid. pag. 209.
(*b*) Ibid. T. I. pag. 646.
(*c*) Cod. MS. ſign. N. 95. in 4.
(*d*) Ibid. pag. 360.
(*e*) Ibid. pag. 247.

metro tractari. Paucos hic verſus proferimus in Deiparæ Virginis laudem conſcriptos:

Io Bon-vexin da Riva mo vo far melodia,
Qui volio far ſermone de la Vergen Maria;
De la matre de Chriſto, quella luxe complia
De la più nobil Dona, ke in celo e in terra ſia &c.

Servantur hæc etiam MSS. in Ambroſiana Bibliotheca (*a*).

6. *Hiſtoria Ordinis Humiliatorum*. Cl. Saxii auctoritate fretus Bonvicinum Humiliatorum hiſtoriæ auctorem credidit Argelatus (*b*). Ille enim, cum in altero Humiliatorum Chronico Cap. XXV. hæc legiſſet: *Qualiter Innocentius Papa III. tradidit Ser Guidoni de Porta Orientali Mediolani ac ſociis ſuis regulam fratrum primi membri Ordinis anno Domini 1199., ut adnotat Frater Bonvicinus de Ripa*, arbitratus eſt, Humiliatorum hiſtoriam a Bonvicino ſcriptam fuiſſe (*c*), doluitque fuiſſe illam fruſtra a ſe quæſitam. Et potuiſſe illam a Bonvicino ſcribi non inficior; ſed donec certius hujus rei teſtimonium non proferatur, non ſatis id Chronici verbis oſtenditur; qui enim multa alia, ut vidimus, ſcripſit, potuit alicubi comprobatarum ab Innocentio Humiliatorum legum meminiſſe. Certe hiſtoriam hujuſmodi nemo umquam ſe vidiſſe affirmavit. Qui de Bonvicino ejuſque ſcriptis egerunt, diligenter Argelatus recenſuit. Iis autem addendi Jo. Albertus Fabricius (*d*), Franc. Xaverius Quadrius (*e*), Joſ. Antonius Saxius (*f*), ac Georgius Comes Julinius (*g*).

XXIX. *RIPARIUS FERDINANDUS*. Cremonenſis hic Scriptor

(*a*) Cod. MS. ſign. T. 10. in 4.

(*b*) Bibl. Script. Mediol. T. II. P. II. col. 2024.

(*c*) Hiſtor. Typogr. Mediol. col. CCLI.

(*d*) Biblioth. Lat. Med. & Inf. Ær. T. I. pag. 264. Edit. Patav.

(*e*) Storia e Rag. d'ogni Poeſia T. VI. pag. 190. 209. 210. 247. 248. 360. 361.

(*f*) Loco cit.

(*g*) Memor. di Mil. T. VIII. pag. 392. &c., & pag. 439. 440.

ptor ad annum MDXXVII. ab Ariſio profertur (*a*) ex ſæpius memorato Breſciani Codice MS., diciturque ſcripſiſſe: *De Cælo Empireo: Super Phyſicam S. Thomæ Aquin.*, & *de Vanitate Mundi*; ſed de horum operum editione tacet. Hujus etiam nomen mutatum in *Raparo* legitur apud P. Jo. Bartholomæum a S. Claudia (*b*). Cum tamen utrumque familiæ nomen Cremonæ adhuc ſuperſit, incertus hæreō, uter felicior in Breſciani Codice legendo fuerit.

XXX. *DE SANCTIS PHILIPPUS*. Hujus Epiſtolam ad Jacobum Landrianum Generalem Humiliatorum Magiſtrum habemus, eorumdem Horis Canonicis præmiſſam, cum primum anno MCCCCLXXXIII. ederentur: in illa porro Vicoboldonenſem Profeſſum ſe vocat; nec ulla alia hujus viri mentio occurrit, qui forte nonnullis non ita facile in Scriptorum numerum ob unicam hanc Epiſtolam cooptandus videbitur.

XXXI. *STRADIVERTUS CAMILLUS*. Hic ab Ariſio (*c*) inter Cremonenſes Humiliatos Scriptores recenſetur, vocaturque Philoſophus & Theologus magno in pretio habitus, & Philippo Mariæ Vicecomiti Mediolanenſium Duci, cujus ætate vivebat, acceptus in primis. Scripſiſſe dicitur *ſuper Phyſicam Ariſtotelis Libros tres*, ſed editi ne fuerint an non, Ariſius tacet. Hunc etiam commemorat, ſed nomine de more corrupto, ac Stradiverto in Madiverſum mutato, P. Jo. Bartholomæus a S. Claudia (*d*).

XXXII. *TONSIUS JOANNES*. Breviter de hujus rebus geſtis Argelatus diſſeruit (*e*). Nos paullo fuſius illas evolvemus, Argelatum ipſum emendantes interdum. Joannes itaque nobili familia Mediolani natus eſt, Joanne Baptiſta Patre, ut Argelatus

(*a*) Cremon. Litter. T. II. pag. 80.

(*b*) Luſtri Storiali pag. 537.

(*c*) Cremon. Litter. T. I. pag. 237.

(*d*) Ibid.

(*e*) Biblioth. Script. Mediol. T. II. P. I. col. 1499.

tus ait. Illius ortus in annum MDXXVIII. incidit; ipſe enim in Epiſtola ad Clementem VIII. an. MDXCIV. X. Cal. Jun. data, quam num. XXXV. commemorabimus, ſex ſupra ſexaginta annos ſe numerare ait. Adoleſcens Humiliatis adſcriptus eſt. Comitiis an. MDLII. interfuit Joannes Baptiſta Tonſius Braidenſis Præpoſitus. Alius tamen a Tonſio noſtro hic fuit. Enimvero Tonſius ille Braidenſis Præpoſitus ea erat ætate, ut de illo in Generalem Magiſtrum eligendo ageretur, Patrumque ſuffragia inter illum & Galeatium Brippium dividerentur, quorum neuter tamen delectus eſt, ſed Jacobus Gadius Cremonenſis Domus S. Abundii Præpoſitus: *Sed in perſona Tonſi*, ait in ſua Appendice Octavianus Picius, *melius eſſet Generalatus officium collocatum, quia illum omnes veriti fuiſſent, & honoraſſent, & quia Juriſconſultus erat & Litteratus*. Quæ verba hominem matura ætate, in rebuſque agendis verſatum deſignant. At vero Tonſius noſter quattuor ac viginti annos tantummodo tunc numerabat. Sed certe Tonſium hunc, quem inter Humiliatos Scriptores recenſemus, illum eſſe arbitror, de quo Picius idem loquitur ad an. MDLIX. Narrat enim, cum de Humiliatorum Magiſtro eligendo iterum ageretur, in Galeatium Brippium dignitatem illam fuiſſe collatam *de gratia ſpeciali a R. Fratre Joanne Tonſo de Tonſis Braydæ Præpoſito, utriuſque juris doctore, & viro tam in Latinis, quam Græcis litteris clariſſimo & facundiſſimo, & quem propter ejus facundiam acumenque ingenii tam Eccleſiaſtici, quam Laici Principes mirifice diligunt, omnes illum obſervant ac venerantur; ab illo, inquam Tonſo eſt in generalem electus, omneſque illum approbarunt in generalem de anno* 1559. Hæc Picius, cujus ideo verba protulimus, quod ampliſſimum Tonſii elogium complectuntur; quamvis fortaſſe aliquid aſſentandi cauſſa Picius exaggeraverit. Porro probabile eſt, Joannem Baptiſtam Tonſium, Joannis forte patruum, Braidenſem Præpoſituram in eumdem contuliſſe. Certe Joannes Baptiſta an. MDLXX. adhuc vivebat, ut ſequente Diſſertat. P. II. num. XVI.

oſtendemus. Anno vero MDLXVII. a Braidenſi ad Cremonenſem S. Abundii Præpoſituram Joannes translatus eſt. Ceterum, etiam dum inter Humiliatos viveret, Latinam ille Poeſim diligenter excoluit. Cujus rei teſtem habemus Carminum Illuſtrium Poetarum collectionem a Joanne Paullo Ubaldino editam Mediolani anno MDLXIII. In illa enim ſeptem Tonſii non inelegantes odas habemus; quarum una Humiliatorum, quem geſtabat, habitum his verbis commemorat (*a*):

Nec fallax Veneris puer,
Quamvis abſit adhuc canities gravis,
Jam durum imperiis ſuis
Vel vi flectere vel blanditiis poteſt;
Nam pectus nivea & ſacra
Defendit toga, non vulneribus Dei
Urentis violabilis.

XXXIII. Cremonenſis, ut diximus, Præpoſitus erat Tonſius, cum nefaria illa in S. Carolum conjuratio in Braidenſibus ædibus inita eſt, ut poſtrema Diſſertatione narrabimus. Perdita ſuorum conſilia noviſſe Tonſius videtur, eoſque etiam vehementer exprobraſſe, ut a tanto ſcelere abſtinerent; ſed, quod fieri omnino oportebat, nulla parati criminis indicia protulit. Itaque in illum etiam quæſitum eſt; atque aliquandiu etiam carcere detentus fuit; cumque in alios pro criminis gravitate animadverteretur, *de Tonſio*, ait Cl. Oltrocchius (*b*) *nihil a Judice pronunciatum, quod febri & cordis palpitatione laborans decumberet. Deinde cum in Caroli arbitrium rejectum eſſet, ut Monaſterium deſignaret, in quod conderetur, Carolus judicium omne conſtanter recuſavit, atque interim contubernalem S. Barnabæ Patribus dedit, donec ſuam Pontifex mentem aperiret.* Sui Ordinis extinctionem, quaſque paſſus tunc fuerat adverſas

(*a*) Pag. 61. &c.
(*b*) In Not. ad Lib. II. Cap. XXVI. Vitæ D. Caroli col. 203.

verſas vices innuere Tonſius videtur in Lyrico carmine ad Veſpaſianum Gonzagam (*a*):

At me immerentem deſtituit levis
Fortuna, poſtquam principio ſatis
Afflarat, & cœlum fugatis
Reddiderat nebulis ſerenum;
Majori ut eſſem ludibrio, mea
Cum portu in ipſo fluctibus obruta,
Et littori colliſa, ſævo
Naufragio periit carina.

Huc etiam ſpectare verba illa videntur in commemorata ad Clementem VIII. epiſtola: *fluctibus tempeſtatis ejus, quæ me diu vehementerque jactarat, nondum plane ſedatis*. Quid tuuc ſtatuerit Pontifex, ignoramus; immo vix quidquam aliud de Tonſii rebus ſciremus, niſi multa in Juliani Goſelini Epiſtolis nobis ſuperfuiſſent. Ac Julianum quidem conſanguineum ſuum fidiſſimumque amicum vocat Tonſius in Epiſtola ad anonymum Romæ commorantem data, interque Goſelini Epiſtolas edita (*b*); quam Argelatus, non ſine gravi errore, commemorat: ait enim: *Epiſtola Jo. Tonſi ad quemdam . . . nuncians ei, quod in carminibus ſuis honeſtam mentionem ejus fecerit Julianus Goſelinus jam vita functus*. At nec Goſelinus vita functus erat, & alia omnia Tonſius illa Epiſtola ſcribit; gratiſſimum ſcilicet Goſelino fuiſſe, quod ille, ad quem ſcribit Tonſius, illius carmina laudarit: *Ho, non dirò acquiſtato a V. S. un ſervitore* (ait Tonſius), *che già gran tempo fa era tale; ma di volontario l'ho reſo obbligatiſſimo* (loquitur de Goſelino), *con avergli ſcritto l'honorata mentione, che V. S. mi fece de le ſue Rime, & le laudi che diede loro &c.*, & paullo poſt: *Egli adunque m'impone ..., ch'io col ſuo affetto & con le parole mie baci* Qq 2 *le*

(*a*) Carmina Ill. Poet. T. IX. pag. 279. Edit. Florent. an. 1722.
(*b*) Pag. 205.

Digitized by Google

le mani a V. S. ambedue &c. Vides contraria omnino iis, quæ Argelatus rettulit, hac Epiſtola narrari. Sed ut ad propoſitum redeamus, videtur Tonſius anno MDLXXIV. a Romano Pontifice impetraſſe, ut Humiliatorum veſtes exuere ſibi liceret, ſuique juris impoſterum eſſe. Hanc enim legem Humiliatis Pius V. indixerat, ut ad alium Regularem cœtum traducerentur, aut in deſtinatis Humiliatorum domibus viverent. Id porro innuit, ni fallor, Goſelini Epiſtola XXIII. Septemb. hoc ipſo anno ad anonymum data, quem Tonſium eſſe ipſe verborum contextus ſuadet (a): *Lodato ſia Dio del nuovo paſſaggio, che V. S. mi ſcrive aver fatto; & pregato a darle per bontà ſua nel nuovo habito degna ricompenſa di ogni danno patito nel altro.*

XXXIV. Reliquas Tonſii vices ex ſupplici præſertim libello Philippo II. Catholico Regi illius nomine oblato cognoſcimus; qui inter Goſelini epiſtolas editus eſt, nulla tamen diei aut anni nota appoſita. Hæc porro ſupplici hujuſmodi libello narrantur: Tonſium ex nobili Mediolanenſi familia ortum, cujus majores Mediolanenſibus Ducibus accepti in primis fuiſſent: illum Braidenſem olim Præpoſitum, tum deinde Humiliatorum cœtu per Pium V. (per errorem ibi dicitur Pius IV.) extincto, vitæ ſuſtentandæ imparem, a Franciſco Etruriæ Duce humaniter exceptum fuiſſe, ac S. Stephani Equitum Præfectum, ſeu Magnum Priorem, ut ajunt, juſſum fuiſſe; quæ dignitas cum certo temporis ſpatio definiretur, bis jam aut ter fuiſſe illam in Tonſium collatam. At ætate jam ingraveſcente reditum in patriam illum meditari, ac Regiam clementiam adire proinde, ut & Romano Pontifici, & Mediolanenſi Præfecto commendatum illum velit, ſimulque alendæ interim vitæ rationem aliquam ſuppeditet. Enimvero Præfecturam S. Stephani Equitum fuiſſe Tonſio conceſſam

(a) Pag. 199.

ceſſam teſtatur P. Fulvius Fontana Soc. Jeſu (a); ubi enim ejus claſſis Præfectos recenſet, quam Conventualem vocant, nominat inter illos *Cavaliere e Monſignor Giovanni Toſo Milaneſe*. Quin etiam, ut ex ſepulcrali lapide colligimus, Piſani illum Gymnaſii Præfectum Franciſcus Dux renunciavit. Saltem ad annum uſque MDLXXXV. Piſis ſubſtitit Tonſius; nam inter Goſelini Epiſtolas (b) ſupplex alius Libellus exſtat Tonſii nomine Sabaudo Duci oblatus, ſignatuſque Piſis menſe Februario an. MDLXXXV., quo gratias agit, quod illum Mediolanenſis urbis Præfecto per literas commendarit. Enimvero plurimum ſe & Emmanueli Philiberto, ad quem a Franciſco Ferdinando Avalo Mediolanenſi Præfecto Legatus ierat, ejuſque filio Carolo Emmanueli debere affirmat is literis, quibus Emmanuelis ejuſdem Philiberti vitam Philippo Hiſpan. Principi inſcribit; & fuiſſe illum a Carolo Emmanuele Conſiliarium ſuum appellatum, teſtatur jam memorata ſepulcralis Epigraphe. Julii Pogiani etiam amicitiam excoluit, qui illum interdum in epiſtolis ſuis commemorat, virumque lectiſſimum vocat (c). Hunc in modum variis fortunæ caſibus diu jactatus Joannes, obiit III. Novemb. anno MDCI. ætatis LXXIII. ut ex eadem Epigraphe conſtat, quam ab Argelato editam proferre hic mittimus.

XXXV. Supereſt, ut breviter Tonſii opera recenſeamus, qua in re nihil fere occurrit Argelato addendum.

1. *F. Franciſci Panigarolæ Eccleſiæ Haſtenſis Epiſcopi Diſceptationes Calvinicæ a Joanne Tonſo Mediolanen. Patritio in Latinum converſæ. Mediolani apud Pacificum Pontium an.* 1594. Præcedit Tonſii Epiſtola ad Clementem VIII. Memoratur etiam a P. Antonio Poſſevino Soc. Jeſu (d). 2. *De*

(a) Pregi della Toſcana: Appendice; pag. XXI.

(b) Pag. 49

(c) T. IV. pag. 156. & 163.

(d) Appar. Sacr. T. II. pag. 215.

2. *De Vita Emmanuelis Philiberti Allobrogum Ducis & Subalpinorum Principis Libri duo Joannis Tonſi Patricii Mediolanenſis. Auguſtæ Taurinorum : apud Jo. Dominicum Tarinum* 1596. *in fol.* Italice a Tonſio eodem redditam fuiſſe, multumque a Franciſco Panigarola commendatam, ait Fontaninius; additque Apoſtolus Zenus (*a*) interpretationem hanc Mediolani editam fuiſſe anno MDCII. in 4.

3. *Vita Alphonſi Avalos Marchionis Vaſti* Italice : plures hujus Codices MSS. enumerant auctores; Creſcimbenius (*b*) unum exſtare apud Jacobum Facciolatum ait. Argelatus alium in Bibliotheca Scribanti Veronæ : duos denique Apoſtolus Zenus (*c*), alterum apud Scipionem Marchionem Maffejum, alterum apud Jo. Jacobum Cherronium Menarſii Marchionem.

4. Carmina aliquot tum Latina, tum Italica ; quæ quibus in collectionibus legantur, diligenter adnotat Argelatus, qui etiam eos recenſet, qui de Joannis rebus geſtis egerunt. Adde etiam Epiſtolas aliquot, quæ ſimul cum Goſelini Epiſtolis, ut diximus, editæ ſunt.

XXXVI. *TORCHIUS HIERONYMUS*. Quæ de Generali hoc Humiliatorum Magiſtro proferri hic poſſent, jam Diſſertat. IV. num. XLII. protulimus. Quod autem ad ejus opera pertinet, ſcripſit ille, dum Magiſtri dignitate fungeretur, primum anno MDXXXVII., tum etiam an. MDXLIII. *Conſtitutiones pro reformatione Monaſterii S. Mariæ Magdalenæ ad Circulum* Italice, quæ MSS. ſervantur in Ambroſiana Bibliotheca (*d*); qua de cauſſa Scriptor ne ille ſit appellandus, viderint eruditi. Quod enim ad Humiliatorum hiſtoriam pertinet, quam nonnulli a Torchio conſcriptam

(*a*) Fontanini Bibliot. dell' Eloqu. Ital. colle note di Ap. Zeno T. II. pag. 166.

(*b*) Storia della Poeſia Ital. T. II. pag. 386.

(*c*) Loco citat.

(*d*) Cod. MS. ſign. C. 74. in fol.

ſcriptam ajunt , jam in Præfatione oſtendimus, hac una ratione illam ad Torchium pertinere , quod ejuſdem olim exemplar ille apud ſe habuerit.

XXXVII. *VICECOMES MAXIMUS*. Erat hic Samaratenſis Domus Præpoſitus, atque anno MDXLVIII. Horas Humiliatorum Canonicas iterum edendas curavit , a Paullo III. approbatas, ut alias vidimus. Jam vero præter laborem in illarum emendationem collatum , bina Vicecomitis Epigrammata iis præmittuntur, tum ſatis longa ejuſdem ad Hieronymum Torchium Generalem Magiſtrum Epiſtola. Comitiis Braidenſibus anno MDLII. interſuit, ut ex eorumdem Actis colligimus. Ceterum, quo ille anno obierit, non conſtat.

XXXVIII. *DE VICO JOANNES*. Hunc anno MDIII. obiiſſe alias vidimus: ac forte de Vico appellatur, quod Novocomenſem cognominem domum incoleret. S. Joannis a Meda Vitam hexametris illum verſibus ſcripſiſſe, ait Tattus (*a*) ; qui duos etiam ex illa verſus recitat. Aliud etiam Joannis de Vico Opuſculum alibi Tattus commemorat (*b*); nempe *Appendicem ad Breviarium Humiliatorum*. Sed nec Appendicem hanc, nec illam S. Joannis vitam videre mihi uſquam licuit. Aliam porro vidimus S. Joannis vitam ſoluto Italico ſermone a Joanne conſcriptam, ſeu potius ex illius *Sermonario*, ut ibi dicitur, excerptam , de qua ſermo fuit in hujuſce Diſſertationis P. I. num. VII.

XXXIX Ad tenuem hanc Humiliatorum Scriptorum Bibliothecam perficiendam ſupereſt , ut Anonymos aliquot addamus, quos Humiliatos certo fuiſſe conſtat, quamvis eorumdem nomen atque ætatem ignoremus. Ab hoc tamen numero excludendus videtur Anonymus quidam , quem Argelatus (*c*) inter Mediolanenſes

(*a*) Vita di S. Gio. da Meda Cap. III.
(*b*) Vita di S. Fedele Cap. I.
(*c*) Biblioth. Script. Mediol. T. I. P. II. col. 51.

uenſes Humiliatos Scriptores recenſuit, quod Martyrologium deſcripſerit in Ambroſiana Bibliotheca nunc ſervatum, quo olim Humiliatæ S. Catharinæ in Braida Sanctimoniales utebantur; quemque idcirco Mediolanenſem arbitratur, quod plura contineat ad SS. Mediolanenſium cultum ſpectantia. Sed ſi quicumque librum aliquem deſcribit, Scriptoribus eſt adjiciendus, quis tandem ex illorum numero excludetur? Nec ſatis probat Argelatus, Mediolanenſem illum fuiſſe. Num enim exteris non liceat, quæ ad Mediolanenſes pertinent, inveſtigare ac ſcribere? Nulli profecto, ac mihi minime omnium, ſuaderi umquam id poterit. Tres alios Anonymos potiori jure Humiliatis Scriptoribus addemus; primum, qui alterum Chronicon anno MCCCCXXI. conſcripſit, quem in Præfatione oſtendimus, ab antiquioris Chronici auctore diſtinguendum Puricellio videri. Alterum, qui Vitam S. Joannis a Meda latine ſcripſit, quam primus omnium Suyskenius edidit. Quo tempore hic vixerit, non ſatis conſtat; ſed certe a S. Joannis ætate non parum abſuit; queritur enim, quod *quæ fuerint* (illius) *ab ineunte ætate meritorum rudimenta .... nimium culpanda Scriptorum incuria notare neglexit*. Anonymum denique tertium ex Bibliotheca noſtra Braidenſi proferimus. Codicem enim MS. habemus, ſæculo, ut videtur, XVI. ineunte ſcriptum, qui Grammatices præcepta & Græcæ Latinæque Syntaxeos leges complectitur. Humiliatum fuiſſe illius auctorem, illumque in Humiliatorum adoleſcentum utilitatem hæc ſcripſiſſe, indicant Præfationis verba, quæ Syntaxeos leges præcedit: *Syntaxeos præcepta, atque ſummarium eorum, quæ in Guarini notis traduntur, quæ nutricis inſtar plerumque balbutiens ſemeſtri præterito Humiliatulis meis ingeſſi, denuo recognita, & ab aliis elementariorum rudimentis ſejuncta, atque variis thematis, ſeu potius exemplis illuſtrata tum proſa tum carmine, quam potui breviſſime, congeſſi; quo fidei noſtræ commiſſis Candidatulis diverſa ratione magis conſultum ſit*. Sed de Humiliatis Scriptoribus, ceteriſque viris illuſtribus, ſatis.

DIS-

DISSERTATIO VII.

DE HUMILIATORUM DOMIBUS.

I. ERit fortaſſe, qui improbum quidem, ſed nullius pæne utilitatis laborem ſuſcepiſſe nos arbitretur, qui de ſingulis Humiliatorum domibus diſſerere aggrediamur, cum parum ad hiſtoriam ipſam conferre videatur, quot quæve fuerint eorumdem cœnobia, cognoſcere. Ac ſane minus plerumque delectationis habent quæſtiones hujuſmodi; ac quo longior duriorque iis digerendis labor impenditur, eo fere graviores legentibus accidunt. Attamen hæc etiam inquiſitio hiſtoriæ atque antiquitatis inveſtigatoribus non omnino injucunda, ut arbitror, accidet. Dum enim, quibus in urbibus pagiſve, & quo loco eſſent Humiliatorum ſedes, quaſque ſuccedentibus temporibus paſſæ ſint vices, expendimus, multa ad urbium pagorumve ipſorum hiſtoriam ac topographiam illuſtrandam opportuna proferentur. Sed antequam de ſingulis dicimus, proderit quanam ædium forma tum Fratres, tum Sorores ex Humiliatorum cœtu uterentur, paucis inquirere.

II. Nullum vero opportunius certiuſque in hanc rem monumentum afferre poſſumus, quam Joannis XXII. literas X. Cal. Novemb. an. MCCCXXVII. ad Generalem Humiliatorum Magiſtrum Humiliatoſque omnes datas, quas integras ſuo loco ex Puricelliano Codice edemus: *Sane*, ait Pontifex, *oblata nobis pro parte veſtra petitio continebat, quod habetis nonnulla Monaſteria & domos virorum & mulierum Ordinis veſtri profeſſorum, in quibus ſimul habitant fratres & ſorores, clauſuris aliquibus intermediis ſeparati; & aliqua etiam Monaſteria & domos Mulierum ejuſdem Ordinis ab aliis veſtris virorum Monaſteriis & domibus per intervalla decenter diſtantia ſeparata; aliaque ipſis contigua, in quibus per vos recipiuntur & mo-*

 rantur

rantur mulieres veſtrum Ordinem profitentes, ac ſub cura & gubernatione veſtra manentes. Tria itaque domorum genera videmus hic diſtingui; alias, quæ viris mulieribuſque communes eſſent, ita tamen ut mutuo aditu prohiberentur; alias mulierum ſejunctas quidem a virorum cœnobiis, ſed ipſis proximas; mulierum alias denique juſtó intervallo a virorum domibus ſeparatas. De duobus hiſce poſtremis ædium generibus, nihil eſt quod loquendo immoremur; cum hodierna etiam earumdem exempla ſuppetant paſſim. At diligenter inveſtiganda ſunt, quæ ad primum pertinent.

III. Fuiſſe olim Monachorum domos, quæ viris mulieribuſque communes eſſent, omnes norunt, quicumque Monaſticam hiſtoriam attigerunt. Mitto hic de duplicibus, ut ajunt, hujuſmodi cœnobiis loqui, quæ olim in Oriente erant, quæque Juſtiniani Imperatoris lege ſublata fuiſſe Thomaſinus refert (*a*); quam tamen receptam uſu non fuiſſe ex Nicænæ II. Synodi duobus ampliuſque poſt Juſtinianum ſæculis, ſcilicet an. DCCLXXXVII. celebratæ, Canone XX. colligimus. At diutius morem hunc in Occidente viguiſſe, præſertim ex eruditiſſimo Mabillonio diſcimus, qui & in Annalibus Benedictinis multa hac illac cœnobia hujuſmodi memorat (*b*), & fuſius de iiſdem alibi diſſerit (*c*). In Italiam vero fueritne umquam mos iſte inductus, ignorare ſe ait Cl. Muratorius (*d*). Aliquot tamen hujuſmodi in ipſis Italiæ urbibus duplicia cœnobia deprehenderunt Joannes Brunaccius (*e*), Fortu-

(*a*) De Eccleſiaſt. Diſcipl. T. I. Lib. III. Cap. XVI. num. 10., & Cap. XLVI. num. 10.

(*b*) Vol. I. pag. 204. 305. 315. 369. 396. T. II. pag. 23 62. 121. 506. &c. T. III. pag. 30. &c.

(*c*) Acta SS. Ord. S. Bened. Præfat. ad Sæc. II. §. III. num. 32.

(*d*) Antiquit. Ital. T. V col 517.

(*e*) Ragionamento ſopra le Canonicheſſe di S. Pietro pag. 23. &c.

Fortunatus Vigna (*a*), Joannes Baptiſta Blancolinius (*b*), Joſeph Comes Garampius (*c*), ac P. D. Hieronymus Gradonicus Clericus Regul. (*d*). Verum, etſi cetera deeſſent, luculentiſſimum hujuſce rei teſtimonium in Humiliatorum monumentis habemus, apud quos non modo frequentiſſimæ erant viris mulieribuſque communes ædes; ſed ex Domorum Catalogo an. MCCCXLIV. conſcripto, quem mox memorabimus, aperte conſtat, multas quidem mulieribus tantum, ſed nullas fere ita viris patuiſſe ædes, ut iis mulieres excluderentur; itaque cum fratrum domus recenſentur, fratrum ſimul ac mulierum ibidem degentium numerus additur.

IV. Hunc ipſum Humiliatorum morem commemorat B. Humbertus Ord. Prædic. alias nobis laudatus. *In partibus Italiæ* (*e*), inquit, *eſt quoddam genus Religionis* (de Humiliatis alterius Ordinis loquitur), *in qua ſunt ſub eadem clauſura incluſæ quædam mulieres laicæ; ex alia parte quidam laici bonæ indolis, & apti ad laborandum, & ſic bene ſunt hujuſmodi domus ordinatæ*. Ita in ſeparatis ædium partibus viri ac mulieres degentes eodem templo utebantur, ita tamen, ut numquam ſimul convenirent. Itaque poſtquam viri Canonicas horas recitaverant, dato ſigno ſtatutum ſibi locum mulieres adibant, eaſdemque perſolvebant. *Similiter ſorores*, ait Marcus Boſſius, *poſt officium fratrum facto ſigno (hinc crediderim morem noſtrum pulſandi Campanellam chori poſt horam proceſſiſſe) laudes divinas in parte ipſius Eccleſiæ deputata pari modo perſolvebant*. Hæc ſcilicet Boſſius anno MCCCCXCIII. ſcribebat; quo tempore nullum amplius erat duplex cœnobium; ſed adhuc

Rr 2 vete-

(*a*) Preliminare alla Storia di Vicenza pag. 111.

(*b*) Chieſe di Verona Lib. III. pag. 165. e Lib. V. P. I. Prefaz.

(*c*) Memorie della B. Chiara da Rimini pag. 399. &c.

(*d*) Brixia Sacr. pag. 154.

(*e*) Biblioth. PP. T. XXV. pag. 474. Edit. Lugdun. 1677.

veterem morem viguiſſe indicat, ut abeuntibus fratribus ſorores dato ſigno advocarentur. Alterius tamen Chronici auctor innuit, proprium fuiſſe ſororibus ſacellum, in quo Divinis laudibus vacarent: *Nec non ſuæ Religioſæ ſeparatæ in alio Oratorio devote pſallebant divinum Officium horis debitis*. Ego vero utrumque morem invaluiſſe arbitror, ut alibi communi cum Fratribus, privata alibi ac propria ſacra æde mulieres aut ſaltem ſacello aliquo uterentur, quod ex ipſis Humiliatorum Conſtitutionibus colligere mihi videor: *Conſtruantur feneſtræ*, (ita in illis), *ubi commode fieri poterit, in muris ipſarum Eccleſiarum, unde Sorores videre valeant corpus Chriſti. In Eccleſiis vero & Oratoriis, in quibus Sorores habent altaria, communicentur ad ipſa, & candelas, & cineres recipiant, & olivas*. Jure itaque Blancolinius Brunaccium oppugnat, qui communes omnino atque indiſtinctas viris mulieribuſque ædes fuiſſe ſcripſerat, eodemque omnes odæo uſos.

V. Plura porro prudenter ab Humiliatis conſtituta fuerant, ut qui ex hac ædium communione oriri poterant abuſus, prohiberentur: *In ſingulis autem Domibus Ordinis* (ita in eorumdem Conſtitutionibus legimus) *in muris Eccleſiarum ſeu Oratoriorum fiant feneſtræ ferreæ perforatæ minutim, ubi audiantur Sororum Confeſſiones, & non alibi niſi cauſſa infirmitatis; & provideatur ſemper, ut Sacerdos & Soror a pluribus videri poſſint*. Et alibi: *A Sororibus autem ſic omnes caveant, ut nullus aliquo tempore ſine licentia Præpoſiti vel ejus Vicarii ipſarum Clauſtrum ingrediatur, vel, ubi ſentit aliquam, appropinquet, ut cum ea voce vel ſigno loquatur .... Conſtruatur quidem Loquutorium in Clauſtro Sororum cujuslibet Domus ita clauſum ex parte Sororum, ut exiſtentes in ipſo videre non valeant Sorores ambulantes vel laborantes in Clauſtro vel e converſo: & in muro ipſius Loquutorii feneſtra ferrea ſic denſa ponatur, ut nulla mulier poſſit inde manum mittere ullo modo*. Hæc aliaque his ſimilia caverant Humiliati, ut communium hæc Domorum ratio periculo vacaret. Nihilominus Joannes XXII. iis, quas commemoravimus, literis

an.

an. MCCCXXVII. datis, quas ſuo loco edemus, non ſolum communia hæc, ſed proxima etiam virorum ac mulierum cœnobia tolli juſſit. Sed quæ Joannes edixerat, non ita facile potuiſſe ad exitum perduci videntur. Etenim in Humiliatorum Comitiis an. MCCCXLI. Bergomi habitis lex hujuſmodi lata eſt: *Si contingat, quod Sorores alicujus Domus, habentis fratres & ſorores ſimul, velint a Fratribus ſeparari, & hoc fuerit de beneplacito tam Sororum quam Fratrum, ſeu majoris partis, Dominus Magiſter cum Viſitatoribus ejuſdem Ordinis eamdem ſeparationem faciat ... taliter ... quod locus habitationis dictarum Sororum diſtet a loco Fratrum, a quibus fuerint ſeparatæ, ad minus per brachia quinquaginta, & ſaltem una ſtrata publica ſit in medio.* Validius aliquanto Pontificii decreti executio urgeri cœpit in Novocomenſibus Comitiis an. MCCCXLIII., in quibus dignitate ſua exui Præpoſitus quicumque aut Prælatus jubetur, qui in virorum domos mulierem aliquam in Sororem receperit. Quæ tamen antea communes has domos incolebant, eaſdem plerumque tenuerunt; hinc in Catalogo an. MCCCXLIV., cujus jam meminimus, ſingulis Fratrum domibus ſuus additur Sororum numerus; quamvis ex iiſdem domibus nonnullæ pauciſſimas jam alerent, aliqua etiam nullas. Itaque nullis deinceps mulieribus in illas admiſſis, & veteribus paullatim obeuntibus, ſæculo circiter XIV. exeunte, nulla fere amplius communia ſuperfuiſſe Humiliatorum cœnobia arbitror; certe vix ulla amplius illarum mentio in eorumdem monumentis occurrit; nulla autem omnino, quod ſciam, poſt an. MCCCCIV.

VI. Illud etiam hoc loco eſt inquirendum, utrum ita domibus iiſdem Humiliatæ Sanctimoniales includerentur, ut egredi nullo pacto, niſi facta ab Epiſcopo Romanove Pontifice facultate, illis liceret; quæ perpetuæ, ut ajunt, clauſuræ lex, præſertim poſt Tridentinam Synodum, apud Sanctimoniales omnes Religioſa vota emittentes, recepta eſt. Aſt aliter rem olim habuiſſe, nemo ignorat. Quamvis enim nonnulla Sanctimonialium cœnobia

nobia hac lege, quam ſponte amplexæ fuerant, tenerentur, plerumque tamen juſtis de cauſſis, ac domus Præſide conſentiente, cœnobio egredi illis licebat, ut inter ceteros Cl. Mabillonius oſtendit (*a*). Poſtremi hujus generis Humiliatarum cœnobia fuiſſe, pluribus monumentis docemur. Braidenſe enim Chronicon de illis loquens, *clauſæ*, inquit Cap. VI., *in debitis Monaſteriorum clauſuris... nec inde exibant niſi urgente cauſa*. Quæ loquendi ratio ſatis indicat, non paſſim quidem, ſed gravi de cauſſa prodeundi facultatem factam illis fuiſſe. Quin immo, cum multæ ex Humiliatorum alterius Ordinis domibus ſacra æde olim aut Sacerdotibus carerent, non Fratres tantum, ſed Moniales etiam ad alia ſe templa conferre ſolitas fuiſſe, & Gregorii IX. X. Cal. Febr. an. MCCXXXVI., & Innocentii IV. Idib. Novemb. MCCXLVI. literæ teſtantur, ſuo loco edendæ. Juſſit enim Innocentius in ipſis alterius Ordinis domibus ſacras ædes excitari, in quibus Fratres æque ac Sorores Sacris intereſſent; quas Innocentii literas Alexander IV. etiam aliis X. Cal. Apr. an. MCCLVI. datis confirmavit. At Bonifacius VIII. Canonicam de Sanctimonialium clauſura legem tulit primus, edixitque, ut impoſterum nulla ratione exitus illis pateret, *niſi forte tanto & tali morbo evidenter earum aliquam laborare conſtaret, quod non poſſet cum aliis abſque periculo ſeu ſcandalo commorari* (*b*). Bonifacii legem ſervandam Humiliati curarunt: habemus enim in eorumdem Conſtitutionibus (*c*): *Nulla quoque Soror portam ipſarum Sororum egrediatur, ſed ſub clauſura maneat perpetua juxta Conſtitutionem Domini Papæ; nec aliqui Fratres Domos ipſarum aliqua de cauſa ingrediantur, niſi per Dominum Magiſtrum vel ejus Vicarios ad hoc ordinati ſeu licentiati fuerint*. Sed quemadmodum Bonifacii conſtitutio non ita recepta eſt,

(*a*) Annal. Ord. S. Bened. T. I. pag. 61.

(*b*) Sext. Decret. Lib. III. Tit. XVI. de Statu Regul. Cap. unic. *Periculoſe*.

(*c*) Diſtinct. II. Cap. IV.

Digitized by Google

eſt, ut ab omnibus ſervaretur, ita etiam apud Humiliatos, cum nondum domibus ſingulis ſua eſſet ſacra ædes, haud raro ut ſacris intereſſent, cogebantur Sanctimoniales cœnobiis egredi; quod cum ad Benedictum XI. perlatum eſſet, literis ſuis IV. Id. Febr. MCCCIV. datis, ne id impoſterum fieret, Humiliatorum Magiſtro mandavit, ut plures Humiliatorum domos ita conjungeret, ut ſuum eſſet ſingulis, quo commode uterentur, templum. Quod tamen in pleriſque Sanctimonialium cœnobiis, idipſum inter Humiliatos contigiſſe arbitror, ut difficilior quidem pateret deinceps e Monaſterio exitus, non tamen intercluderetur omnino; donec Tridentinæ Synodi lex intervenit.

VII. Hæc dicenda erant, ut, quæ eſſet Humiliatorum in ſuis domibus vivendi ratio, cognoſceremus. Nonnulla nunc de earumdem numero generatim animadvertenda, ne eadem in Diſſertationis decurſu repetere ſæpius cogamur. Ac plurimas fuiſſe in Inſubria præſertim, in Mediolanenſi vero urbe atque agro potiſſimum, Humiliatorum domos, mox conſtabit. Nec vero eſt cur miremur: cum enim lana præſertim facienda ſe Reipublicæ utiliſſimos probaſſent Humiliati, non ad urbes tantum, ſed ad pagos ipſos ultro invitabantur, ut arte illa exercenda iiſdem prodeſſent. At cum procedente tempore opificii hujuſce ardor, quo domus ipſæ ſuſtentabantur, paullatim, ut oſtendimus, deferbuiſſet, ex domibus iiſdem complures ita in deterius collapſæ ſunt, ut alendis Fratribus ac Sororibus impares omnino eſſent. Itaque Benedictus XI. iis, quas ſupra memoravimus, literis an. MCCCIV. datis, Humiliatorum Magiſtro conceſſit, ut plures ſimul domos, ſeu illarum redditus, conjungere illi liceret. Hinc, ait Joannes Braidenſis in Chronico, *ab anno 1298. uſque anno 1344. multas domos, ſcilicet centum ſexaginta ſex reperio diffalcatas in Civitate Mediolani & diœceſi. Tamen in intervallo prædicto Ordo alibi acquiſivit triginta & octo Cœnobia fratrum & ſororum; unde prædicta diffalcatio reſtat in centum viginti octo.* Enimvero conjunctiones hujuſmodi

modi plurimas tum ante, tum etiam poſt annum MCCCXLIV. deprehendemus, ſimulque Mulierum domos in Virorum cœnobia interdum, ac viciſſim mutata. At Urbanus V. qui ab anno MCCCLXII. ad annum MCCCLXX. Pontificatum geſſit, quacumque tandem de cauſſa, fieri illas impoſterum vetuit. Ipſas Urbani literas non habemus, ſed ſupereſt rei teſtimonium in Humiliatorum Comitiis anno MCCCLXXIV. Genuæ celebratis, in quibus hujuſmodi lex lata eſt: *Omnes uniones factæ in Domibus Ordinis noſtri a tempore inhibitionis Domini Urbani Papæ quinti, & econtra inhibitionem prædictam, quæ incipit:* Ad perpetuam rei memoriam: Intenta ſemper &c., *quatenus de facto proceſſerunt, de facto reſcindantur & annullentur, & pro nullis habeantur, & reſtituantur Domus ſic unitæ cum omnibus ſuis bonis in priſtinum ſtatum.* Nihilominus ſive Urbani literas revocandas Humiliati deinceps curarint, ſive Urbani lege ſoluti ſibi viſi ſint, multas adhuc conjunctiones hujuſmodi imperatas perfectaſque videmus.

VIII. Illud etiam ad Diſſertationem hanc intelligendam eſt animadvertendum, morem hunc fuiſſe Humiliatis, ut domos ſuas in urbibus poſitas ex pagi ſæpe alicujus nomine appellarent. Ita videmus domos *de Glaxiate*, *de Carugate*, *de Marliano*, *de Gallarate*, *de Blaſſono &c.* Mediolani fuiſſe, quæ Mediolanenſis agri pagorum ſunt nomina. Brixiæ pariter erant domus *de Palazzolo*, *de Herbuſco*, *de Gambara &c.* nominibus ex Brixienſis agri pagis deſumptis. Id vero duplici potiſſimum ex cauſſa contigiſſe arbitror; primo ſcilicet ex illorum nomine, qui domos eaſdem fundaverant; hinc enim plures Humiliatorum domos nomen traxiſſe videbimus, ut *domum fratris Ottatii*, *domum fratris Gulielmi de Applano*, *domum fratris Bonzii de Buſto Garulfi &c.* Porro cum familiarum nomina XII. & XIII. ſæculo a pagis, unde originem duxerant, frequentiſſime diſtinguerentur, factum hinc arbitror, ut qui Fundatorum familiæ, iidem etiam fundatæ domui nomen pagi tribuerent. Certum rei monumentum habemus in Brixienſi

domo

domo *de Gambara*, quam ab Alberico de Gambara ædificatam fuiſſe videbimus. Alteram hujuſmodi appellationis cauſſam hinc ducendam exiſtimo, quod cum plurimas hac illac in pagis diſperſas domos Humiliati haberent, illoſque oporteret lanæ præſertim cauſſa ſæpe ad urbem accedere; domos ſibi quaſdam in urbe ipſa hoſpitandi cauſſa exſtruerent, ab iiſdem pagis appellatas; ad quas etiam deinde pagis relictis ſe ſuaque omnia interdum transferrent. Egregium hujus appellationis exemplum habemus in Innocentii IV. literis XXV. Junii an. MCCLI. datis, quas alias commemorabimus; ibi enim nominari videmus *Fratrem Arnoldum de Vedano Miniſtrum Humiliatorum medii Ordinis, qui habitare conſueverunt Modoetiæ in domo, quæ dicitur communis Fratrum Humiliatorum, qui nunc habitant in Suburbio S. Laurentii majoris extra Portam Ticin.* En Humiliatorum domum Modoetia Mediolanum deductam; hæc tamen Modoetienſis domus nomen ſervavit; etenim in *Proceſſu Guillelmæ Bohemæ* an. MCCC., de qua ſermo erit, ubi de domo *de Blaſſono* loquemur, nominatur: *Domus humiliatorum domus de Modoetia ſita in burgo porte ticinenſis foris*. Quod vero hic accidiſſe videmus, potuit profecto alias etiam contingere, ut & hoſpitia quædam Humiliati pagorum incolæ in urbe haberent, & ad illa interdum ex pagis ipſis deducerentur, urbaniſque domibus pagorum, e quibus abierant, nomen imponerent. Magna interim ex hiſce appellationibus difficultas exoritur; eadem enim non raro domus nunc a pago aliquo, nunc a Sacræ Ædis titulo, nunc alio etiam nomine nuncupatur, ut facilis proinde ſit in errorem lapſus, poſſitque quis interdum unam eamdemque domum in duplicem triplicemve partiri. De quibus Lectorem monitum volumus, ne nobis ſuccenſeat, ſi interdum in hac Diſſertatione labi nos videat, nec ſatis accurate diverſas domorum nuncupationes, præſertim ubi de remotis urbibus ſermo erit, diſtinguere.

IX. Antequam autem de ſingulis Humiliatorum domibus diſſe-

diſſerere aggredior, de earumdem Catalogis, quibus uſus ſum, breviter dicendum eſt. Omnium antiquiſſimus ille eſt, quem Guidottus Riboldus Generalis Humiliatorum Magiſter an. MCCXCVIII. conficiendum curavit, cujus unicum hactenus vidi in Braidenſi hac noſtra Bibliotheca exemplar. Ejuſdem Epitomen ſuo Chronico inſeruit Joannes Braidenſis, domorum ſcilicet ſummam per ſingulas provincias recenſens, ſed domorum ipſarum, aut urbium pagorumque, in quibus eſſent, omiſſis nominibus. Catalogus alter eadem ratione conſcriptus eſt anno MCCCXLIV. Jacobo de Lemine Humiliatorum Magiſtro, ubi etiam, quot fratres ſororeſque atque etiam domeſtici famuli alerentur in ſingulis, explicatur: hunc etiam Joannes Braidenſis in ſuum Chronicon intulit; & alium pariter, ſed neſcio quo anno confectum, quo non omnes, ſed nonnullæ tantummodo domus recenſentur, ut quæ ad primum pertinerent, quæ ad alterum Ordinem, conſtaret. Habemus etiam Præpoſitorum nomina, qui Humiliatorum Comitiis an. MCCCCXXXV. MCCCCXXXVI. MCCCCXCI. MDLII. interfuerunt, qui totidem domorum Catalogi haberi poſſunt. Habemus denique domorum Catalogum, cum de extinguendo Humiliatorum cœtu agebatur, confectum, quo quæ adhuc ſupereſſent domus, quin etiam ſinguli illarum incolæ nominantur, quem nos Catalogum anni MDLXX. appellabimus. Ad Mediolanenſes vero Humiliatorum domos illuſtrandas egregiam nobis operam præſtiterunt duo Codices MSS., qui in Metropolitanæ hujus Eccleſiæ Capituli Bibliotheca ſervantur. Alter inſcribitur: *Notitia Cleri Mediolanenſis circa illius immunitatem de anno* 1398. (*a*): Alter: *Liber decimarum antiquarum* 1404. (*b*). Sed multum adhuc huic tractationi defuiſſet, niſi & ſingularum urbium hiſtoricos, quos nanciſci licuit, diligenter evolviſſemus, ac ſtudio præſertim & labore

(*a*) Cod. MS. ſign. I 60. in fol.
(*b*) Cod. MS ſign ✠ 69. in fol.

& labore eruditorum hominum multorum fuiſſemus adjuti, qui egregios de Humiliatorum in diverſis urbibus domibus Commentarios, ac monumenta ad illas pertinentia ad nos ſubmiſerunt, quos ſingulos ſuo loco commemorabimus. In iis vero Catalogis, quos indicavimus, primi tantum alteriuſque Ordinis domus recenſentur, iis omiſſis, quæ ad Fratrum tertii Ordinis Conventus adhibebantur. Has etiam nihilominus, ſi quando earum nomina in monumentis noſtris occurrant, breviter indicabimus. Ad primumne an ad alterum Humiliatorum Ordinem domus ſingulæ pertinerent, plerumque non inquiremus; tum quod non magni hoc intereſſe videtur; tum quod ex Braidenſi Chronico edendo id ſatis conſtabit, cui, ut diximus, hujuſmodi Catalogum auctor addidit; tum denique quod extremis præſertim temporibus nullum amplius viguit inter utrumque Ordinem diſcrimen. Sed jam de ſingulis dicere aggredimur; qua in re antiquiſſimo Catalogo an. MCCXCVIII., tamquam duce, utemur, cui deinde poſteriores reliquos comparabimus. Totam autem hanc Diſſertationem bifariam partimur. Mediolanenſes prima, ceteras Humiliatorum domos pars altera complectetur.

PARS I.

DE MEDIOLANENSIBUS HUMILIATORUM DOMIBUS.

MONITUM.

*Poſt primam ſeptimæ hujus Diſſertationis partem confectam, quæ de Humiliatorum domibus eſt, in urbe atque in agro Mediolanenſi poſitis; cum non ita veterem urbis topographiam atque agri univerſi chorographiam me aſſequutum confiderem, ut non potuiſſe permulta mihi excidere arbitrarer, quæ emendanda eſſent, cum humaniſſimo, atque in his ſtudiis egregie verſato Georgio Comite Julinio communicandam illam duxi. Quod cum præſtitiſſem, eas ad me literas humanitate ſimul atque eruditione plenas vir doctiſſimus dedit, ut opportunum viſum ſit eaſdem publici juris facere. Illas itaque Diſſertationis hujus Parti I. adjectas habes; atque ubi in ipſo Diſſertationis decurſu notam * margini appoſitam invenies, indicio tibi erit, Cl. Scriptoris Epiſtolam conſulendam eſſe, qua opinio mea aut novis rationum momentis fulcitur, aut contrariis oppugnatur, aut monumentis aliis illuſtratur.*

I. SI *quis deſideraverit ſcire*, hoc eſt Catalogi initium, *particulariter predictas domos Ordinis, que reperte fuerunt tempore predicti fratris guidotti tunc generalis magiſtri per definitores capituli generalis, legat ut infra. Et primo in fagia de Mediolano &c.* Catalogus hic ſcilicet Humiliatorum domos in plures fagias dividit. *Fagia* porro quid ſit, erudite nuper diſſeruit Cl. Comes Julinius (*a*), oſtendens olim hoc nomine pagos omnes intra ſextum ab urbe lapidem vocari ſolitos;

(*a*) Mem. di Mil. T. VII. pag. 271.

ſolitos ; nunc vero publicas intra eoſdem fines ad urbem vias, aut etiam viarum earumdem inſtaurandarum curam, quæ in pagos ſingulos dividitur, deſignari ; additque pagos omnes hujuſmodi urbi circumpoſitos in ſex *fagias* probabiliter diſtributos fuiſſe, quæ ſex urbis portis reſponderent. Simili quodam ſenſu vox eadem in Catalogo noſtro uſurpatur, ut ſcilicet partem ſeu provinciam ſignificet ; ita dicitur *in fagia de Mediolano*, *in fagia de Marteſana*, *in fagia de Cremona &c.* Cum autem hic *fagiam de Mediolano* nominat, urbem cum ſuburbiis intelligit ; quod ex ejuſdem Catalogi Epitome comprobatur Braidenſi Chronico addita, ubi hæc habentur : *In Civitate Mediolani, & in Burgis erant domus fratrum cum ſuis Monachabus viginti & una ; Cænobia Religioſarum ſeparata a fratribus erant trigintaquinque.* Totidem porro in *fagia de Mediolano* recenſentur, duabus inſuper additis, domibus ſcilicet de Vicoboldono, & de Miraſole ; quæ quamvis extra urbem poſitæ eſſent, urbanis tamen accenſentur, tum dignitatis, ut arbitror, cauſſa, quod ex præcipuis primi Ordinis domibus eſſent, & Vicoboldonenſis etiam ceteras omnes, præter Rondenarienſem, antiquitate præſtaret ; & quod non longe ab urbe abeſſent, præſertim domus Miraſolis, qui pagus eſt intra illos urbi proximos fines, quos vulgo *Corpi Santi* dicunt.

II. Itaque *in fagia de Mediolano*, ut cum Catalogo noſtro pergamus, *prima erat domus fratrum brayda*. Domus hujuſce originem atque etymon ſatis evolvimus Diſſertat. II. num. XIX. & ſequ.. Supereſt itaque, ut nonnulla alia ad domum hanc pertinentia explicemus. Communem illam fuiſſe jam ab ejuſdem initio fratribus æque ac ſororibus, ibidem vidimus ; quod, ne eadem aſſidue iteremus, ſemper intelligendum eſt, ubi Fratrum Humiliatorum domus indicantur. Nec vero antiquitate tantum, ſed incolarum etiam numero ceteris Braidenſis domus fere omnibus præibat. Chartam anni MCCXXVII. XIII. Calend. Novemb. in Archinteæ familiæ tabulario aſſervatam commemorat Cl. Julinius

nius (*a*), qui etiam ejuſdem exemplar mecum communicavit, ex qua triginta fratres, ac dudi ſupra viginti ſorores ædes has incoluiſſe colligimus. Anno autem MCCCXLIV. auctum quidem fratrum, ſed imminutum ſororum numerum videmus; ita enim in illius anni Catalogo: *Prima erat domus Breræ, quæ habebat fratres triginta ſeptem; ſorores ſeptem; famulos decem.* Hæc porro plerumque erat Generalium Magiſtrorum ſedes, ut ex pluribus monumentis diſcimus.

III. Ad Braidenſe autem templum Deiparæ naſcenti ſacrum quod attinet, multum in illius origine ſtatuenda erravit Helyottus (*b*). Si hunc audimus, Mediolanenſes nonnulli, cum a Friderico Ænobarbo poſt patriæ excidium in Germaniam ablegati fuiſſent, Humiliatorum habitum legeſque ſe ſuſcepturos, novoque templo patriam ornaturos voverunt, ſiquidem libertatem a Cæſare impetraſſent. Quapropter cum albis veſtibus induti ad illius pedes procidiſſent, quam vetuſtiores Humiliati in Henrico I., eamdem illi in Friderico clementiam experti ſunt. Itaque voti compotes facti, ac Mediolanum reduces, Braidenſe, quod adhuc viſitur, templum excitarunt. Hæc Helyottus. At narrationem hanc fabulis ſcatere totam, facile oſtendemus. Mitto enim, in tribus Humiliatorum Chronicis ne verbum quidem hac de re innui. Certe nemo umquam hanc Braidenſis Eccleſiæ originem excogitavit, præter Hieronymum Curtium, ſcripti cujuſdam a nobis Differt. III. num. XIII. memorati auctorem; ubi nonnulla de Humiliatorum hiſtoria attingit; ſed non in Humiliatorum tantum, verum etiam in Italiæ rebus parum illum verſatum fuiſſe nonnulla produnt, quæ ibidem refert; quale illud eſt præſertim, Humiliatos jam ab anno MXXXIV. in multis Italiæ urbibus domum habuiſſe, ac præſertim Alexandriæ; quam urbem pluſquam

(*a*) Ibid. pag. 410.

(*b*) Hiſt. des Ordr. Relig. T. VI. Cap. XIX.

pluſquam ſæculo integro ſerius ædificatam fuiſſe nemo ignorat. Verum etſi hæc deeſſent, Braidenſis Eccleſiæ exſtruendæ facultatem nonniſi XIII. ſæculo jam inchoato a Philippo Mediolanenſi Archiepiſcopo Braidenſibus Humiliatis factam fuiſſe, ipſius Philippi literæ certiſſime teſtantur. Illas ex Bibliotheca noſtra publici juris jam fecit Cl. Julinius (*a*). Ac nulla quidem temporis nota illis apponitur; ſed Philippus hic alius præter Philippum de Lampugnano eſſe nequit, qui ab anno MCXCVI. ad an. MCCVI. Mediolanenſi Eccleſiæ præfuit. Porro optime conjicit laudatus auctor, anno circiter MCCI. datas illas fuiſſe, tum quod veriſimile ſit, facultatem hujuſmodi poſt comprobatas ab Innocentio III. eorumdem leges fuiſſe Humiliatis conceſſam; tum etiam quod inter ſubſcriptores Guillelmus Balbus Mediolanenſis Eccleſiæ Archipresbiter apparet, qui Ordinarius tantum Canonicus ante illum annum appellatur.

IV. Tamen nonniſi anno MCCXXIX. Braidenſe templum conſtructum fuiſſe, ex Goffridi Cardinalis atque Apoſtolicæ Sedis Legati literis *Alberto ejuſque confratribus & toti Congregationi domus ſite in braida* datis IV. Id. Januarii ejuſdem anni, memoratus Auctor conjicit (*b*): illis enim facultatem a Philippo Archiepiſcopo Braidenſibus Humiliatis olim conceſſam approbat renovatque. Quam diligentiſſimi Scriptoris conjecturam aliud Bibliothecæ noſtræ monumentum egregie confirmat. Chartam enim habemus an. MCCXXX. *nono die ante Kal. Martias* ſignatam, qua conventiones nonnullæ inter Braidenſes Humiliatos, & Guillelmum Eccleſiæ S. Euſebii presbiterum ineuntur, in qua Braidenſis Eccleſia non ſemel vocatur *de novo exſtructa*. Clarius autem id ipſum ea verba indicant, quæ chartæ eidem a tergo addita ſunt: *Privilegium pro Eccleſia domus brayde, que edificata fuit MCCXXVIIII.*

(*a*) Mem. di Mil. T. VII. pag. 189. & 566.

(*b*) Ibid. pag. 418.

MCCXXVIIII. primo Junii. Ubi vides non annum tantummodo, ſed diem etiam indicari, ſive tandem inceptæ, ſive perfectæ conſtructionis dies ſignificetur. Attamen Braidenſis Chronici auctor contrarium ſtatuere videtur: ubi enim de Loderengo tertio Humiliatorum Magiſtro eſt ſermo, hæc habet: *Iſte Magiſter Loderengus poſuit primarium lapidem Eccleſiæ de Marliano Mediolani Portæ Ticinenſis & benedixit Cimeterium die* 23. *Januarii hora prima anno Domini* 1275. *ex conceſſione ibi data per Dominum Gregorium Epiſcopum Ferrarienſem tunc Legatum; quod fuit poſt ædificationem Eccleſiæ de Montelupario* (vulgo *Monlovè*) *fratrum Breræ annis octo, & poſt ædificationem Eccleſiæ veteris de Brayda annis ſexaginta ſeptem* (quo loco emendandus Sormannus (*a*), qui legit 77.), *ut comprehendi in Scripturis veteribus domus meæ*. Ex quibus videtur Braidenſis Eccleſia anno MCCVIII. conſtructa fuiſſe, ex quo ad annum MCCLXXV., ſeptem ipſi ac ſexaginta anni fluunt. Sed quid Chronici Scriptorem deceperit, video. *Scripturas* ſcilicet *domus ſuæ*, nempe Braidenſis, ille appellat, eaſdem quas nos ipſi commemoravimus. Viderat enim Philippi Archiepiſcopi literas, quibus Braidenſis Eccleſiæ conſtruendæ facultas Humiliatis fiebat, quibus nulla temporis nota apponitur: ſed a tergo hæc adduntur: *Privilegium de conceſſione Eccleſie de brayda conceſſum, ut in quadam bulla Innocentii III. ante anno D. MCCCVIII. comprehenditur fuiſſe facta, quando confirmavit domum fratrum vallis Orliani*. Hæc ſcilicet recentior aliquis Humiliatus, quem tamen ſæculo ſaltem XIV. ex characterum forma vixiſſe conjicio, hæc, inquam adjecerat, ut chartæ illius ætatem quoquomodo ſtatueret; cum enim in memoratis Innocentii III. literis ad Fratres Orlianenſes anno MCCCVIII. datis, quas ſuo loco proferemus, videret Philippum, a quo facultas illa conceſſa fuerat *bone memorie* appellari, optime hinc argumentatus eſt, Philippum vita jam tum exceſſiſſe, illiuſque

(*a*) Storia degli Umil. pag. 101.

illiuſque proinde literas ante illud tempus exaratas fuiſſe. At Joannes Braidenſis cum multo poſt ſcriberet, nempe anno MCCCCXIX., quo tempore multa, quæ prioribus temporibus acciderant, oblivioni tradita jam fuerant, verba illa ſic interpretatus eſt, tamquam veram Braidenſis Eccleſiæ conſtructionem deſignarent. Sed quamquam huic difficultati diluendæ impares eſſemus, monumentorum auctoritas adeo auctoritatem Chronici ſuperat, ut, ubi illa adſint, hujus teſtimonium rejicere tuto poſſimus.

V. Illud etiam ſupereſt inquirendum, eamdemne, qua nunc utimur, Eccleſiam per id tempus Humiliati conſtruxerint. Hæc quidem eſt Cl. Comitis Julinii ſententia (a): ſed hac in re a doctiſſimi viri opinione recedere cogor. Ac primo contrarium, ni fallor, allata Braidenſis Chronici verba evincunt. Quid enim illa ſignificant: *poſt ædificationem Eccleſiæ veteris de Brayda*, niſi novam deinde poſt annum MCCLXXV., de quo ſcribebat, conſtructam fuiſſe, ut proinde Lectores monitos voluerit voce illa *veteris* adjecta, ne novam illam, quæ tunc, dum ſcriberet, extabat, ante annum MCCLXXV. extitiſſe arbitrarentur. Huc accedit, quod auguſtior ampliorque illa eſt, quam & iis temporibus recepta ædificandi ratio, & Humiliatorum illa ætate ſimplicitas ferre videatur. Ipſa autem Eccleſiæ ſtructura recentiorem profecto architecturam ſapit. Certiſſime vero externa ejuſdem facies ad ſæculum XIV. pertinet; cujus rei teſtem habemus inſcriptam marmoreo januæ ſuperliminari Epigraphen: 1347. *Tempore prelationis Fratris Guilielmi de Corbetta prelati hujus domus magiſter Joannes balducii de Piſis hedificavit hanc portam*. Itaque arbitror, novam Braidenſis Eccleſiæ ædificationem per ea tempora contigiſſe. Quin etiam internam templi faciem ſæculo XVI. ineunte inſtauratam fuiſſe ſuſpicor, tum ex ipſa ejuſdem forma, quæ recentior

 vide-

(a) Memor. di Mil. T. VII pag. 418.

videtur, quam ut XIV. ſæculo congruere poſſit; tum ex numiſmate, quod in Muſeo noſtro ſervatur; quod hinc naſcentis Deiparæ (cui ſacrum eſt Braidenſe templum) effigiem exhibet, verbis his circumpoſitis: *Nativitas Sanƈte Marie Virginis*; inde conſuetum Braidenſis domus ſignum, ſcilicet B✠. hiſce verbis inſcriptis: *Fr. Primus de Criſpis Prepoſitus*. Hic autem ſeculo XVI. ineunte floruit, illoque Hieronymus Landrianus Vicario Generali eſt uſus; quod multis monumentis comprobatur. Veriſimile igitur eſt, interiorem Eccleſiæ ſtruƈturam renovatam ab eo fuiſſe, cujus occaſione numiſma illud cuſum fuerit.

VI. Domum hanc Eccleſiamque uſque ad Ordinis extinƈtionem tenuerunt Humiliati, ejuſque ultimus Præpoſitus ſimul ac Generalis Humiliatorum Magiſter fuit Aloyſius a Baſilica Petri. Deinde Joanni Paullo Cardinali ab Eccleſia Braidenſes ædes, eorumque redditus *commendati* ſunt (ſæpius in hujus Diſſertationis decurſu voce hac uti cogemur, ut illud indicemus, quod vulgo *dare in commenda* dicimus; minime quidem Latino, ſed neceſſario tamen vocabulo), hoc onere impoſito, ut ex Humiliatis viginti oƈto Presbiteros, & ſeptem Converſos, mille & quadringentis aureis quotannis attributis, in iiſdem ædibus aleret. Interea S. Carolus Borromeus amantiſſimus Societatis noſtræ patronus ac parens de Braidenſibus ædibus illi concedendis cogitabat; quin immo jam ab an. MDLXX. molitus id fuerat, ut ex nonnullis ejus epiſtolarum excerptis, quæ apud nos ſunt, conſtat. Ac Cardinalis ab Eccleſia Caroli conſilium probabat; atque hoc ipſum Caroli nomine a Pontifice petiit. Sed cum id S. Pius V. renueret, Carolus Braidenſes ædes S. Philippo Nerio ejuſque Sociis concedendas ſtatuit. Sed hoc etiam conſilium, neſcio qua de cauſſa, exitu caruit. Immo cum Romani Oratorii PP. iterum Carolus Mediolanum acceſſiſſet, jamque illi SS. Simonis & Judæ ædes incolerent, paullo poſt S. Philippi Nerii juſſu iterum Romam revocati ſunt, cujus rei cauſſas evolvit Cl. Oltrocchius

Google

chiſus (a). Sed hoc ſcilicet Vigilantiſſimo, Ampliſſimoque, quo nunc Mediolanenſis Eccleſia gaudet Antiſtite, Joſepho Cardin. Puteobonello debebatur, ut, quod S. Carolo haud licuit, feliciſſimo exitu ipſe perficeret. Cum enim jam ab anno MDCL. multi hujuſce urbis Presbiteri cœtum S. Philippi Nerii legibus inſtitutum conflaſſent, ſed nullam hactenus certam ſedem nacti eſſent, tandem Deiparæ ad S. Satyrum ædem amantiſſimus Præſul illis conceſſit, idque literis ſuis Kal. Mart. MDCCLIV. datis Benedictus XIV. P. M. comprobavit, qui etiam literis aliis XII. Dec. MDCCLVII. datis cœtum eumdem beneficiis juribuſque plurimis ornavit, maximo ſane hujuſce urbis commodo, quæ ex præclara hac piiſſimorum Saeerdotum Societate & uberrimos fructus percepit hactenus, & uberiores adeo in dies ſe percepturam ſperat. Sed ut ad Braidenſes ædes revertar, anno MDLXXII., cum S. Carolus Romam ad Pontificia Comitia adveniſſet, cum Cardinali ab Eccleſia, ac cum Gregorio XIII. Romano Pontifice nuper renunciato, de Braidenſibus ædibus Societati concedendis iterum agere cœpit. Res brevi ad exitum deducta. Cardinalis ab Eccleſia templum, ædes, ſacramque ſupellectilem omnem, ac mille quotannis aureos; S. Carolus Loirani prædium, quod ad Aronenſe Cœnobium Ord. S. Benedicti pertinebat, ſibi tunc commendatum, Societati attribuerunt, ut Collegium ibi ac Gymnaſium publico commodo aperiret. Quæ omnia Gregorius XIII. literis ſuis X. Cal. Jul. hoc ipſo anno datis confirmavit. Itaque die III. Octobris ejuſdem anni Joannes Baptiſta Caſtellus Borromei Generalis Vicarius ad Braidenſes ædes cum nonnullis e Societate accedens, Humiliatis ad ſtatuta alia loca juſſis diſcedere, in eaſdem Patres illos induxit. Anno vero MDLXXIV. Cardinalis idem ab Eccleſia, ut loco annuæ penſionis certum redditum novo Collegio aſſignaret, Badagii (vulgo *Baggio*) prædium,

(a) Vit. S. Car. Lib. III. Cap. VII. col. 160. not. c.

dium, quod ad eamdem Braidenſem Præpoſituram pertinuerat olim, illi attribuit. Quæ ſummatim ex MSS. Collegii hujus noſtri Annalibus excerpſimus.

VII. Poſt Braidenſem domum in Catalogo an. MCCXCVIII. recenſetur 2. *Domus de Vicoboldono*, qui pagus eſt ſæpe nobis jam memoratus. Porro ceteras omnes primi Ordinis domos præter Rondenarienſem, antiquitate & dignitate illa præſtabat, quod inde potiſſimum conſtat, quod ejuſdem Præpoſitus in Humiliatorum Comitiis ceteriſque compluribus monumentis primus poſt Rondenarienſem ſemper appelletur. Itaque quamvis non conſtet, quo potiſſimum anno illius initia ſint conſignanda, videntur tamen non multo poſt annum MCXL. protrahenda illa eſſe; præſertim ſi Vercellenſem domum, qua certe Vicoboldonenſis antiquior fuit, circa annum MCXLIV. conſtructam fuiſſe ſtatuamus, quod multi affirmant. Certior eſt Eccleſiæ ipſius ædificatio. Non ſolum enim auctores, atque inter ipſos Philippus de Caſtro Seprio, anno MCLXXVI. exſtructam illam teſtantur (a); ſed certiſſimum rei monumentum habemus in documento, quod Diſſertat. VI. num. V. commemoravimus. Ibi enim charta profertur *quarto menſis Februarii* (pridie ſcilicet, quam templi exſtruendi initium fieret) an. MCLXXVI., qua Guido ille piiſſimus de porta Orientali, optimeque de Humiliatorum cœtu meritus *dedit guadiam ex parte Congregationis fratrum Eccleſiæ Sancti Petri, quæ debet ædificari in loco Vicoboldono, Domino Juliano Præpoſito Eccleſiæ & plebis S. Juliani ad partem ipſius Eccleſiæ, eo tenore quod &c.* Videntur itaque Humiliati aliquandiu privatam aliquam ædiculam Vicoboldoni habuiſſe, qua ſacris fungerentur, donec an. MCLXXVI. templum S. Petro ſacrum exſtrui cœptum eſt. Quæ tamen nunc exſtat Eccleſia, anno tantum MCCCXLVIII. Guillelmo Faba ſeu Villa Præpoſito exſtructa fuit, ut Diſſert. IV. num. XVIII. diximus.

VIII.

(a) V. Giulin. Mem di Mil. T. VI. pag 478.

VIII. Alia nonnulla ſcitu haud indigna in eodem *Inſtrumento tranſactionis* memorantur; ac primo privilegia nonnulla Vicoboldonenſibus Humiliatis a S. Galdino, atque a Leone, aliiſque Mediolanenſibus Archiepiſcopis conceſſa. Atque ad S. Galdinum quod attinet, cum ille obierit anno MCLXXVI. XVIII. April. (*a*), dicendum eſt, aut illius literas ad Humiliatos datas fuiſſe, quo tempore Eccleſia exſtrueretur; neque enim arbitror cœptam V. Februar., potuiſſe ante XVIII. April. perfici; aut, quod veriſimilius eſt, dum publico templo nondum Humiliati uterentur. Ibi etiam ad an. MCCLVIII. Præpoſitus illius domus dicitur Conradus de Mantegatiis, eodemque anno alius ex Landrianorum familia Humiliatus nominatur, præter quinque illos, quos jam protulimus, nempe Fr. Florius de Landriano. Eodem anno XL. ibi Humiliatos vixiſſe colligimus; qui tamen numerus multum an. MCCCXLIV. imminutus fuerat; in Catalogo enim illius anni *fratres viginti & octo; ſorores ſeptem; famulos octo* Vicoboldonenſis domus alere dicitur. Plura etiam ad hujus domus dignitatem augendam acceſſerunt. Nam anno MCCLXXIII. Gregorius X. in Gallias proficiſcens, cum Vicoboldonum adveniſſet, ab Humiliatis hoſpitio exceptus eſt (*b*). Rodulphi etiam Habſpurgici Romanorum Regis literas nuper protulit Cl. Comes Julinius (*c*), quibus III. Non. Jun. an. MCCLXXXIX. Vicoboldonenſibus Humiliatis concedit, *ut aquam fluminis* (Vitabiæ) *tam pro Molendinorum utilitate, quam pro pratis & terris, que & quas in preſenti poſſident, vel in futurum adipiſci poterunt Domino concedente, ad ipſorum beneplacitum irrigandis, libere, & abſque ulla penſione ſeu preſtatione ... reddenda vel ſolvenda, per terras, poſſeſſiones dicte domus deducere, ac ea perpetuo uti poſſint*. In ejuſdem pariter domus Eccle-

(*a*) Giulini Memor. di Mil T. VI pag. 468. T. IX. pag. 77.

(*b*) Corius ad hunc an. Giulin. T. VIII. pag. 270.

(*c*) Memor. T. VIII. pag. 429 687.

Eccleſiam Joannis Galeatii Vicecomitis Mediolanenſium Ducis corpus illatum eſt, ac ſepultura donatum, cum ille an. MCCCCII. Meleniani obiiſſet (*a*). Ante Humiliatorum extinctionem commendata jam illa fuerat, quamvis adhuc ab Humiliatis nonnullis incoleretur; nec ego Vicoboldoni Præpoſitum ullum poſt Ludovicum Landrianum appellari vidi. Anno MDLXX. Antonello Arcimboldo commendata illa erat, ac ſex Humiliati Sacerdotes, Clerici duo, ac Converſi, ut ajunt, nonnulli, ibidem degebant. Ædes illæ ad Monachos Congregationis Montis Oliveti nunc pertinent.

IX. Sequitur deinde 3. *domus porte Vercelline*, *que dicitur de Oltatiis*, ubi tamen *de Ottatiis* legendum eſt. Domum hanc circa annum MCCXXXII. conſtructam fuiſſe, atque a fundatore domum *fratris Ottatii* olim appellatam fuiſſe, ac deinde *domum de Ottatiis*, ſeu Ottaciorum, jam oſtendimus Differt. II. num. XXVII. Ad alterum illa Ordinem olim pertinuit. Etenim in ſæpius memorato Necrologio ad VI. Non. Octobr. nominatur: *Fr. Johannes de Aquanigra prelatus hujus domus*, cujus nomen charactere ſatis antiquo notatur; tum paullo recentioribus notis ad V. Cal. Mart. *Fr. Jacobus de Varena primus Prepoſitus hujus domus*, ut hinc conſtet, non multò poſt fuiſſe illam primi Ordinis Humiliatis conceſſam. Hæc etiam non paucis ante extinctos Humiliatos annis commendata fuerat, ut vidimus cum de Mario atque Octaviano Picio ſuperiore Diſſertatione ageremus. Ptolomæus Cardinalis Gallius illius redditibus fruebatur an. MDLXXIII., quo tempore, permutatione inita cum Folinæ Sacerdotio in Forojulienſi agro, Præpoſituram hanc S. Carolus ab illo obtinuit, ac Mediolanenſi Seminario ſuo attribuit (*b*). At an. deinde MDLXXVIII., Seminarii Moderatoribus aſſentientibus, in Oblatorum S. Sepulchri

(*a*) Corius ad hunc an. Andr. Billius Hiſtor. Mediol. Lib. I. ſub init.

(*b*) Oltrocch. not. ad Vitam S. Carol. Lib. III. Cap. V. col. 245. not. *e*.

chri Collegium eamdem tranſtulit. In ipſas vero Præpoſituræ ædes Pauperum Senum Xenodochium ab eodem S. Carolo anno MDLXXIV. inductum eſt, eidemque Præpoſituræ reddituum pars aſſignata (a).

X. In eadem Vercellenſis portæ regione ſita erat, quæ proxime in Catalogo ſequitur 4. *Domus ſancti ſpiritus;* quæ quo anno exſtructa fuerit, Mediolanenſes Scriptores conſentiunt (b). Ajunt enim, anno MCCXCVII. Franciſcum, ſeu, ut alii vocant, Franchinum Parmenſem, Mediolanenſem Archiepiſcopum, cum Humiliati ædem Spiritui Sancto Sacram extra Vercellenſem portam ædificare aggreſſi eſſent, primum illius lapidem ſolemni ritu poſuiſſe. Arbitror tamen, ſin minus templum, certe Humiliatorum domum multo antea exſtitiſſe; neque enim in Catalogo anni MCCXCVIII. quarto loco illa numeraretur, ante alias ſcilicet multo antiquiores, ſi ſuperiore anno tantum excitata fuiſſet. Diſtinctius autem Joannes Baptiſta Cariſius ac Puricellius in MSS. hujus ædis locum in finibus Parœciæ S. Nicolai fuiſſe ſtatuunt, ubi nunc ſcilicet platea arci adjacens, eodemque circiter loco, quo veteres mœnium ruinæ viſuntur, vulgo *Tenaglia di Porta Vercellina;* quem locum videre eſt (c) in nuperrima Mediolanenſis Urbis Topographica charta, quam Juliniani Operis Volumini IX. adjectam vides. At cum anno MDXXXIX. Sanctimoniales, a quibus ædes S. Catharinæ de Rancate in Portæ Novæ Regione incolebantur, ad Cœnobium S. Catharinæ ad Cluſam deductæ fuiſſent, in ædes illas ſe veteriſque ſimul domus nomen Humiliati tranſtulerunt, easque a Spiritu Sancto appellarunt, ut Cariſius apud Latuadam refert (d). At Jacobus Philippus

(a) Latuada Deſcr. di Mil. T. IV. pag 414 &c.

(b) Chalcus ad an. MCCXCVII. Saxius Ser. Archiep. Mediol. T. II. pag. 762, Giulini Mem. T. VIII. pag. 492.

(c) Num 247.

(d) Deſcriz. di Mil. T. V. pag. 385.

lippus Beſta (*a*) anno tantum MDL. Humiliatos illuc commigraſſe ait. Humiliatorum cœtu diſſoluto, S. Carolus a Cardinali Alexandrino, cui etiam ante Humiliatorum extinctionem ædes illæ commendatæ erant, impetravit anno MDLXXIX., ut in eaſdem Helvetici Collegii alumni traducerentur, tribus Humiliatis, qui illas adhuc incolebant, alio dimiſſis (*b*). Novis deinde magnificentiſſimo opere exſtructis ſedibus Collegio Helvetico attributis, domus S. Spiritus a Virginibus, ſub S. Urſulæ patrocinio viventibus, incoli cœperunt, atque incoluntur adhuc; ac via illa, quæ olim Suburbium *de Rancate* appellabatur, nunc ab æde illa nomen accepit, diciturque vulgo *Borgo di S. Spirito* (*c*).

XI. Brevius expediemus eam, quæ deinde ſequitur 5. *domus de monteforti*. Eodem ſcilicet loco, ubi nunc PP. Clerici Regulares Congr. Somaſchæ ædes habent S. Petri de Monteforti appellatas, cognominem Præpoſituram habuerunt Humiliati. Nihil omnino de ejus origine conſtat, nec quidquam habemus, quod ad hanc domum pertinet, memoratu dignum. In Ottaciorum domus Necrologio ad II. Non. Januar. habemus: *Obiit Dominus Stephanus de Gallaranis Præpoſitus domus de Monteforti, olim Vicarius Generalis totius Ordinis Humiliatorum, in* 1530. Quod indicio eſt commendatam jam domum illam fuiſſe, ita ut extra illam Præpoſitus viveret. Anno MDLXX. Cardinali Morono commendata illa erat; ac quattuor tantummodo Humiliati Fratres ibi morabantur. Anno MDCXVI. PP. Congreg. Somaſchæ illuc deducti ſunt (*d*), ſed ex antiquis Humiliatorum ædibus vix quidquam ſupereſt.

XII. Quæ poſtea profertur 6. *domus porte borientalis*, de illius origine.

(*a*) Origine e maraviglie di Mil. MS. Lib. VI. Cap. VIII.

(*b*) Oltrocch. in Not. ad Vit. S. Car. Lib. V. Cap. XII. col. 461. not. *a*.

(*c*) Latuada loco cit.

(*d*) Idem T. I. pag. 212.

origine ſatis jam Diſſertat. II. egimus. Anno MCCI. ad tertium Humiliatorum Ordinem adhuc pertinebat, ut ibidem, & III. etiam Diſſertat. vidimus. Quo tempore primi Ordinis Humiliati in illam inducti ſint, non conſtat; ſed id profecto anno MCCLI. jam contigerat; etenim in literis Innocentii IV. eodem anno VII. Cal. Jul. datis, quas hac ipſa Diſſertat. num. XX. commemorabimus, hæc habentur: *præſente Fr. Jacobo de Varena Præpoſito domus de Porta orientali pro ſecundo Notario*. Eadem porro nunc domus de porta orientali, nunc S. Joannis Baptiſtæ, nunc etiam Canonica appellatur. Ita in charta an. MCCLXIX. IV. Auguſti, quæ in Mediolanenſis Seminarii tabulario ſervatur, nominatur *Fr. Jacobus dei gratia prepoxitus canonice domus fratrum porte horientalis*. Extremis Humiliatorum temporibus Joanni Franciſco Comiti Balbiano Præpoſitura illa commendata fuerat; qui cum anno MDLXV. Aprili menſe obiiſſet, Pius IV. ædes illas redditusque Mediolanenſi Seminario conceſſit: hinc III. Cal. Octobr. Seminarienſes alumni ad S. Joannis Baptiſtæ traducti ſunt; illiſque deinde novæ regia plane magnificentia ædes S. Carolo Borromeo exſtructæ ſunt. Hæc ex libro præſertim Mediolani an. MDCXCIII. edito conſtant, qui inſcribitur: *Stato dell' origine ec. del Ven. Seminario di S. Gio. Battiſta di Milano*.

XIII. Mediolanenſibus domibus accenſetur etiam 7. *domus de Miraſole*; ut num. I. vidimus. Erat porro hæc ex præcipuis Humiliatorum primi Ordinis domibus. Mediolani etiam ſacellum, ac forte ſacello additum hoſpitium, hujus domus Humiliatis erat. Etenim in Notitia Cleri Mediolanenſis an. MCCCXCVIII. inter urbanas Humiliatorum domos enumeratur illa his verbis: *Domus Fr. Humiliatorum de Miraſole cum capella S. Salvatoris prope S. Petri ad ortum*. Etiam ante Humiliatos extinctos commendari illa cœperat; atque anno MDLXX. Cardinali Altaempſio commendata erat; ad quem cum illa adhuc pertineret, anno MDLXXXI. egit cum illo S. Carolus, impetravitque, ut, Pontificis conſenſu

intercedente, Collegio Helvetico illius redditus attribuerentur (a).

XIV. Longior nobis habendus erit de ea, quæ proxime ſequitur, ſermo; ſcilicet 8. *Domus de glaxiate*. Breviter tamen omnia perſtringemus; quæcumque enim ad illius hiſtoriam pertinent, in *Chronico Glaxiatenſi* P. D. Placidi Puccinelli Mon. Caſinenſ. habes fuſe explicata. Nullum in ejuſdem cœnobii tabulario antiquius an. MCCCVIII. Glaxiatenſis domus monumentum invenit Puccinellus. Multo tamen antiquiorem illius mentionem in Ambroſiani cœnobii tabulario deprehendit Cl. Julinius, nempe ad an. MCCLVI. Porro, cum Humiliatorum res collabi inciperent, anno MCCCCXVIII. Fr. Balzarinus Mediceus de Nevate cum duobus tantum Fratribus ædes illas incolebat. Quo tempore, cum Caſinenſis Congregationis, quæ tunc Congregatio unitatis appellabatur, creſceret in dies fama, Eugenius IV. literis ſuis anno MCCCCXXXIII. Nonis Aug. datis, Glaxiatenſem domum Caſinenſibus attribuit ea præſertim de cauſſa, quod *propter Præpoſitorum ipſorum* (Humiliatorum) *culpam & negligentiam nulla viget* (in eodem cœnobio) *obſervantia regularis, divinus negligitur cultus &c.* Enimvero inter plurima ad hanc rem pertinentia monumenta, quæ, præter illa, quæ a P. Puccinello edita ſunt, in Glaxiatenſi Tabulario aſſervantur, quorum nobis copiam humaniſſime fecit digniſſimus ejuſdem cœnobii Abbas P. D. Joannes Benedictus Mediceus Serenius, chartam vidimus an. MCCCCXXXVI. 2. Septemb., qua plurimi in cœnobii illius vicinia degentes nonnullos ad Baſileenſem Synodum mittendos decernunt, ut quam miſera ac funeſta eſſet Glaxiatenſis domus, Balzarino Præpoſito, conditio teſtentur, ſimulque quantum illa ex novorum incolarum ſanctitate modeſtiaque tunc floreat. His itaque Eugenii literis freti Caſinenſes Monachi, necquicquam conquerentibus Humiliatis, in Glaxiatenſe cœnobium inducti

(a) Oltrocch. not. ad Vitam S. Car. Lib. V. Cap. XII. col. 452. not. b.

inducti ſunt. Nec tamen multa movere Humiliati ceſſarunt, ut ad veteres ædes reditus illis pateret. Verum eorumdem Comitiis Mantuæ anno MCCCCXXXVI. coactis, cum hac de re ageretur, decretum latum eſt, ut Pontificium decretum executioni mandaretur.

XV. At Balzarinus parum de Comitiorum decretis ſollicitus, novas moleſtias Caſinenſibus inferre, ac plurima cauſſari, ut illi Cœnobii poſſeſſione depellerentur. Verum anno MCCCCXXXIX. cogitationes ſuas alio convertere Balzarinus coactus eſt. De graviſſimis enim criminibus tum ipſe, tum Petrus de Muzano olim Glaxiatenſis domus profeſſus, accuſati, cauſſam ſuam dicere coram Petro de Alzate Ord. Prædic., Antonio de Rhaude Ord. Minor., & Thaddæo de Robiate Ord. Cœleſtinorum coactus eſt, quos Philippus Maria Mediolanenſis Dux cauſſam cognoſcere juſſerat. Hi vero re cognita die XV. Decemb. ejuſdem anni ſententiam his verbis conceptam tulerunt: *Dicimus ipſos fratres Balzarinum & Petrum reos compertos nefandorum criminum, quæ ab omni penitus religione plurimum diſtant, & pro honeſtate tacemus; ex quibus, ſi Laici forent, extremum ſupplicium multipliciter mererentur.... Nos tamen mitius agentes in eos, & ex honeſtis reſpectibus conſulimus, quod alibi in Monaſterio ſui Ordinis per Superiorem eligendo, abſque gravi carcere & abſque flagellis, ſub debitis tamen cuſtodiis vitam exigant in pœnitentiæ victu, donec forſan a ſuo Capitulo Generali remiſſionem habere mereantur*. Quamdiu hanc pœnam obierit Balzarinus, ignoramus. Certe uſque ad annum MCCCCXLVII. Caſinenſes nullam ab illo injuriam paſſos videmus. At eodem anno cum & Eugenius IV., & Philippus Maria Vicecomes obiiſſent, Balzarinus tum forte e cuſtodia dimiſſus, aliique ex Humiliatis nonnulli, facinoroſorum hominum manu ſtipati, Septembri menſe, dum Monachi Glaxiatenſes divinis laudibus per noctem vacarent, *violenta & armata manu*, ait Nicolaus IV. in literis ſuis Pr. Cal. Novemb. hoc anno datis, *more hoſtili impetum fecerunt in Prioratum*

 SS. Petri

SS. Petri & Pauli de Glaxiate Mediolani Ordinis S. Benedicti, portas confringentes, feras diſrumpentes, ſagittis & jaculis ceteriſque armorum generibus expugnantes, dilectos filios Monachos dicti Prioratus ibi habitantes partim vulnerantes, partim diripientes, inde ejecerunt, dictumque locum occuparunt. At qui per ea tempora Mediolani Reipublicæ præerant, re intellecta, Balzarino ſociiſque armata manu expulſis, iterum Caſinenſes in Glaxiatenſe Cœnobium induxerunt. Nicolaus vero V. iis, quas memorabam, literis ad Henricum Mediolanenſem Archiepiſcopum datis, illi in mandatis dedit, ut Humiliatos omnes anathemate feriret, ſi quidquam adhuc in Glaxiatenſes Monachos molirentur. In hunc modum controverſiæ aliquando finis impoſitus. Quid Balzarino acciderit, quaſve ille dederit ſui criminis pœnas, ignoramus.

XVI. Sed jam ad Catalogum noſtrum redeamus. 9. *Domus nova*, quæ corrupto vocabulo in altero Catalogo appellatur *de la Cánova*. Antiquiſſima poſt Braidenſem videtur illa fuiſſe inter Mediolanenſes domos; etenim has unice commemorat Humiliatorum in hac urbe domos Innocentius III. in literis ſuis an. MCCI. 11. Id. Junii; atque hoc forte nomine appellari cœpit, ut ab antiquiore Domo, Braidenſi ſcilicet, diſtingueretur. Poſtremis Humiliatorum temporibus hujuſce Domus Præpoſiti fuerunt Marius & Octavianus Picius, de quibus alibi. Marius vero Eccleſiam, quæ adhuc ſupereſt, S. Joanni Evangeliſtæ ſacram, conſtruendam primo, tum anno MDXLIII. conſecrandam curavit, cujus rei teſtem lapidem portæ impoſitum Latuada protulit (*a*). Humiliatis extinctis, Eccleſia Nobilium adoleſcentum Collegio addicta eſt, cujus ædificationi anno MDLXXV. manum adjecit S. Carolus, qui illius adminiſtrationem PP. Societatis Jeſu primum, tum deinde Oblatis Sacerdotibus commiſit (*b*), a Federico deinde Car-

(*a*) Deſcr. di Mil. T. V. pag. 187.

(*b*) Oltroch. in Not. ad Vit. S. Car. Lib. III. Cap. IV. col. 137. Not. *a*. *b*.

Cardinali Vicecomite elapſo ſæculo iterum PP. Soc. Jeſu concreditam. Ædes tamen, quas Humiliati incolebant, ex PP. Congreg. S. Joannis de Deo, eorumque Noſocomio, quod anno MDLXXXVIII. exſtructum fuit, conceſſæ (a).

XVII. Sequitur 10. *Domus de caſirate*, quæ deinde in altero Catalogo inter domos mulierum enumeratur, quod ſæpe factum fuiſſe jam monuimus. Memoratur hæc domus a Gothofredo de Buſſero (b); ſed quo tempore conſtructa fuerit, quo tempore aut qua ratione fratribus recedentibus ſolæ ibi ſorores manſerint, non conſtat. Monumenta nonnulla ad domum hanc pertinentia nobis exhibuit Cl. Oltrocchius, anno MCCCLXXXVI. ſignata; ex quibus etiam, quo illa loco eſſet, dignoſcimus. In charta enim XVIII. Auguſti hæc habentur: *In capitulo monaſterii ſancte Marie de caſirate Ordinis humiliatorum in porta nova, in parochia ſancti primi Mediolani foris, de mandato domine fiorole de marliano miniſtre, ubi aderant Johannola de Modoetia, petrola de bilicornis, & beltramola de litis profeſſe dicte domus facientes totum capitulum &c.* Porro S. Primi Eccleſia eo ferme loco erat, ubi nunc Helvetiorum Collegium, cui amplificando everſa illa fuit (c). Anno MCCCXCVIII. exſtitiſſe adhuc illam ex *Notitia Cleri Mediolanenſis* cognoſcimus. At paullo poſt domui *de Viglevano portæ orientalis* conjuncta eſt; ita enim in Libro *decimarum antiquarum* an. MCCCCIV. *Domus de Caſirate unita cum domo de Viglevano P. O.*

XVIII. Celebrior eſt, quæ deinde recenſetur. 11. *Domus de ſancto Calimerio*. Primam, ni fallor, hujuſce domus mentionem habemus in literis Henrici Septalæ Mediolanenſis Archiepiſcopi an. MCCXXVIII. XXVI. Aprilis datis, quibus S. Mariæ apud S. Apollinarem Monialibus hortum concedit eorumdem Mona-

ſterio

(a) Latuada Deſcriz. di Mil. T. V. pag. 284.

(b) V. Giulini Memor. T. VII. pag 413.

(c) Latuada Deſcriz. di Mil. T. I. pag. 101.

ſterio adjacentem; inter fines enim, quibus hortus clauditur, eſt *domus Humiliatorum* (a); quam hanc ipſam, de qua agimus, eſſe, locus ipſe indicat; utraque enim ædes invicem adjacet. Interdum autem nominatur *domus de S. Calimerio*, interdum *domus S. Mariæ de S. Calimerio*, interdum etiam *domus S. Mariæ extra portam Romanam*. Præfuit huic domui poſtremis Humiliatorum temporibus Galeatius Brippius. Hic Aloyſii Mediolanenſis Senatoris filius, cum ætatis annum XVII. circiter ageret, Humiliatis adſcribi cupiens a Leone X. impetravit, ut Præpoſituram ipſam, quæ *per liberam reſignationem fr. Bernardini de Piſis de la Mirandula... ſponte factam tunc vacabat*, adiret, quod literis ſuis anno MDXV. Cal. Januar. datis Leo indulſit. Multum porro Brippius in ædium templique inſtaurationem induſtriæ pecuniæque contulit. At anno MDLIX. Generalis Magiſter juſſus Præpoſituram ſuam anno inſequente Annibali Brippio, Pio IV. conſentiente, ad tres menſes conceſſit. Quæ fuerit tam brevis conceſſionis cauſſa, ignoro; ſed brevius adhuc illa uſus eſt Annibal; qui tribus menſibus nondum elapſis ſua ſe dignitate abdicavit: quare iterum per Pii IV. literas Galeatio eadem eſt reddita; quæ omnia ex Pii ipſius literis conſtant. Obiit Galeatius, Octaviano Picio teſte, an. MDLXVII., poſtquam ex hac ad Caravagienſem Præpoſituram traductus fuerat, ut ex Catal. an. MDLXX. conſtat, adjectamque illius tumulo, quem ipſe ſibi in S. Calimerii æde poſuerat, Inſcriptionem hujuſmodi protulit Picinellus (b): *Galeatius Brippius Aloyſii J. C. Equitis & Senatoris F., qui univerſo Humiliatorum Ordini primum Vicarius annos XXXIII. deinde Generalis Magiſter præfuit; cum Paulus IV. eidem Ordini, quod auri pondo duo quotannis ſibi pendere deſiiſſet, XX. millium Numorum aureorum mulctam dixiſſet, Romam profectus, ut ex ea ſumma XVII. millia detraherentur, a Pio IV. Pont.*

(a) Saxius Series Archiep. Mediol. T. II. pag. 679.

(b) Memorie antiche di Mil. pag. 36.

Pont. Max. per amicitiam & gratiam impetravit. Cœnobium hoc, cui Præpoſitus erat, vi bellorum quaſſatum refecit, & Templum exornavit; ſepulcrum, in quo dum a Deo excitaretur, conquieſceret, ſibi vivens fecit an. MDLXVI. Anno autem MDLXIX. Pius IV. literis ſuis XVII. Decemb. datis, quæ in Metropolitanæ Eccleſiæ tabulario ſervantur, Præpoſituræ redditus Metropolitano Mediolanenſi Capitulo attribuit. Clerici Regulares deinde in hac ædes invecti, donec ad S. Antonii deducti ſunt. Tum poſt mortalem an. MDLXXVI. luem pauperibus orphaniſque virginibus alendis Collegium ibi S. Carolus ſtatuit; quod hoc ſæculo ineunte diſſolutum eſt (*a*). Denique anno MDCCXIII. Saleſianæ, ut ajunt, Virgines in illas ædes inductæ; anno MDCCXVI. novum templum Deiparæ Eliſabeth inviſenti ſacrum extrui cœptum: ædes ipſæ ruinæ proximæ Joſephi Card. Puteobonelli ſplendidiſſimi ampliſſimique Antiſtitis opera ac ſumptibus iterum extructæ nuper atque amplificatæ.

XIX. Suburbium Mediolano extra Novocomenſem portam adjacet, ab iis, qui circumpoſitos hortos colunt, *Olitorum* appellatum. Ibi poſita erat, quæ deinde in Catalogo profertur 12. *Domus ſancte trinitatis*. Hæc olim ad S. Benedicti Monachos pertinebat; ſed anno MCCL. Leo de Perego Mediolanenſis Archiepiſcopus, cum Divinum ibidem cultum omnino negligi animadverteret, Eccleſiam *cum Eccleſia S. Mariæ in Campo ad dictam Eccleſiam pleno jure ſpectante Mediolanenſis Diœceſis* Humiliatis conceſſit; quæ omnia ex literis Innocenti IV. eodem anno XIII. Cal. Sept. datis conſtant, quibus Leonis donationem confirmat. Habes illas in nuperrimo Franciſcano Bullario (*b*); eaſque illuſtrat Cl. Julinius (*c*), qui *Eccleſiam S. Mariæ in Campo* eamdem eſſe arbitratur, quæ adhuc ad Novocomenſis agri fines exſtat, quæ ad

(*a*) Latuada Deſcriz. di Mil. T. III. pag. 26.
(*b*) Tom I. pag. 513.
(*c*) Mem. di Mil. T. VIII. pag. 58.

ad Minores Obſervantes pertinet. Hanc SS. Trinitatis domum ad extinctionem uſque Humiliati tenuerunt. Matthæo Annibaldo poſtea commendata eſt; quo demortuo S. Pius V. Seminario Mediolanenſi redditus illos attribuit (*a*). Eccleſia vero ipſa Parœciæ deinde juribus donata eſt.

XX. Ad extrema uſque tempora pariter domus altera Humiliatis fuit, quæ proxime ſequitur, nempe 13. *Domus de la Canonica*. Multo ante Humiliatorum exordia *Canonicæ Eccleſiam* extitiſſe eo ipſo loco, ubi deinde fuit Humiliatorum domus, conſtat ex B. Arialdi Vita a Puricellio edita (*b*). Quo tempore illam Humiliati adierint, ignoramus; ſed ex Catalogo hoc noſtro aliiſque monumentis erraſſe patet Cl. Sormannum, cum id an. MCCCLXII. contigiſſe ait (*c*). Narrat quidem Corius (*d*), Mediolanenſes nonnullos anno MCCCLXI. ſacrum Deiparæ Virgini & Joanni Baptiſtæ templum extra Portam Novam exſtruxiſſe. At hoc, ſiquidem de Canonicæ Eccleſia intelligendum ſit, (dubium enim me reddit, quod numquam illam S. Joannis Baptiſtæ nomine deſignatam video), certe de nova inſtauratione, non de prima ædificatione intelligendum eſſe oſtendunt, quæ nuper diximus. Alio etiam nomine domus hæc appellatur, nempe *S. Mariæ Matris Domini*. Ita in *Proceſſu Guillelmæ Bohemæ*, de quo inferius ſermo erit: *in Eccleſia Fratrum Sancte Marie Matris Domini extra Portam Novam*. Humiliatorum cœtu deleto alterum ibidem Seminarium S. Carolus ſtatuit iis adoleſcentibus, qui ad Theologiæ Morum potius quam ad cetera ſtudia apti viderentur (*e*). Nova deinceps ibi Eccleſia exſtructa, quæ veteri Canonicæ nomine ſervato, S. Mariæ de Circumciſione etiam nuncupatur.

XXI.

(*a*) Oltrocch. in Not. ad Vit. S. Car. Lib. II. Cap. V. col. 94. Not. *b*. col. 98. Not. *b*.
(*b*) Cap. XXIV.
(*c*) Paſſeggi nella Città di Mil. T. III. pag. 164.
(*d*) Stor. di Mil. ad an. 1361.
(*e*) Gluſſian. Vit. S. Car. Lib. II. Cap. V.

XXI. Quæ deinde ſequitur 14. *domus de Modoetia Mediolani*, quam originem habuerit vidimus in hujus Diſſertat. proœmio num. VIII. Domus ſcilicet Humiliatorum Modoetiæ erat, quæ *communis* dicebatur. Porro hujus domus incolæ circa an. MCCLI. Mediolanum commigrarunt, atque extra Ticinenſem Portam prope S. Euſtorgii ædes ſedem poſuerunt; ubi cum inter illos, atque Euſtorgianos PP. Ord. Prædic. controverſiæ nonnullæ exortæ eſſent, illaſque mutuo utrinque conſenſu compoſuiſſent, compoſitionem hanc ipſam Innocentius IV. literis ſuis an. MCCLI. VII. Cal. Jul. datis, atque in *Bullario* Prædicat. editis comprobavit, ex quibus ea noſcimus omnia, quæ de hujus domus origine diximus. Eadem hæc domus in Proceſſu Guillelmæ Bohemæ an. MCCC. ſic deſignatur: *domus humiliatorum domus de modoetia ſita in burgo porte Ticinenſis foris*. Deinceps vero nulla alia hujus mentio occurrit. Aliam etiam Modoetienſes Humiliati domum Mediolani habuerunt. In charta enim an. MCCXCVIII. 2. Maji, quam Differt. IV. num. XII. commemoravimus, legimus: *in domo fratrum humiliatorum ſancti Michaelis de Modoetia ſita in porta nova civitatis Mediolani;* ſed hanc hoſpitalem tantum Modoetienſium S. Michaelis Humiliatorum domum fuiſſe hinc colligimus, quod in Catalogo noſtro eodem hoc anno conſcripto illa omittitur. Ac ſane res ipſa, de qua in eadem charta eſt ſermo, ad Modoetienſem S. Michaelis domum pertinet.

XXII. Duæ deinde recenſentur domus, quarum vix nomen cognoſcimus: 15. *Domus de gardano* (legendum videtur *cardano*), & 16. *Domus omnium ſanctorum*. At quæ deinde ſequitur 17. *Domus de Marliano*, illius & originem & exitum ſatis cognoſcimus. Atque ad originem quod attinet, vidimus hac ipſa Diſſertat. num. IV. Eccleſiæ, quæ SS. Simoni & Judæ ſacra erat, fundamenta jacta fuiſſe an. MCCLXXV. die XXIII. Januarii. Hac porro Humiliati domus de Marliano utebantur, quæ proinde utroque nomine deſignatur. Ad extrema fere uſque tempora Hu-

 miliati

miliati illam incoluerunt; cum tamen & in Pii V. literis, quibus ſuperſtites Humiliatorum domos enumerat, illa omittatur, & nulla ejus mentio, ne inter domos commendatas quidem, fiat in Catal. an. MDLXX., arbitror aliquot ante annos aliis uſibus addictam illam fuiſſe. Anno MDLXXV. Patribus Congreg. Oratorii S. Philippi Nerii ædes illæ attributæ ſunt, ut diximus. Poſtea vero adoleſcentum Collegium ab Ambroſio Taegio an. MDXLIX. non longe ab hiſce ædibus conſtitutum, in eaſdem inductum eſt, ubi adhuc exſtat, PP. Congregationis S. Paulli curæ commiſſum.

XXIII. Succedit 18. *Domus de gallarate*. Hanc Humiliatorum domum commemorat Flamma (*a*), ubi urbis mœnia deſcribens, quæ a Friderico Ænobarbo everſa fuerant, ait: *inde reflectebantur per viam levatam uſque ad domum Fratrum de Gallarate*. Viam porro *Levatam* eamdem eſſe oſtendit Comes Julinius (*b*), quæ nunc a Stampa gente nomen duxit. Jam ab an. MCCCXCVIII. domui S. Calimerii conjuncta illa fuerat: ita enim in *Notitia Cleri Mediolanenſis*: *Domus S. Calimeri cum domo de Gallarate*. Quæ deinde ſequitur 19. *Domus de Sexto*, memoratur etiam apud Gothofredum de Buſſero (*c*). Sed nullum aliud ſuppetit ejuſdem monumentum. Notior eſt huic proxima 20. *Domus de carugate*; quæ adhuc nomen antiquum retinet, e regione Humiliatarum S. Eraſmi Sanctimonialium. Fuiſſe ibi olim Sanctimonialium cœnobium SS. Catharinæ & Ambroſio Sacrum, ait Latuada (*d*); idque veteribus apud Camillum Sitonum & Saxium monumentis confirmari; Virginibus deinde amotis, Humiliatorum Præpoſituram ibidem ſtatutam, quæ a S. Dominico dicebatur. At nomi-

nis

(*a*) V. Giulini Mem. di Mil. T. VI. pag. 284.

(*b*) Ibid.

(*c*) Idem. T. VIII. pag. 413.

(*d*) Deſcr. di Mil. T. V. pag. 329.

nis ſimilitudine deceptum hoc loco illum fuiſſe conſtat ex monumentis, quæ in cœnobio S. Catharinæ ad Cluſam vidit, diligenterque expendit doctiſſimus P. Joſeph Allegrantia Ord. Prædic. (a); ex quibus colligimus, cœnobium *S. Ambroſii de Carugate* fuiſſe in parvo ipſo pago, cui *Carugate* nomen, Parochiali Brugherii Eccleſiæ obnoxio; illas autem moniales an. MCCCLXII. Mediolanum deductas, ac cœnobio S. Catharinæ de Rancate additas fuiſſe, quod proinde *SS. Ambroſii & Catharinæ de Rancate, olim de Carugate* interdum dicitur. Itaque omnino utraque hæc domus diſtinguenda eſt. S. Dominici de Carugate ædem in pluribus monumentis commemorari videmus. Aliquot ante Humiliatorum extinctionem annis commendata illa fuit, atque an. MDLXX. Rodulphus Crucejus Metropolitani templi Primicerius illius redditibus fruebatur, vacua omnino incolis domo. Ædes nunc prophanis uſibus addictæ. Eccleſia adhuc ſupereſt, *S. Mariæ de Nive de Carugate* nunc appellata.

XXIV. Tres adhuc ex Catalogo noſtro recenſendæ ſuperſunt Humiliatorum domus; nempe 21. *Domus de geranzano*; 22. *Domus de concorezio*; 23. *Domus de migloe*. Priores duas ignoraremus omnino; niſi earumdem Catalogus hic meminiſſet. Ad tertiam quod attinet, pagus eſt Mediolanenſis agri, vulgo *Muggiò*, quod in veteribus chartis *Mugloe*, aut *Megloe*, aut *Migloe* appellatur. Humiliatarum Virginum domum ibi fuiſſe, mox videbimus. Aſt cognominem Humiliatorum domum Mediolani fuiſſe non Catalogus tantum, ſed charta etiam ſæpius memorata an. MCCXCVIII. 2. Maji indicat, in qua hæc habemus: *frater azo domus humiliatorum de prato de marliano negotiator domus humiliatorum de migloe ſita extra portam novam civitatis mediolani*. At nullum præterea illius monumentum occurrit.

XXV. Poſt has Humiliatorum domos enumeratas, quæ Fratribus

(a) V. Giulin. Mem. di Mil. T. VII. pag. 181.

tribus ac Sororibus communes erant, ad illas Catalogus noſter progreditur, quæ ab Humiliatis Sanctimonialibus tantum incolebantur. Sed antequam de his dicere aggredimur, aliæ nonnullæ recenſendæ ſunt domus, quæ Humiliatorum aut erant, aut fuiſſe dicuntur. Ac primo in Mediolanenſi charta an. MCCLIV. XI. Febr., quam ſuo loco edemus, nominatur *Fr. Petrus domus humiliatorum de S. Agatha*. Præterea in literis Joannis XXII. an. MCCCXXI., quas Diſſertat. IV. num. XIII. commemoravimus, nominatum videmus *Petrum de la Merla tunc* (multis ſcilicet ante annis; ut ex verborum contextu colligimus) *Prælatum Domus S. Agathæ Mediolan. ejuſdem Ordinis* (Humiliatorum). Monaſterium S. Agathæ ad S. Nazarii commemorant Mediolanenſes Scriptores (*a*), ſed cum illud jam ab anno MCXCII. exſtitiſſe dicant, quo tempore numquam Humiliatorum domus Monaſteriorum nomine appellabantur, cumque probabilius ſit in pago, cui S. Agathæ nomen, illud fuiſſe, ab illo omnino diſtinguenda eſt noſtra hæc Humiliatorum domus; quæ cum adhuc ſæculo XIV. ineunte exſtaret, eamdem eſſe arbitror ac unam ex iis, quæ in Catalogo recenſentur; ſed quæ hic S. Agathæ dicitur, alio ibi nomine deſignari; qua in re, quid ego conjectando ſentiam, mox patebit, cum de Humiliatarum domo *de axiis* ſermo erit. Mediolanenſem aliam domum de Rondenario appellatam, quod forte ad Rondenarienſem domum, quæ Novocomi erat, pertineret, ex nonnullis Rondenarienſis tabularii monumentis colligimus; in charta enim an. MCCLXXI. XX. Febr. recenſetur venditio facta *in fratrem petrum ſpezanavem, confratrem domus... de rondanario recipientem nomine... fratris benedicti prelati domus humiliatorum de rondenario ſite in civitate mediolani in porta texinenſi, in parrochia ſancti alexandrini*, & in charta an. MCCLXXX. XIV. Auguſti ſic eadem appellatur: *domus fratrum que dicitur de ronde-*

(*a*) V. Giulin. Mem. di Milan. T. VII. pag. 89.

rondenario conſtructa in civitate mediolani, in porta ticinenſi, in contrata de parazo. S. Dalmatii præterea, ac S. Mariæ Secretæ templa, Humiliatorum olim fuiſſe tradunt Latuada (*a*), ac Sormannus (*b*). Ac fieri utique potuit, ut nonnullæ ex domibus, quas ab aliquo pago appellatas vidimus, templis hiſce uterentur. At certe illi errant, cum uſque ad an. MDLXX. ſtetiſſe ibi Humiliatos narrant; quotquot enim anno MCCCXLIV. ſupererant eorum domus, quo loco eſſent, vidimus; nulla autem prope hæc templa poſita erat; ut, ſiquando illas Humiliati incoluerunt, iiſdem profecto ante illum annum exceſſerint. Ubi etiam Pœnitentium mulierum domus Chriſto Crucifixo ſacra exſtat, fuiſſe olim Humiliatos, iidem auctores tradunt (*c*), ſed quonam tempore id contigerit, quove hæc domus nomine appellaretur, non indicant. Aliam Humiliatorum domum ibi Sormannus ſtatuit (*d*), ubi nunc Cœleſtini Monachi degunt. Cautior Latuada (*e*) animadvertens veteres illarum ædium incolas a Paullo Morigia, & a Galeatio Gualdo *Fratres de Pœnitentia Dei* appellari (quod tamen Cl. Julinius (*f*) non ſatis probari arbitratur), dubius hæret, utrum ii fuerint, quos *de Pœnitentia Jeſu Chriſti* dictos narrat Helyottus (*g*), an potius Humiliati, quos *Berettinos de Pœnitentia* vocatos fuiſſe idem teſtatur (*h*).

XXVI. Jamvero ad Humiliatarum domos progredimur, quas pariter eodem, quo in Catalogo recenſentur, ordine proferemus: *In dicta fagia erant infraſcripte domus ſororum; 1. erat domus de ſexto.*

(*a*) Deſcriz. di Mil. T. V. pag. 111.
(*b*) Paſſeggi T. III. pag. 110.
(*c*) Deſcriz. di Mil. T. I. pag. 160. Paſſeggi T. II. pag. 37.
(*d*) Paſſeggi T. III pag. 248.
(*e*) Deſcriz. di Mil. T I pag. 197.
(*f*) Memor. di Mil T. VIII. pag 340.
(*g*) Hiſtoire des Ordr. Relig. T. III. pag. 177.
(*h*) Ibid. T. VI. Cap. XIX.

ſexto. At primæ hujus domus hoc unice loco mentionem fieri video. 2. *domus de bagiera*. Hæc vero & in *proceſſu Guillelmæ Boheme* nominatur: *actum mediolani in domo ſororum domus de bagiera ordinis humiliatorum*; & in Catalogo an. MCCCXLIV., ubi corrupto vocabulo *de bragera* dicitur; & in Notitia Cleri Mediolan. an. MCCCXCVIII. ubi *de Baynera* appellatur. Quo illa loco extiterit, ignoramus. Certius aliquid de illa, quæ deinde ſequitur, ſtatuere poſſumus, nempe 3. *domus de ſancta eufemia*. Hæc enim Cariſio & Latuada (*a*) teſtibus, ibi erat, ubi nunc PP. Clerici Regul. Infirmorum Miniſtri novum Deiparæ a Salute nuncupatum templum erexerunt. Supererat illa adhuc an. MCCCXLIV., at in poſterioribus Catalogis deſideratur. 4. *Domus de ſancto luca*. Domum hanc Catalogus etiam an. MCCCXLIV. commemorat; at in *Libro decimarum antiquarum an. MCCCCIV.* hæc habemus: *Domus S. Luce unita cum domo glaxiati*. Nihilominus S. Lucæ ædem ejuſque Moniales in hoc ipſo Codice inter Auguſtinianarum Virginum domos numerari videmus: *Domus Dominarum S. Luce*; ac præterea Bettinus de Tricio, qui ſæculo XV. exeunte ſcripſit, in ſua *Lethilogia* de Mediolanenſibus templis in porta Vercellina ſitis loquens ait: *Valeria ſegue poi cum ſancto Lucha*; & Virginum cœnobium S. Caroli temporibus ibi fuiſſe, ab illo deinde deletum, animadvertit Cl. Oltrocchius (*b*). Quare cum unicam Mediolani S. Lucæ Eccleſiam commemoret Gothofredus de Buſſero, dicendum erit, Sanctimoniales alias in Humiliatarum locum ſuffectas fuiſſe. Sex aliæ deinde recenſentur Humiliatarum domus, quarum nudum nomen proferre cogimur; eæ porro ſunt 5. *Domus de Cavalerio*: 6. *Domus fratris montenarii*: 7. *Domus de landriano*: 8. *Domus de roxeno*: 9. *Domus de pobiano*: 10. *Domus domine roxe*. Hæ omnes, ſi domum fratris Montenarii excipias, quæ

(*a*) T. II. pag. 50.

(*b*) Not. ad Vit. S. Car. Lib. II. Cap. VII. col. 106. Not. *a*.

quæ etiam in Catalogo an. MCCCXLIV. nominatur, diciturque *Domus de Montenariis*, nuſquam amplius memorantur. Succedit 11. *Domus de vigevano de burgo ſpeſſo*. Quatuor Sanctimonialium Humiliatarum domos *de vigevano* nuncupatas, Mediolani fuiſſe videbimus. Quæ appellatio unde nam originem duxerit, ignoro. At quo hæc loco eſſet, indicant verba illa: *de burgo ſpeſſo;* ita enim vulgo in Portæ Novæ regione via illa dicitur, quæ PP. Minimorum cœnobii lateri adjacet. Hanc autem domui de Circulo, mox memorandæ, conjunctam fuiſſe, colligimus ex Conſtitutionibus in Humiliatorum Comitiis an. MCCCXLIII. latis; 12. *eſt domus de verano*, mihi omnino ignota.

XXVII. At occurrit tandem inter Humiliatorum domos, quæ nos diutius aliquanto detineat, ſcilicet 13. *Domus de ſenadochio;* eadem enim eſt ſub S. Eraſmi nomine adhuc ſuperſtes. Narrat porro Helyottus, ſub ipſa Humiliatorum initia, poſt ædificatam Virginum *de Blaſſono* domum, de qua mox ſermo erit, aliam etiam in ea urbis regione, quæ vulgo *Borgo nuovo* dicitur, fundatam fuiſſe S. Catharinæ, ut prima illa fuerat, ſacram; poſtea tamen cum Sanctimoniales iis, qui porrigine laborarent, excipiendis Xenodochium condidiſſent, *Virgines de Xenodochio de Obſervantia* fuiſſe illas vocatas; nunc S. Eraſmi nomine paſſim Cœnobium deſignari; vicum tamen adhuc Cœnobio adjacere, qui a porriginoſis nomen duxit. Porro quod Helyottus refert, originem hujus Cœnobii ad prima Humiliatorum tempora referendam eſſe, S. Catharinæ ſacrum illud fuiſſe, easque Sanctimoniales Xenodochium porrigine infectis ſtatuiſſe, vere fortaſſe narrantur; ſed nullum mihi eſt ad hæc confirmanda argumentum. At Xenodochium Cœnobio adjacuiſſe certiſſimum eſt, tum ex ipſo nomine domus *de Xenodochio;* tum ex proximo vico, qui ſcilicet vulgo adhuc appellatur: *ſtretta de' tignoſi*. Narrat vero Cariſius in MSS. apud Lattuadam (a), Xenodochii ipſius ædes viginti, antequam

(a) Deſcriz. di Mil. T. V. pag. 370.

Digitized by Google

tequam ipſe ſcriberet annis [ſcribebat porro Cariſius circa an. MDCL.] Cœnobio incluſas fuiſſe. Supereſt ibi adhuc, ut diximus, Humiliatarum Cœnobium, quæ tamen Romano ritu ſacra uſurpant. Altera deinde Humiliatarum domus *de vigevano* dicta occurrit, nempe 14. *Domus de vigevano de la vale*, ſeu de valle. Eſt porro Mediolani Sanctimonialium Cœnobium S. Mariæ de Valle nuncupatum; at numquam illud ad Humiliatas pertinuit. Sed forte ab eodem cœnobio, quod proxima illi eſſet, domus hæc nomen accepit. Sequitur 15. *domus de dexio magna*, quæ hic tantum, uti & ſuperior, memoratur. Quæ vero deinde profertur 16. *domus de uboldo puſterla ſancte eufemie* [quæ *puſterla* nunc *Porta Ludovica* vulgo dicitur] etiam in Catalogo an. MCCCXLIV. recenſetur, diciturque *domus S. Euphemiæ*. Binæ aliæ domus adduntur, quarum unica in hoc catalogo memoria ſupereſt, 17. *Domus de ſancto maurilio*; 18. *Domus de vimorono*. Primæ nomen fortaſſe a Parochiali S. Maurilii æde ductum, cui proxima eſſet. 19. *Domus de vigevano p. hor.* [ſcilicet portæ orientalis]. Tertiam hic habemus domum *de vigevano* nuncupatam, atque in porta orientali ſitam, eodem fere loco, ubi nunc Helvetieorum Collegium; quod tamen portæ novæ plerumque nunc adſcribitur. Domus *de Caſirate* circa an. MCCCCIV. addita illi fuit, ut diximus; hinc nunc *de Vigevano* dicitur, nunc *de Caſirate*. At aucto Monialium numero, anguſtiſſimæ erant ædes, ut anno MDV. neceſſe fuerit de iis amplificandis agere, ut ex charta hujus anni 16. Decemb. conſtat, quam mecum communicavit ſæpiſſime mihi laudatus Cl. Oltrocchius. Has deinde Moniales S. Carolus ad S. Mariæ Magdalenæ ad Circulum tranſtulit; ædes vero illæ Monialibus Brugoræ & Lambrughi (qui duo ſunt in Brianteis collibus pagi) deſtinatæ, quas ille in urbem transferre meditabatur. Quod conſilium cum exitu caruiſſet, Collegii Helvetici alumni, qui ad S. Spiritus degebant, huc deducti fuerunt (*a*). Non ita

notæ

(*a*) Oltrocch Not. ad Vit. S. Car. Lib. II. Cap. VII. col. 106. Not. *g*. Lib. V. Cap. XII. col. 464. Not. *c*.

notæ ſunt, quæ ſequuntur 20. *Domus de ſambugo*; 21. *Domus de ſachelis*; quæ nullo alio in monumento memorantur.

XXVIII. Sed longiorem narrationem poſtulat 22. *Domus de Blaſſono*, ſeu, ut nunc dicimus, S. Catharinæ Braidenſis. Hujus originem ad prima Humiliatorum tempora revocandam Helyottus ſtatuit, ut jam innuimus. Quo enim tempore Clauſtralem vitam amplexi ſunt Humiliati, eodem mulieres virorum conſilium ſequutas, non longe a Braidenſi Cœnobio domum elegiſſe, ait, quæ Carcerum nomine deſignabatur, qua illæ incluſæ Divino cultui vacarent: domum illam deinde, quam inter Humiliatarum domos omnium antiquiſſimam exiſtimat, ex illarum familia, quæ primæ illius initia poſuerunt, *de Blaſſono* appellatam fuiſſe addit. Ego vero florentiſſimo adhuc Cœnobio nolim ſane tantæ antiquitatis gloriam denegare; ſed vereor, ut veterum monumentorum auctoritate ſatis illa comprobetur. Certe Chronicorum Scriptores, cum mulieres proprias ſibi ædes ſub ipſa Humiliatorum initia conſtruxiſſe narrant, addunt: *ut humiliatæ de Blaſſono Mediolani;* quibus verbis exemplum quidem ex illa domo petitum afferunt, ſed omnium primam fuiſſe illam non ſatis teſtantur. Quod autem addit, *Carcerum domum* ibi olim fuiſſe, quamvis hic etiam monumentorum teſtimonium deſiderem, hinc tamen veriſimile redditur, quod & ad Urbis portas fuiſſe olim Mediolani carceres videmus (*a*), & hoc ipſo ſcilicet loco una erat ex minoribus Urbis portis, vulgo *Puſterla* Braidenſis dicta (*b*). Illud etiam probabiliſſimum arbitror, *de Blaſſono* domum illam appellatam fuiſſe, ex earum, quarum ope conſtructa illa fuerat, nomine. Extinctis porro Humiliatis, priſtinas tamen Sanctimoniales illæ Humiliatorum leges, ac peculiarem in ſacris peragendis ritum ſequutæ ſunt hactenus, atque adhuc ſequuntur.

(*a*) V. Giulin. Memor. di Mil. T. V. pag. 49. & ſequ. T. VII. pag. 423. & ſequ. &c.
(*b*) Ibid. T. IV. pag. 403.

XXIX. Verum Cœnobii hujuſce mentio nos monet, ut aliquid de Guillelmæ Bohemæ erroribus, deque turbis in hac Urbe, ac præſertim in hoc Cœnobio, excitatis dicamus, quæ digreſſio eruditis Lectoribus non erit, arbitror, injucunda; & ſpectatiſſimi hujus Cœnobii famæ non modo quidquam non detrahet, ſed majori etiam gloriæ erit; quod cum impiæ ſectæ aſſeclas ſuis aliquando parietibus Virgines illæ incluſerint, ſceleris ſe tamen erroriſque puras pleræque ſervarint. Mulierem hanc ante XIII. ſæculi exitum Mediolani fuiſſe, plurimoſque in errorum ſuorum ſocietatem allexiſſe, nec niſi poſt illius obitum fuiſſe illius crimina detecta, ejuſque proinde effoſſum cadaver, flammiſque traditum, auctores non pauci tradunt. Sed hæc diu opinio inſederat, non tam hæreſeos illam, quam turpiſſimorum criminum ream, ejuſque aſſeclas in omne libidinis genus fuiſſe effuſos. At Joannes Petrus Puricellius, judicium a Fidei Quæſitoribus an. MCCC. hac in cauſſa inſtitutum nactus, quod nunc in Ambroſiana Bibliotheca exſtat (c), conſcriptaque ad illud illuſtrandum Diſſertatione, quæ ibidem ſervatur MS. (d), primus oſtendit, ſtultiſſimos quidem errores, numquam crimina hujuſmodi, in Actis illis commemorari. Nec porro potuiſſe fieri videtur, ut cum minima quæq; ad Guillelmam ejuſque aſſeclas pertinentia Judices perſequerentur, nihil umquam de graviſſimis hiſce ſceleribus inveſtigando cognoſcerent. In Guillelmæ erroribus recenſendis non immorabimur, quos Cl. viri Muratorius (a) ac Julinius (b) accurate explicarunt. Hæc ſcilicet, ut brevi dicam, erat eorum ſumma: Guillelmam unam eamdemque cum Spiritu Sancto eſſe; hunc enim in Judæorum præſertim ac Saracenorum ſalutem fœmineum illius corpus in-

(a) Cod. MS. ſign. A. 217. in fol.
(b) Cod. MS ſign. C. 2. in fol.
(c) Antiquit. Ital. T. V. col. 91.
(d) Mem. di Mil. T. VIII. pag. 152.

induiſſe, ut ad Chriſtianorum ſalutem virile corpus Dei filius aſſumpſerat. Hinc verum ſe Deum, verumque fœminei ſexus hominem Guillelma dictitabat; ſe etiam Angelo nunciante conceptam fuiſſe; ſurrecturam ſe poſt mortem, atque ad Cœlum evolaturam; tunc vero Maifredam [de qua mox erit ſermo] ipſius vices inter homines acturam, hanc ſacra peracturam, hanc Pontificia auctoritate præditam Mediolani primo, tum Romæ habituram conciones; hanc denique Judæos ac Saracenos luſtrali aqua purgaturam. Hæc fere erant Guillelmæ deliria, quæ fuſius apud memoratos auctores expoſita invenies. Illud potius inquirendum arbitror, non ſatis hactenus cognitum, undenam Bohemæ nomen Guillelmæ inditum fuerit. Jactabat ſcilicet illa Bohemiæ Regis ſe filiam eſſe. At vere ne an falſo? Juverit hic ipſa *Proceſſus* verba audire, qui XX. fere poſt illius mortem annis inſtitutus eſt; illa enim, ut ex eodem colligimus, aut anno MCCLXXXI. exeunte, aut ineunte MCCLXXXII. obierat; cauſſæ vero cognitio nonniſi anno MCCC. cœpta eſt. Ibi itaque hæc habentur: *Interrogatus* [Andreas Saramita unus ex præcipuis Guillelmæ diſcipulis] *ſi ſcit vel audivit, unde fuerit illa guillelma, reſpondit quod ſic, videlicet quod fuit filia quondam Regis boemie, ut dicebatur. Interr. ſi ipſe inquiſivit veritatem de hoc, reſpondit ſic, videlicet quod ipſe andreas ivit uſque ad regem boemie, & invenit regem mortuum, & invenit quod ita erat. Interr. qua de cauſa ivit ad inquirendum hoc, reſp. quod ivit ad ſignificandum Regi, quod illa Guillelma erat mortua; & ſi ipſe Andreas aliquid poſſet obtinere a Rege propter honorem impenſum dicte guillelme per ipſum andream* (*a*). Arbitratur porro Puricellius fieri ſane potuiſſe, ut res ita haberet; conjicit enim Primislai Bohemiæ Regis filiam illam fuiſſe, atque Ottocari ſororem, qui deinde a Rodulpho Habſpurgico devictus eſt. Ille enim anno MCCXXX. adhuc vivebat; ac tres filias habuiſſe a

(*a*) Proceſſus pag. 1.

Dubravio dicitur (*a*), ex quibus prima Udalrico Carinthiæ, altera Henrico Uratiſlaviæ Principibus nupſit; tertia Agnes in Pragenſi Cœnobio ſe ipſam Deo dicavit. Potuit itaque, ait Puricellius, una ex duabus illis, quarum nomina reticentur, eſſe Guillelma; potuit illa, viro aut demortuo aut relicto, in Italiam deſcendere [enimvero nuptam illam fuiſſe ex alio *proceſſus* loco colligimus, ubi dicitur: *& duxit filium in civitatem Mediolani*]: potuit Andreas in Bohemiam profectus poſt Guillelmæ mortem Regem Bohemiæ pariter mortuum invenire, Ottocarum ſcilicet Guillelmæ fratrem anno MCCLXXVIII. VII. Kal. Septemb. occiſum (*b*); neque enim Andreas ait, Bohemiæ Regem a ſe quæſitum patrem Guillelmæ fuiſſe; quin etiam Guillelma eadem, quæ hic regis filia dicitur, alibi (*c*) regis ſoror vocatur; Primislai nempe filia, Othocari ſoror. Potuit denique Andreas re infecta, nulloque auxilio impetrato reverti; Venceslaus enim Othocari filius, in Franconiam abductus fuerat, ac Bohemiæ Regnum Othonis Brandeburgici adminiſtrationi per quinquennium commiſſum; itaque nullus ex Guillelmæ gente in Bohemia ſupererat. At prærterquamquod tres illæ Primislai filiæ, non Ottocari, ſed Venceslai ſorores fuerunt, & Ottocarus non Primislai, ſed Venceslai filius, Primislai nepos fuit, ut ex Dubravio ipſo, & ex Genealogicis tabulis illius hiſtoriæ præfixis, atque ex melioris notæ auctoribus conſtat, ac proinde Guillelma Ottocari non ſoror, ſed amita dicenda eſſet, præter hæc, inquam, illud præſertim difficultatem facit, quod parum veriſimile videatur, mulierem regio ſanguine natam, ac nobiliſſimo dynaſtæ matrimonio junctam, quæque Bohemiæ Regis filia palam diceretur, ita Mediolani diu vixiſſe, ut nec honore ullo hac de cauſſa afficeretur, ac tam obſcura,

(*a*) Hiſtor. Bohem. Lib. XV. prope fin.
(*b*) Calles Ann. Auſtr. T. II. pag. 560.
(*c*) Proceſs. pag. 12.

ſcura, & incerta eſſet illius conditio, ut neceſſe fuerit Andreæ Bohemicum iter rei cognoſcendæ cauſſa ſuſcipere. Quis præterea veriſimile credat, nec ipſos Bohemiæ Reges umquam de Guillelma quæſiſſe, quæ ſe palam ex illorum ſtirpe Mediolani diceret; nec Bohemicarum rerum auctorem ullum Guillelmam hanc umquam noviſſe, nec in illius provinciæ hiſtoriis commemoraſſe? Itaque ſuſpicor Guillelmam famæ comparandæ cupidam hæc dictitaſſe, ac ſparſiſſe in vulgus; Andream vero, ne ſe ſuoſque mulieris mendacio deceptos, ac Bohemicum iter fruſtra ſuſceptum fateretur, illa confixiſſe.

XXX. Hæc de Guillelmæ genere dicenda fuerunt. Jamvero ad ea progrediamur, quæ illi cum Humiliatis Sanctimonialibus domus *de Blaſſono* communia fuerunt. Filiam in illa domo ac ſororem habebat Andreas ille Saramita, ſtudioſiſſimus Guillelmæ ſectator; nominantur enim in actis: *ſoror ſiordebellina filia domini andree ſaramite, & ſoror melior de ſaramitis domus humiliatarum de blaſſono ſoror carnalis dicti Andree* (a). Hac vero ratione potiſſimum nonnullas hujus cœnobii ſanctimoniales lue illa infectas crediderim, Andrea ipſo, ejuſque filia ac ſorore, quas ille in errorem induxerat, alias paullatim in ejuſdem erroris ſocietatem adducentibus. Sed nulla ardentius Guillelmæ partes amplexa eſt, quam *Soror Mayfreda ordinis humiliatorum, & filia domini Morandi de Pirovano* (b); quæ ideo forte a Guillelma ejuſque aſſeclis in ſuorum numerum ultro expetita fuit, quod generis nobilitate & affinium gratia multum poſſe illam communi cauſſæ prodeſſe confiderent. Anaſtaſia enim de Pirovano Matthæi Vicecomitis Mater fuit (c). Enimvero in Joannis XXII. literis X. Calend. April. MCCCXXIV. datis, quibus Matthæum Vicecomitem Mediolani

(a) Ibid pag. 13.
(b) Ibid. pag. 6.
(c) Giulini Mem. di Mil. T. VIII. pag. 70.

diolani Dominum ejuſque filios anathemate ferit, inter pœnæ cauſſas hæc recenſetur: *quod quondam Manfreda mulier de Mediolano dicti Matthæi ex linea materna propinqua labe reſperſa pravitatis ejuſdem* (hæreticæ), *in perſonæ cujuſdam, quæ Guillelma nomine vocabatur, Spiritum Sanctum aſſeruit incarnatum, ipſamque Guillelmam a Deo aſſumptam mirabiliter exſtitiſſe .... & quia inter alios credentes ipſarum prefatus Galeatius* (Matthæi filius) *culpabilis fuit repertus, inquiſitores ipſi propter hoc captivarunt & detinuerunt eumdem; licet poſtmodum per ejuſdem Matthæi potentiam coacti minis & terroribus eum duxerint dimittendum* (*a*). Hanc itaque Maifredam, ſeu Manfredam tamquam fidiſſimam adminiſtram ſuam Guillelma delegerat, quin etiam Pontificiam illi auctoritatem viceſque ſuas deſtinaverat: *Dicebat maxime Andreas etiam, quod ipſa mayfreda debebat eſſe papa & vicaria dicte guillelme in terris, ſicut beatus petrus apoſtolus erat vicarius Chriſti, & quod debebat habere poteſtatem ligandi, ſicut beatus petrus, quia ſicut ſpiritus ſanctus erat in forma mulieris in ipſa guillelma, ita ipſa mayfreda debebat eſſe vicaria ipſius guillelme in forma mulieris* (*b*). Sed poſt Guillelmæ maxime mortem, Maifredæ aliorumque ſtudium in illius cultu augendo patuit. Etenim *Andreas Saramita fecit ... portari ... Guillelmam in Eccleſia fratrum converſorum de Clarevalle*, (in Clarœvallenſis enim cœnobii templum a templo S. Petri ad Hortum, in quo antea tumulatum fuerat, translatum eſt Guillelmæ corpus; ac ſuperſtitem in Clarœvallenſi ſepulcreto picturam fuiſſe teſtatur Puricellius (*c*), Guillelmæ effigiem exprimens, quam Sanctus Bernardus Deiparæ Virgini ſiſtebat, ſimul cum Humiliata Sanctimoniali poſt Guillelmam genuflexa) *& ibi preſentibus multis fratribus clericis, & converſis fecit lavari eam guillelmam de aqua & vino ſimul miſtis*,

(*a*) Rainald. Annal. Eccleſ. T. V. ad an. 1324. num. 9.
(*b*) Proceſſ. pag. 86.
(*c*) Miſcell. MSS. in Bibl. Ambroſ. Cod. ſign. C. 76. in fol.

miſtis, *& dictus andreas recolegit ipſam lavaturam dicens*, *quod de ipſa aqua fieret criſma ad criſmandum devotos & devotas dicte guillelme*, *& ipſam aquam fecit portari in mediolano ad domum ſororum domus de blaſſono ... & aqua illa poſita fuit in altari ſororum dicte domus de blaſſono* (*a*). Nec vero hae tantum ſuperſtitione templum illud violatum eſt, ſed Guillelmæ ipſius effigies palam propoſita: *Interrogata* (Maifreda) *quis fecit pingi illum pannum* (vexillum intellige, vel periſtroma, quo ſenſu eam vocem interdum accipi monet (*b*) Cangius), *qui eſt ſuper altare in domo humiliatarum de blaſſono*, *in quo picte ſunt tres perſone*, *quarum due a dexteris & a ſiniſtris videntur trahere captivos de carcere*, *reſpondit*, *quod vel ipſa*, *vel dictus andreas*, *vel ſorores dicte domus fecerunt pingi illum pannum*, *ſed non recordatur quis illorum ... quia tunc credebat quod predicta ſancta guillelma eſſet tertia perſona in trinitate*, *& quod per eam deberent ſalvari Judei & Saraceni*, *& illi ſunt illi qui ſunt picti a parte ſiniſtra* (*c*). Quin etiam Dionyſius Cotta in iiſdem Actis de ſe teſtatur, *quod fecit pingi figuram dicte quondam guillelme in eccleſia fratrum ſancte marie Matris domini* (ſeu Canonicæ) *extra portam novam*, *& fecit poni lampadem ante dictam figuram* (*d*). Maifreda vero præcipua totius ſectæ dux frequentiſſimos in domo eadem de Blaſſono conventus celebrabat: *Interrogata* (Maifreda), *ſi... alique perſone congregabant ſe ad eam*, *reſpondit quod ſic in domo dictarum ſororum de blaſſono*, *aliquando in parlatorio*, *aliquando in infirmaria*, *aliquando ſub porticu ...*, *ſed maſculi numquam comedebant ibi*, *excepto domino franceſchino* (Malcolzato, de quo infra); *ſed femine bene comedebant ibi aliquando* (*e*). In his vero conventibus

(*a*) Proceſſ. pag. 18.
(*b*) Gloſſar. T. V. col. 109.
(*c*) Proceſſ. pag. 2.
(*d*) Proceſſ. pag. 11.
(*e*) Ibid. pag. 7.

tibus ſacrum concionandi munus ſibi Maifreda uſurpabat: *ipſa ſoror Mayfreda aliquando exponebat evangelia, & aliquando loquebatur de Sancta Katerina* (ex quo colligimus Eccleſiam illam fuiſſe jam huic Virgini ſacram) *& de aliis Sanctis* (*a*).

XXXI. At quamvis Maifreda, ac nonnullæ hujuſce domus Sanctimoniales Guillelmæ partes tam ſtudioſe ſectarentur, reliquæ tamen a turbis hujuſmodi abhorrebant, fateturque Maifreda ipſa, ſæpe ſe ab iiſdem fuiſſe hac de cauſſa acriter objurgatam (*b*): Cum tamen nihil illæ proficerent, timendumque eſſet, ne lues hujuſmodi paullatim ſerpens, ceteras etiam inficeret, Maifreda ejuſque ſociæ e cœnobio ad Guillelmi Cuticæ ædes deductæ ſunt; ſæpe enim in Actis legimus: *in domo guillelmi Cutice, ubi modo ſtabat dicta ſoror mayfreda*. Nec tamen a conventibus celebrandis illa abſtinuit; quin etiam eo audaciæ ſceleriſque proceſſit, ut ſacra ipſa ementiri auderet: *a feſto paſche proxime preterito citra, ſoror mayfreda de pirovano paravit ſe ad modum ſacerdotis, & ſoror flordebellina, & ſoror anexina, & andreas ſaramita, & franciſcus malcolzatus habebant dalmaticas; & albertonus de novate, & filixinus karentanus, & ottorinus de garbagnate habebant cottas blanchas, & paraverunt unum diſcum ad modum altaris, & habuerunt calicem & alia neceſſaria pro miſſa dicenda, & dicta ſoror mayfreda dixit miſſam, & habuit hoſtiam, & levavit, & fecit omnia circa miſſam illam, ſecundum quod ſatiunt alii ſacerdotes, & dictus andreas dixit evangelium, & albertonus predictus dixit epiſtolam* (*c*). Tot hæc tantaque ſcelera ad hæreſeos Quæſitores aliquando delata illos excitarunt, ut in eorumdem auctores, qua par erat ſeveritate, animadverterent. Itaque Julio menſe viginti fere poſt Guillelmæ mortem annis, ſcilicet anno MCCC. *coram Fratribus Guidone de Cache-*

(*a*) Ibid. pag. 4.
(*b*) Ibid. pag. 7.
(*c*) Ibid. pag. 36.

Cochenato & Raynerio de Pirovano Ordinis Prædicatorum Inquiſitoribus hæreticorum. cauſſæ totius cognitio cœpta eſt. Ac die XXIII. Augusti ejuſdem anni in Jacobam de Baſſanis ejuſdem domus de Blaſſono Monialem ſententiam latam videmus: *convocatis... Bernardo de Talentis Epiſcopo Laudenſi, & domino Obizone de buxnate Archidiacono Eccleſie majoris, & Mattheo Vicecomite prepoſito de dexio... dixerunt & conſuluerunt* ... (Fidei Quæſitores), *quod ſoror Jacoba de baſſanis de nova* (quæ, ut ex actis iiſdem conſtat, Guillelmæ & Maifredæ ſtudioſiſſima fuerat) *Ordinis humiliatorum domus de blaſſono ſite in civitate Mediolani prope pontem veterem braide guertii, poteſt & debet judicari heretica in abjuratam hereſim relapſa, & in abjuratam recidiva, & ipſam fore ſine aliqua audientia ſeculari judicio relinquendam* (*a*). Ex quibus verbis cognoſcimus, quod ex aliis etiam auctorum locis colligimus, judicium aliquod in hac cauſſa antea etiam inſtitutum fuiſſe, quod tamen hunc unice exitum habuiſſe videtur, ut ſcilicet errores ſuos Guillelmæ aſſeclæ abjurarent, nec ſatis ad impiorum hominum fraudes prohibendas valuiſſe. Quid in Maifredam ſocioſque ſtatutum fuerit, ex Actis non conſtat. Sed tum ex memoratis Joannis XXII. literis, tum ex Aicardi Mediolanenſis Archiepiſcopi, aliorumque aliquot Epiſcoporum, ac Fidei Quæſitorum ſententia in Matthæum Vicecomitem lata XIV. Martii an. MCCCXX. colligimus, fuiſſe Maifredam igni damnatam: *Manfreda & Guillelma prædictæ*, ait Joannes, *traditæ fuerunt judicio ſæculari, & demum ignis incendio concrematæ*. Quod de Guillelma ſic intelligendum eſt, fuiſſe ſcilicet illius cineres e tumulo eductos, ac flammis traditos. Aicardus autem: *Olim etiam dum alias regimini Civitatis* (Mediol.) *eidem de facto præeſſet* (Matthæus), *rogavit pro liberatione cujuſdam hæreticæ, Manfredæ nomine, quæ tunc tenebatur in carcere, & quæ fuit poſtmodum judicio ſæculari relicta, & demum ignis*

 incendio

(*a*) Proceſſ. pag. 33.

incendio concremata (*a*). Huic eidem pœnæ probabile eſt Jacobam de Baſſanis & Andream Saramitam addictos fuiſſe. Sed de Guilleima ac de Maifreda fatis. Jam enim ceteræ Humiliatarum domus ad ſe nos vocant.

XXXII. Poſt domum de Blaſſono enumerantur 23. *Domus de ſancto marcellino;* 24. *Domus de ſancto nabore;* 25. *Domus de ſancto protaxio*. Habemus ſingulis hiſce ſacras Mediolani ædes; quæ numquam tamen ad Humiliatas Sanctimoniales pertinuiſſe videntur; itaque arbitror, iis Humiliatarum domibus ideo hujuſmodi nomina indita fuiſſe, quod iiſdem proximæ eſſent. Porro nullum aliud habemus earumdem monumentum. 26. *Domus de cabiate*. Domum hanc in memorato Guillelmæ Bohemæ *Proceſſu* nominatam videmus: *in Domo ſororum humiliatarum de cabiate ordinis humiliatorum* (*b*). Eamdem eſſe ſuſpicor ac illam, quæ in Catalogo an. MCCCXLVIII. dicitur *de parabiago*: hujus enim domus nomen nec in Catalogo priore, nec in monumentis aliis occurrit; ut potuerit proinde per librarii errorem *de cabiate*, in *de parabiago* mutari. Tertia nunc Humiliatarum domus adhuc ſuperſtes occurrit, nempe 27. *Domus de circulo*, quæ nunc S. Mariæ Magdalenæ ad Circulum dicitur, quæque non veteres tantum Humiliatorum leges, ſed peculiarem etiam in ſacris peragendis ritum ſequitur. Noſtrum hic non eſt de hujus appellationis etymo, ac de Circo, qui olim hoc loco eſſet, diſſerere. Qui hæc velit, Mediolanenſium rerum Scriptores conſulat, ac præcipue Puricellium (*c*), Gratiolium (*d*), Latuadam (*e*), Julinium (*f*). Ad hujus vero cœnobii originem quod attinet, nulla veterum monu-

(*a*) Ughell. Ital. Sacr. T. IV. Ser. Archiep. Mediol. in Aichardo.
(*b*) Pag. 23.
(*c*) Diſſert. Nazar. fol. 94.
(*d*) De antiquis Mediol. ædific. Cap. X.
(*e*) Deſcriz. di Mil. T. IV. pag. 29.
(*f*) Memor. T. V. pag. 178. T. VI. 248.

monumentorum auctoritate comprobatur, quod Turrius apud eumdem Latuadam refert, fuiſſe illud ab eorum uxoribus excitatum, qui antiquiſſimi Humiliatorum cœtus initia poſuere; nec de illius origine certum aut probabile quidquam proferre poſſumus. Addit Latuada in charta an. MCCCXCII. domum hanc *Dominarum Muſcarum de Cergio* appellari; in alia autem MCCCCX. eamdem dici *Monaſterium ſeu Domum Dominarum Muſcarum Sanctæ Mariæ ad Circulum Mediolani, Ordinis Sancti Dominici*. Fateor tamen, quid de hiſce monumentis judicem, incertum me hærere. Mitto appellationem illam *Dominarum Muſcarum* numquam me alibi nactnm eſſe. Quid vero illud eſt? *Ordinis S. Dominici*. Suſpicatur Latuada ſcribæ imperitia id factum, qui cum Moniales albis veſtibus indutas videret, illas Dominicanas arbitraretur; quam tamen Cl. Scriptoris conjecturam neſcio, an eruditi viri ſint faeile probaturi. Sed quidquid de his Monumentis dicendum ſit, certe domus illa Humiliatorum legibus ſemper vixit. Anno MDLXXXIV. XXV. Jun. primum novo templo exſtruendo lapidem jecit S. Carolus (*a*), quod deinde anno MDLXXXIX. XXII. Jul. Gaſpar Vicecomes Mediolanenſis Archiepiſcopus ſolemni ritu conſecravit (*b*).

XXXIII. Tres jam vidimus Humiliatarum domos *de vigevano* nuncupatas; quarta nunc ſequitur 28. *Domus de vigevano de la cluſa*. Suſpicari forte quis poſſet eamdem hanc eſſe, quæ nunc vulgo S. Catharinæ ad Cluſam dicitur. Sed eruditiſſimus P. Joſeph Allegrantia Ord. Prædic., qui hujus Cœnobii tabularium diligenter excuſſit, anno tantum MCCCCLXXXX. Cœnobii illius initia poſita animadvertit, ut ex monumentis conſtat, quæ mecum humaniſſime communicavit. Itaque a Parochiali S. Michaelis ad Cluſam æde ductum potius arbitror nomen. Anno

 MCCCXLIV.

(*a*) Latuada T. IV. pag. 47.

(*b*) Saxius Series Archiep. Mediol. T. III. pag 1071.

MCCCXLIV. illa adhuc ſupererat ; ſed poſterior nulla ejuſdem mentio. 29. *Domus de udrugio*. Chartam an. MCCXCI. in Ambroſiano tabulario ſe vidiſſe ait Cl. Julinius (*a*), in qua Humiliatorum domus *Udrugii*, qui pagus eſt, vulgo *Origio*, poſita indicatur ; ſed forte hæc eadem eſt, urbana ſcilicet, ſed a pagi illius nomine appellata. In hoc tantum Catalogo illa recenſetur, uti & quæ deinde ſequitur 30. *Domus domine beldie de uboldo*, 31. *Domus de lacterela*. Unicum, poſt hunc Catalogum, habemus hujus domus monumentum in charta an. MCCCXXVIII. XIX. Decemb. in hujus noſtri Collegii tabulario, in qua fit mentio miniſtræ, & ſororum *domus de lacterella porte vercelline foris ordinis humiliatorum*; 32. *Domus de aziis p. c.*, ſcilicet *portæ cumanæ*, ſeu, ut nunc dicimus, Comenſis. Inter veterem Portam Jovis, ac Portam Comenſem, minorem aliam portam fuiſſe, quæ *Puſterla de Azziis* diceretur, tradunt Mediolanenſes Scriptores, ac Cl. Julinius præſertim (*b*), qui diligenter de illius vocis etymo diſſerit. Itaque in hac regione alia erat Humiliatarum domus *de aziis* appellata. Quin etiam duas per id tempus Monialium domos non longe a *puſterla de aziis*, & utramque S. Catharinæ ſacram fuiſſe ex Puricellianis Schedis diſcimus (*c*) : ille enim in charta an. MCCLXXXI., quæ in S. Margaritæ Cœnobio ſervatur, nominari ait *Domum Dominarum S. Catharinæ in burgo de Aziis portæ Cumanæ foris Civitatis Mediolani*, & pariter *Domum Dominarum S. Catherinæ quæ ſtat per medium hoſpitale S. Simpliciani*. Ad primam illam domum pertinent duo alia monumenta in eodem Cœnobio aſſervata, quæ Puricellius commemorat ; alterum an. MCCLXXXIII. IV. Maji, quo Otho Vicecomes Mediolan. Archiep. conceſſit *Prioriſſæ ac ſororibus S. Catherinæ veteris ſitæ in Pa-*

rochia

(*a*) Memor. T. VIII. pag. 438.

(*b*) Ib. T. VI. pag. 422.

(*c*) Biblioth. Ambroſ. Cod. MSS. ſign. C. 76. in fol.

rochia S. Protaſii in campo verſus Paſchale de Aziis facultatem conſtruendi Eccleſiam; alterum an. MCCCXXIX. quo *Dominus J. S. Euſtachii Diaconus Cardin.* nominatur, ac memoratur illi *facta ſolutio nomine domus Dominarum quarumdam* [forte quondam] *S. Catherinæ, quæ ſita erat extra puſterlam de Aziis, & unita fuerat Monaſterio S. Margaritæ.* At hæc profecto non illa eſt, quam Catalogus noſter commemorat; hæc enim jam ab an. MCCCXXIX. S. Margaritæ Cœnobio conjuncta fuerat; Humiliatarum vero domus de Aziis in Catal. an. MCCCXLIV. adhuc numeratur; tum vero in *Libro decimarum antiquarum an. MCCCCIV.* dicitur *domus de aziis unita cum domo circuli.* Ego vero, ſi quis conjecturæ locus, ſuſpicor, domum hanc de *Aziis* eamdem eſſe ac domum S. Agathæ, quam num. XXV. commemoravimus. Conjecturæ anſam præbet Gothofredus de Buſſero, qui de Eccleſiis S. Agathæ Mediolani ſacris loquens, ait: *alia in burgo aziarum.* Itaque cum certum ſit domum *S. Agathæ* dictam habuiſſe Mediolani Humiliatos, cumque certum ſit S. Agathæ ædem *in burgo aziarum* fuiſſe; quidni dicamus eamdem fuiſſe S. Agathæ domum ac domum *de aziis*, quæ olim communis fuerit fratribus ac ſororibus, ut ex allatis monumentis conſtat, deinde vero mulieribus tantum permiſſa ſit? Tres denique ſuperſunt Humiliatarum domus, quarum in priore Catalogo tantum occurrit nomen, ſcilicet 33. *Domus de thurate;* 34. *Domus de campanili;* 35. *Domus de burgo vilano*, ſeu *milano*.

XXXIV. At vero in Catalogo an. MCCCXLIV. binæ aliæ Humiliatarum domus occurrunt, in priore omiſſæ; nempe *domus de Tegnono*, & *domus de Terragio*. Prima in *Libro decimarum antiquarum* dicitur *unita cum domo Vicoboldoni*. Si in Catalogo anni MCCCXLIV. omiſſam viderem domum de *Xenodochio*, arbitrarer hanc diverſo illo nomine deſignari; vidimus enim Xenodochium porrigine infectorum ibi fuiſſe. Sed utraque nominatur, ac diſtinguenda proinde eſt. Domus autem *de Terragio*, cujus nulla

alia

alia mentio occurrit, ideo forte hoc nomine appellata eſt, quod mœnibus impoſita eſſet, quæ foſſam urbi circumdatam cingebant: illa enim hoc nomine vocata fuiſſe & vetera monumenta, & hodierna etiam appellatio oſtendunt (a). Eaſdem forte illas fuiſſe cum aliquibus ex iis XXXV., quas ſuperius recenſuimus, exiſtimo; ſed diverſo nomine appellatas.

XXXV. Aliæ tamen adhuc proferendæ ſuperſunt, quæ Humiliatarum domus dicuntur, quæque ad Humiliatorum Ordinem pertinuiſſe plerumque videntur; ad quem, mea quidem ſententia, numquam illæ pertinuerunt. Etenim ne de voce una, quod ſæpe fit, diſputemus, ſic ſtatuo, eas tantummodo domos *Ordinis Humiliatorum* appellandas eſſe, quæ Humiliatorum legibus inſtitutiſque vixerint. Itaque ſi quando Sanctimoniales nonnullas Auguſtinianis aliiſve legibus addictas videamus, quibus nihil erat cum Humiliatorum legibus commune, quamvis Humiliatas appellari illas videamus, nomen hoc lato quodam ſenſu accipiendum erit, ut voluntariam animi dejectionem, non peculiarem illam, quam Humiliati ſequebantur, vivendi rationem ſignificet. Aliud præterea ex domorum conjunctione indicium habemus, ut quæ proprio, quæ lato ſenſu Humiliatæ appellentur, cognoſcamus. Cum enim Humiliatorum Ordinis Sanctimoniales Magiſtri Generalis ac Præpoſitorum juri obnoxiæ eſſent, plurima quidem exſtant Magiſtrorum decreta, quibus nonnullas earumdem domos ſimul conjungendas ſtatuunt; at numquam videmus illas, quas certe conſtet ad Humiliatorum Ordinem pertinuiſſe, ſola Epiſcopi auctoritate invicem unitas, aut alteri domui conjunctas, quæ iiſdem legibus non viveret. Itaque ſi, quæ Humiliatæ dicuntur, videamus illas nullo Humiliatorum Generalis Magiſtri conſenſu alteri domui, quæ præſertim Humiliatorum leges non ſequeretur, conjunctas eſſe, latiore ſenſu Humiliatas illas dici omnino arbitrabimur. Quid? quod

(a) Giulin. Memor. T. VI. pag. 431.

quod diſcrimen hoc inter Humiliatas Moniales videntur Scribæ ac Notarii ipſi agnoviſſe? Quamvis enim non ſemper, ſæpe tamen cum de veris Humiliatis loquuntur, ſic ajunt: *Ordinis Humiliatorum*. Ita in *proceſſu* Guillelmæ Bohemæ dicitur: *in domo ſororum humiliatarum de cabiate ordinis humiliatorum. Soror Mayfreda ordinis humiliatorum. In domo ſororum de bagiera ordinis humiliatorum*. At ceteras, quas nunc commemorabimus, quamvis ſæpe Humiliatas, numquam tamen *Ordinis Humiliatorum* appellari videmus.

XXXVI. His poſitis, primæ occurrunt *Domus de ſupra murum*, nunc *S. Mariæ de Victoria*, cujus Moniales olim *Dominæ Albæ* appellabantur; & *Domus S. Mariæ de Caſtagneda*. Charta enim XIX. Jun. an. MCCCLXXXV. in prioris Cœnobii tabulario vidit ac nobiſcum communicavit alias laudatus P. Allegrantia, qua *Humiliatæ domus S. Mariæ de Victoria, atque in ea duæ ſuperſtites domus Humiliatarum S. Mariæ de Caſtagneda Procuratoribus ſuis committunt peti & confirmari ab Urbano VI., ſeve ab Antonio Archiep. Mediolan. earumdem domorum unionem & incorporationem a B. M. Guillelmo Archiep. Mediol. jam ante conceſſam atque peractam*. At ad Virgines S. Mariæ de Victoria quod attinet, quarum prima mentio ad an. MCCXXI. occurrit (*a*), Auguſtinianis legibus vixiſſe olim illas teſtatur Cl. Julinius (*b*); & Innocentius IV. literis ſuis VI. Id. Maji an. MCCLII. ad illas datis, quæ in eodem tabulario aſſervantur, Ordinis S. Auguſtini illas vocat; anno vero MCCLV. S. Dominici leges amplexas illas fuiſſe Julinius idem oſtendit (*c*). Domus pariter S. Mariæ de Caſtagneda Sanctimoniales, quarum prima mentio ad annum MCXC. occurrit, quamvis Humiliatæ vocentur, Puricellius chartam commemorat (*d*) an. MCCCLXXXIII. in

(*a*) Gialin. Memor. T. VII. pag. 363.

(*b*) Mem. T. VII. pag. 530.

(*c*) Mem. T. IX. pag. 98.

(*d*) Biblioth. Ambroſ. Cod. MS. ſign. C. 76. in fol.

Digitized by Google

in S. Margaritæ tabulario aſſervatam, ubi illæ Humiliatæ Ordinis S. Auguſtini dicuntur. Erat porro, ut ex alia ejuſdem tabularii charta an. MCCCXLI. Puricellius oſtendit, erat, inquam, domus illa de Caſtagneda in Ticinenſi porta, atque in Parœcia S. Michaelis ad Cluſam poſita. Non longe diſtabat *domus fratris Lanfranchi de Coliate*, cujus etiam Sanctimoniales Humiliatæ appellantur: chartam enim ex eodem tabulario Puricellius commemorat XXXI. Aug. MCCCXXVII. *Domus S. Mariæ de Caſtenedo, & domus Dominarum Humiliatarum fratris Lanfranchi de Coliate ſita in civitate Mediolani in porta Ticinenſi in Parochia S. Michaelis ad Cluſiam, deliberant de ambabus hiſce domibus in unum uniendis, ita ut ſorores de Coliate uniantur alteri de caſtanedo, ſi tamen conſenſus Archiepiſcopi acceſſerit.* Sed præterquamquod hæc etiam domus in Catalogis noſtris omittitur, Humiliatorum Ordinis non fuiſſe illas ſatis oſtendit, quod Magiſtri Generalis nulla in memorata conjunctione fit mentio, quodque alteri domui conjungitur, quam non Humiliatorum, ſed Auguſtinianas leges ſequutas fuiſſe probavimus. Quin etiam in *libro decimarum antiquarum an. MCCCCIV.*, ubi omnes Auguſtiniani Ordinis domus ſimul recenſentur, nominatur in illis *Domus dominarum fratris lafranchi de coliate unita cum domo de ſupra murum*, ſcilicet S. Mariæ de Victoria, ad quam ſimul cum Monialibus de Caſtagneda conceſſerant.

XXXVII. Iiſdem de cauſſis, quamvis Sanctimoniales Monaſterii *de Arcagnago*, nunc S. Agnetis, & *Domus B. Virginis de Vedano*, nunc S. Auguſtini in Porta Nova, & *Domus de Cantalupo* in Ticinenſi porta, Humiliatæ ex monumentis pluribus appellentur a Puricellio (*a*), Latuada (*b*), & Sormanno (*c*), cum tamen iidem auctores conſentiant, quod certiſſimis argumentis con-

(*a*) Monum. Baſil. Ambroſ. pag. 385. 386.

(*b*) Deſcriz. di Mil. Tom. IV. pag. 14. 408. T. V. pag. 245.

(*c*) Paſſeggi Tom. II. pag. 128. T. III. pag. 175.

conſtat, Auguſtinianas leges illas ſervaſſe, nemo Humiliatorum Ordini illas adſcribendas eſſe judicabit. Ac præterea ad domum de Arcagnago quod attinet, validum opinioni noſtræ pondus accedit ex *Notitia Cleri Mediolanenſis an. MCCCXCVIII.*. Cum enim ibi Sanctimonialium Ordinis Humiliatorum domus a ceteris Virginum cœnobiis ſeparentur, *Domus Dominarum de Arcagnago* poſtremis hiſce, non illis prioribus, accenſetur. Hoc eodem argumento conficimus, *Domum S. Catharinæ de Rancate*, quamvis illius etiam Sanctimoniales ſæpe Humiliatæ appellentur, Humiliatorum Ordinis numquam fuiſſe. In *Libro enim Decimarum antiquarum* inter Auguſtinianas domos recenſetur *Domus magna de ranchate*. Poſita erat, ut diximus, ubi nunc S. Spiritus ædes in Porta Nova, ac viæ ipſi nomen dabat, quæ ſuburbium *de Rancate* dicebatur; ibique ad annum uſque MDXXXIX. commoratæ ſunt, quo tempore ad S. Catharinæ ad Cluſam commigrarunt. Ex quibus validius adhuc opinio noſtra confirmatur; tum quod ab anno MCCIX., quo primum illam memorari videmus (*a*) ad annum uſque MDXXXIX. numquam in tot Humiliatorum monumentis domus S. Catharinæ de Rancate indicetur, tum quod alteri deinde cœnobio, quod nullo modo Humiliatarum erat, fuerit tandem conjuncta. Cum vero domus de Rancate Sanctimoniales Humiliatorum legibus non vixerint, idem dicendum videtur, tum de altera Humiliatarum domo, quam Bonus quidam de Ferrariis anno MCCLXXIV. in S. Babilæ Parœcia conſtruxit, quæ etiam S. Primi appellata eſt (*b*); quæque deinde domui ipſi de Rancate conjuncta fuit, ut ex S. Catharinæ ad Cluſam tabulario collegit P. Allegrantia; tum de Humiliatis Monialibus quibuſdam Carlotti de Cuppa, ſeu S. Mariæ Novæ, quas ex iiſdem monumentis conſtat huic ipſi Rancatenſi domui conjunctas fuiſ-

 ſe.

(*a*) Giulin. Mem. T. VII. pag. 234.
(*b*) Id. T. VIII. pag. 283.

ſe. Enimvero in *Libro Decimarum antiquarum* utraque hæc domus Auguſtinianis adjicitur: *Domus Dominarum presbiteri boni extra portam Novam. Domus Dominarum S. Marie Nove, ſive de Cuppa*. Quam paullo antea commemoravi S. Primi domum, ſuſpicabar eamdem eſſe ac domum *de Caſirate*, quam in S. Primi Parœcia fuiſſe vidimus. Sed illud obſtat, quod illa anno MCCCLXII. domui de Rancate addita jam fuerat; hæc vero, ut oſtendimus, anno MCCCCIV. adhuc ſupererat. Itaque nullam ex his domibus revera ad Humiliatos pertinuiſſe arbitror, ſed latiore quodam ſenſu, ut dixi, Humiliatarum nomen Monialibus illis tributum.

XXXVIII. Nunc tandem ad Humiliatorum domos in Mediolanenſi agro poſitas luſtrandas accedimus, quas inter tum ob oppidi dignitatem, tum ob domorum frequentiam Modoetienſes primæ occurrunt. Modoetiæ porro jam ab anno MCCI. alterius Ordinis Humiliatos fuiſſe ex Innocentii III. literis eodem anno datis colligimus, quibus inter Humiliatorum domos Modoetienſem recenſet; ſed quænam illa eſſet, ignoramus. Jamvero *in Burgo Modoetiæ*, ita vetuſtioris Catalogi an. MCCXCVIII. Epitome, *erant domus fratrum cum ſuis religioſabus undecim; cœnobia religioſarum per ſe inibi quinque*. Catalogus ipſe autem ſic habet: *In fagia de modoetia* 1. *Domus fratrum ſancte agate*. Primam hujus domus mentionem habemus in literis Berardi Puteobonelli Modoetienſis Archipresbiteri jam a Cl. Julinio editis (*a*), quibus *Tutobello Miniſtro domus Humiliatorum & Humiliatarum ejuſdem burgi* (Modoetienſis), *que dicitur de ſancta Agatha*, Eccleſiæ conſtruendæ facultatem facit. *Dat: XV. die ante Kal. Novemb.* Sormannus addit (*b*): *anno MCCXXXIII.*; ſed hæc in autographo, quod in Modoetienſis Capituli tabulario vidi, deſiderantur. Cum tamen

(*a*) Memor. di Mil. T. VII. pag. 591.
(*b*) Stor. degli Umil. pag. 88.

tamen conſtet Berardum duos circiter annos Modoetienſi Eccleſiæ præfuiſſe, ſcilicet ab an. MCCXXXII. ad an. MCCXXXIV., hoc fere tempore datas illas fuiſſe certum eſt. Eccleſiam hanc eamdem eſſe, quæ nunc S. Mariæ de Carrobiolo dicitur, exiſtimat Comes Julinius (*a*). Sed Catalogi noſtri auctoritate videtur utraque diſtinguenda eſſe, cum & domus S. Agathæ, & domus de Carrobiolo, ut videbimus, in illo recenſeatur. Quod etiam ex antiquiore monumento colligimus an. MCCLIX. XX. Jul., quod ſuo loco proferemus; in quo hæc legimus: *in domo humiliatorum de carrobiolo de burgo modoetie extra burgum ... coram ... domino preſbitero Rugerio beneficiali eccleſie ſancte marie domus humiliatorum ſancte agathe*. At utraque deinde conjuncta eſt, atque ita conjuncta, ut fratres, qui ad S. Agathæ degebant, ad domum de Carrobiolo commigrarent. Hinc in Catalogo an. MCCCXLIV. omiſſa domo de Carrobiolo, ſola S. Agathæ domus numeratur, quo nomine poſt conjunctionem vocari cœperat. Hinc etiam in Catal. an. MDLXX. illa vocatur Domus SS. Mariæ & Agathæ de Carrobiolo: *la Prepoſitura di S. Maria & Agatha detta Carobiolo di Monza*. De hac vero mox ſermo erit.

XXXIX. Sequitur deinde 2. *Domus ſancti bartholomei*; quæ, quo loco eſſet, ignoramus. Anno MCCCXLIV. adhuc ſupererat; ſed anno MCCCXCVIII. Domui *de medio vico*, quam infra commemorabimus, conjuncta jam erat. 3. *Domus ſancti michaelis*, quam eamdem eſſe arbitror, quæ etiam *omnium Sanctorum* appellaretur. Quod ex charta præſertim an. MCCCCXXXV. colligitur, quam apud Modoetienſes S. Margaritæ Humiliatas Sanctimoniales vidimus, in qua Jacobi de Landriano Generalis Humiliatorum Magiſtri literæ proferuntur *Fr. Jacobo de Canturio domus Omnium SS. ad S. Michaelem Præpoſito*. Arbitror itaque domum hanc non longe a S. Michaelis æde Modoetiæ fuiſſe, ut ab hac

 proinde

(*a*) Mem. T. VII. pag. 467.

proinde nomen diu duxerit; tum vero omnium SS. Eccleſia ab Humiliatis exſtructa, hinc appellari cœpiſſe. Hanc porro domum ad extrema uſque tempora Humiliati tenuerunt; atque ultimus ejuſdem Præpoſitus fuit Marcus Lanetta; nemo tamen ex Humiliatis anno MDLXX. illam incolebat; ac Præpoſitus ipſe in Miraſolis domo degere conſueverat. Anno MDLXXI. XXVII. April. PP. Clerici Regul. S. Paulli in illas ædes inducti, qui deinde anno inſequente, ut mox videbimus, ad S. Mariæ de Carrobiolo traducti ſunt.

XL. Ad primum Humiliatorum Ordinem pertinebat 4. *Domus de ripalta*, quæ alio nomine *SS. Philippi & Jacobi* dicebatur. Cum Humiliatorum cœtus deleretur, commendatam illam fuiſſe animadvertimus; immo appellationem etiam videtur mutaſſe; ſic enim in Catal. an. MDLXX. *La Prepoſitura di S. Nicolao detta di Ripalta di Monza è commendata a Monſignor Falco*. Nunc vero Virginum Societas ſub S. Urſulæ patrocinio ibi ſtatuta eſt, a qua etiam ædes ipſæ nomen duxerunt. Quæ deinde ſequitur 5. *Domus de mediovico*, illam jam ad an. MCCL. commemorari videmus, quo anno Ardericus de Soreſina Modoetienſis Archipresbiter II. Decemb. *Junio Miniſtro Domus & Congregationis humiliatorum & humiliatarum ejuſdem burgi, que dicitur de medio vico Eccleſiæ conſtruende ad honorem Dei omnipotentis, & beatiſſime Marie Virginis, & Eccleſie Modoetienſis & beati Jacobi Apoſtoli* facultatem facit (*a*). Itaque nunc *de medio vico*, nunc *S. Jacobi*, interdum etiam *S. Gothardi*, quod deinde nomen invaluit forte ex novæ Eccleſiæ ædificatione, nunc denique *SS. Jacobi & Bartholomæi* appellatur, ex S. Bartholomæi domo illi conjuncta; nunc etiam omnibus ſimul hiſce nominibus. At quam infelix eſſet extremis temporibus hujus domus conditio, patet ex charta an. MDLI. XVI. Novembr., quæ in ejuſdem Præpoſituræ tabulario ſervatur; ubi Philippus de Recalcatis Præ-

(*a*) Giulin. Memor. T. VIII. pag. 655.

Præpoſitus, & Fr. Gabriel de Bottis memorantur, *qui, ut aſſerunt, faciunt totum capitulum dicte domus, cum ſolummodo ipſi ambo ſint reſidentes in eadem;* iidemque teſtantur, *quod Eccleſia & Sacriſtia caret paramentis & ornamentis neceſſariis pro cultu divino & miſſis & divinis Officiis*. Anno vero MDLXX. unicus nominatur ejus domus Præpoſitus, ſcilicet Jo. Petrus Cribellus, qui ne in illis quidem, ſed in S. Abundii ædibus Cremonæ degebat. Hinc extinctis Humiliatis Præpoſituræ redditus commendati ſunt, iiſque anno MDLXXV. fruebatur Camillus Aularius Alexandrinus. Cum vero in proximis Bartholomæi Zucchii ædibus PP. Soc. Jeſu an. MDCCXXIX. Collegium aperuiſſent, ædes illæ ab iiſdem coemptæ in Collegii uſus converſæ ſunt.

XLI. 6. *Domus de puteovagetto*, ſeu melius *de puteo vaghetto*. Erat hæc olim communis fratribus ac ſororibus domus. At anno MCCCXCVIII. mulieribus tantum illa patebat: ſic enim in *Notitia Cleri Mediolanenſis* deſignatur: *Domus Dominarum de Puteovaghetto*. In charta vero an. MCCCCLXXXV., quæ in eodem cœnobio ſervatur, quod nunc S. Margaritæ dicitur, ſic domus eadem indicatur: *domus dominarum humiliatarum Monaſterii SS. Caterine & Margarite nuncupati de Ochono;* ac ſita dicitur *in contrata arene, ubi dicitur ad puteum vaghettum*. Porro S. Margaritæ nomen cœnobio adhæſit, quo adhuc appellatur, ibique floret Humiliatarum Virginum cœnobium, quæ adhuc Humiliatorum legibus & ſacris utuntur. Huic domui addita fuit 7. *Domus de Leucho*, quæ anno MCCXCVIII. communis fratribus ac ſororibus erat; tum vero mulierum tantummodo propria fuit: hinc in charta an. MCCCLXXX. XII. Novembr. apud Modoetienſes S. Mariæ Magdalenæ Humiliatas, ubi Humiliatarum Modoetienſium domus numerantur, legimus: *Conventus domorum de leucho, de bernardigio, & de puteovaghetto predicti Ordinis humiliatorum.* Domus vero de Leucho ante annum MCCCCIV. domui de puteovaghetto conjuncta eſt; ita enim in *Libro decimarum antiquarum:*

rum : domus de leucho unita cum domo de puteovaghetto. Id porro poſt annum MCCCCI. fieri debuit , ut enim ex monumento Tabularii Modoetienſis Eccleſiæ S. Joannis ad Puricellium tranſmiſſo conſtat , conjunctio hujuſmodi ab Andrea Vicecomite Generali Humiliatorum Magiſtro decreta eſt , qui anno ſcilicet MCCCCI. ad dignitatem illam evectus fuerat.

XLII. Aliquid jam de illa , quæ deinde ſequitur 8. *Domus de Carrobiolo* ſuperius innuimus ; oſtendimuſque a S. Agathæ domo fuiſſe illam olim diſtinctam , quæ deinde poſterior priori conjuncta eſt. Hinc in charta an. MDXLV. II. Junii , quæ in tabulario Præpoſituræ S. Gothardi exſtat, nominatur *Bernardinus de Caponago Prepoſitus domus SS. Petri & Agathe vulgariter nuncupate S. Marie de Carrobiolo*. Ultimus illius Præpoſitus fuit Pacificus Bebulcus . Humiliatorum cœtu extincto, Camillo Aulario , quem ſupra appellavimus , ædes illæ earumque redditus commendati ſunt; qui anno MDLXXII. XV. Decemb. PP. Clericis Regul. S. Paulli , qui anno ſuperiore ad Omnium SS. ſedem fixerant, Eccleſiam domumque illam habitandam permiſit , eaſdemque deinde ad S. Caroli preces , certis conditionibus, dono illis dedit. Eccleſiæ vero inſtaurandæ , ut veterem Omnium SS. Eccleſiam everterent , S. Carolus iiſdem conceſſit. Obſcurior eſt 9. *Domus de parazo*, quam vocem corrupte pro *de palatio* ſcriptam arbitror, quo forte nomine illa appellabatur , quod palatio alicui proxima eſſet. In Catalogo an. MCCCXLIV. illa deſideratur ; ſed cum ibi domum *de Cavenago* in priore Catalogo omiſſam appellari videamus, quæ alio nomine *S. Andreæ de Cavenago* dicebatur, probabile eſt unam, eamdemque domum olim *de palatio*, deinde *de cavenago* dictam fuiſſe ; quod hinc confirmatur, quod ceterarum omnium Modoetienſium domorum, quæ communes erant, quis fuerit exitus, video ; at iſtius latet omnino , niſi eamdem cum domo de Cavenago fuiſſe dicamus. Hujus autem monumenta non pauca habemus : ita in charta. an. MCCCLXXX. apud

S. Mariæ

S. Mariæ Magdalenæ Moniales nominantur *conventus domorum SS. Petri & Agathe, de ripalta, Sancti michaelis, de medio vico, & de cavenago ordinis humiliatorum*, & in charta MCCCCXLVI. apud eaſdem: *fr. Johannem de breppio prepoſitum domus Sancti Andree de cavenago*. Ante Humiliatorum extinctionem commendata jam fuerat, quod ex actis luſtrationis a S. Carolo peractæ an. MDLXVI. XXVIII. Novemb. probat P. Joan. Bartholomæus a S. Claudia (*a*). Denique anno MDCLXXXIII. cum ad Cardin. Aleranum Cibo illa pertineret, PP. Auguſtiniani Excalceati in illas ædes inducti ſunt ea, qua hiſtoricus idem narrat, ratione (*b*).

XLIII. Duæ adhuc proferendæ ſuperſunt communes Humiliatorum domus, ſcilicet 10. *Domus de ſancto petro; &* 11. *Domus de ſub turrem*. Ad primam quod attinet habemus paullo vetuſtiorem illius mentionem in monumentis Utinenſibus, a Cl. P. Cortenovis ad me tranſmiſſis; in chartis ſcilicet 23. Septemb. MCCXCVI., in quibus memorari videbimus *Fr. Ambroſium de Mediolano de conventu ſancti petri modoetienſis de ordine humiliatorum &c.* At anno MCCCXLIV, S. Agathæ domui conjuncta illa fuerat, quæ ſæpe proinde SS. Petri & Agathæ dicitur; hac vero domui de Carrobiolo deinde conjuncta, nomina omnia poſtremo huic attributa, quæ ideo, ut diximus, appellatur interdum *domus SS. Petri & Agathæ vulgariter nuncupatæ S. Mariæ de Carrobiolo*. Alterius vero, quæ forte ab arcis Modoetienſis turri, quæ illi immineret, nomen duxit, vix aliud monumentum habemus. Nominatur utique in Catal. an. MCCCXLIV., ſed incolis vacua dicitur; itaque non multo poſt domui S. Michaelis conjuncta eſt. Id ex *libro decimarum antiquarum an. MCCCCIV.* colligimus, in quo hæc habemus: *Domus de S. ſaltari unita cum domo S. Michaelis;* ubi *de S. ſaltari* corrupte pro de *ſub turrem*, librarii, ut arbitror, imperitia

(*a*) Luſtri Storiali pag. 542.
(*b*) Ibid. pag. 520.

peritia irrepſit. Poſt has Humiliatorum domus utrique ſexui communes, quinque ſororum domus nominantur: 1. *domus ſororum communis*. Vidimus hac ipſa Diſſertatione fuiſſe etiam Modoetiæ Humiliatorum domum, quæ communis vocaretur, Mediolanum deinde ad Tieinenſem portam circa an. MCCLI. translatam. Porro veriſimile arbitror, domum hanc ſororum *communem*, fuiſſe olim communem & fratribus, quibus deinde Mediolanum abeuntibus, mulieribus tantum permiſſa illa fuerit. Ceterum nullum amplius illius monumentum exſtat. Ex quattuor vero aliis, quæ ſequuntur, nempe 2. *Domus de goldaniga*, 3. *Domus de bernardiggio*, 3. *Domus de rampona*, 4. *domus de brongio*, unica anno MCCCXLIV. ſupererat, ac ſupereſt adhuc *Domus de Bernardiggio*, ſeu S. Mariæ Magdalenæ, cujus etiam aliqua nobis monumenta occurrerunt. Bartholomeus Zucchius iiſdem, quas alias commemorabam, literis ad Puricellium datis, plurimas adhuc in hoc cœnobio veteres chartas exſtare ſcribit, quæ D. circiter ante annos conſtructum fuiſſe illud oſtendunt. Utinam nonnullas protuliſſet. Quod enim de S. Margaritæ monumentis narrari ab illo vidimus Diſſert. II. num. XXIX., facit ut non ſatis hominis auctoritati fidamus. Nunc certe paucæ ſuperſunt. Humaniſſimis tamen ejuſdem cœnobii Sanctimonialibus plurimum nos debere fatemur, quod quaſcumque naneiſci potuerunt, illas nobis inſpiciendas expendendaſque permiſerunt; iiſque interdum in hiſce Diſſertationibus uſi ſumus. Quo tempore a S. Maria Magdalena appellari cœperit, ignoro. Floret adhuc, ut dixi, Humiliatarum Virginum Modoetienſe hoc cœnobium, quæ Humiliatorum quidem legibus, ſed Romano in Sacris ritu utuntur.

XLIV. Duas præterea Modoetienſes Humiliatarum domos in *Notitia Cleri Mediolanenſ. an. MCCCXCVIII.* memorari videmus; ibi enim poſt domos *de puteo vaghetto*, *de bernardiggio*, *& de leucho* adduntur *Domine humiliate caputie;* & *domine humiliate de blaſſono de modoetia*. Poſteriorem hanc domum Mediolanenſis cœnobii

bii S. Catharinæ de Blaſſono hoſpitalem fuiſſe ſuſpicor; niſi forte *de liſſono* pro *de blaſſono* ſcribendum fuit; qui pagus cum proximus Modoetiæ ſit; cumque ibi eſſet Humiliatarum domus, potuit cum Modoetienſibus domibus connumerari. Humiliatas vero *caputias* eaſdem fuiſſe exiſtimo, quas Comes Julinius in charta an. MCCCVII. XXVIII. Junii indicatas invenit his verbis: *Domus Dominarum Capuzinarum de piro* (*a*). At domum hanc, quæ ſaltem ab an. MCCCVII. ad annum MCCCXCVIII. extiterit, nec tamen umquam in tot Humiliatorum monumentis innuatur, vere ad Humiliatos pertinuiſſe, difficile adducor ut credam; præſertim cum in charta an. MCCCLXXX. XII. Novemb. apud Moniales S. M. Magdalenæ, ut in aliis etiam ejuſdem ſæculi monumentis, ubi omnes Humiliatorum & Humiliatarum Modoetienſes domus enumerantur, nulla alia umquam præter domos *de puteo. vagbetto, de bernardiggio, & de l ucho* nominetur. Sed de Modoetienſibus Humiliatis ſatis; quod enim ad tertii Ordinis Fratres pertinet, qui Convenio præerant, de iis actum Differt. V. num. XXII. Itaque ad alias Mediolanenſis agri regiones luſtrandas progrediamur, in quibus tamen monumentorum inopia multo breviorem obſcurioremque hanc Diſſertationis partem reddet.

XLV. Ager Mediolanenſis omnis in quattuor *fagias*, ſeu provincias in Catalogo an. MCCXCVIII. dividitur; *fagiam* nempe *de ſeprio; de marteſana de medio; de marteſana de ripa abdue infra; & de inſula folcherie ultra abduam*. Catalogus an. MCCCXLIV. *Bazianam* & *Bulgariam* addit. Sed pauciſſimæ, quæ in his duabus provinciis erant domus, in vetuſtiore Catalogo *fagiæ de ſeprio* adduntur. Hæc porro Seprii, Marteſanæ, Fulcheriæ inſulæ, Bazianæ ſeu Bazanæ, & Bulgariæ ſeu Burgariæ nomina apud Mediolanenſes Chorographos celeberrima ſunt. Qui eſſent harum provinciarum fines, inquirere hic non vacat, præſertim cum quæ-

(*a*) Memor. T. IX. pag. 110.

quæcumque ad hæc pertinent, diligentiſſime nuper inveſtigaverit ſæpiſſime mihi in hac præſertim Diſſertatione laudatus Georgius Comes Julinius (*a*). Animadvertendum eſt tamen Humiliatos, qui Catalogos hoſce confecerunt, non ita fuiſſe de Chorographica ratione ſollicitos, ut multa pro arbitrio non immutaverint; uti etiamnunc fieri apud Religioſos cœtus videmus, apud quos Provinciarum diviſio ſæpe a Chorographiæ legibus recedit.

XLVI. Itaque in *Seprio*, tic in vetuſtioris Catalogi Epitome, *qui eſt de dicto Comitatu* (Mediol.) *erant domus fratrum cum ſuis Religioſabus trigintanovem; Cœnobia Religioſarum ſeparata a fratribus inibi ſupra quindecim*. Addit præterea in *Baziana* & *Bulgaria* quattuor fuiſſe fratrum ſimul ac Monialium domos, unam Monialium; quæ omnes in priore Catalogo in *fagia de Seprio* recenſentur, duabus exceptis, domibus ſcilicet *de Vicoboldono*, & *de Miraſole*, quas Mediolanenſi *fagiæ* additas vidimus. Sed jam ſingulas domos videamus. *In fagia de ſeprio* 1. *domus fratrum de canobio*. Canobii ſcilicet, quod frequens eſt oppidum ad Verbani oram, domum habuerunt Humiliati ædemque S. Laurentio ſacram. Hæc ad extrema uſque tempora apud Humiliatos ſtetit. Sequitur 2. *domus de breno*, cujus nulla ulterior mentio exſtat. Celebriores ſunt, quæ ſequuntur 3. *Domus major de varixio*; 4. *Domus de ſancto martino ibi*. Atque ad majorem ſeu veterem domum quod attinet, ædem habebat Deiparæ Sacram. Veteris domus nomen ad ultimum uſque ſervavit. At S. Martini domus ſupereſt adhuc, floretque ibi ſpectatiſſimus Humiliatarum Virginum cœtus, quæ vetera omnia monumenta apud illas ſervata nobis humaniſſime ſubmiſerunt. Ex his chartam an. MCCXXXIII. XVI. Maji ſuo loco edemus, qua prima ejuſdem origo continetur. Hoc enim anno

(*a*) Memor. di Mil. T. I. pag. 372. T. II. pag. 179. 430. T. III. pag. 242. T. V. pag. 193. T. VI. pag. 204. 309. 317. T. VII. pag. 17. 246. 535. T. IX. pag. 29.

anno Franciſcus de Foſſato Variſienſis domum ſuam in S. Martini vico poſitam alterius Ordinis Humiliatis conceſſit, viris ſimul mulieribuſque de more incolendam, hac conditione appoſita, ut in Deiparæ Virginis honorem *Domus de Virginibus*, ſeu *Virginum* appellaretur. Enimvero in charta an. MCCLIV. *quarto ante Kal. Octob.*, & in aliis etiam, hæc habemus: *Fr. Miranus de Mozate Miniſter ſive prelatus congregationis ſive domus virginum de ſancto martino de variſio .... ordinis humiliatorum*. Hæc porro Humiliatorum domus ſæpe etiam *domus humiliatorum S. Martini de bimio inferiori* appellatur; eo enim loco poſita erat, ut non oppido ipſo incluſa, ſed illi proxima eſſet; quin immo ad Bimienſem agrum pertineret. Id diſertiſſimis verbis affirmatur in charta an. MCCXCVII. XXI. Januar. *Domus fratrum humiliatorum de ſancto martino prope variſium ſita eſt in territorio loci de bimio inferiori*. Enimvero in Franciſcæ Columbæ Origonæ literis, quas paullo poſt commemorabimus, hoc a Bimienſibus jactari dicitur, S. Martini domum olim in illorum agro fuiſſe. Itaque arbitror, aut locum illum deinde Variſienſi oppido longius producto incluſum fuiſſe, aut Humiliatos ipſos ſedem mutaſſe. Viris mulieribuſque communis olim fuit, ut vidimus, poſtea vero Mulieribus tantum permiſſa eſt. Quin etiam veteris domus incolas mulieres ad hanc traductas fuiſſe ſcribit Franciſca Columba Origona ejuſdem cœnobii Abbatiſſa literis ſuis XIII. Jul. MDCXXXI. datis, quæ inter Puricellianas ſchedas ſervantur. Quamvis plerumque S. Martini, interdum etiam S. Catharinæ nomine appellatur. Ita in charta an. MCCCCXLIV. XXVIII. Apr. *Monaſterii eccleſie S. Martini de Variſio alias nuncupati ſub titulo S. Caterine*. 5. *Domus de maſinago*, vulgo *Maſnago*, quæ anno MCCCXLIV. deſerta jam fuerat. 6. *Domus de valle de cuvio*, vulgo *Valcuvia*; cujus quis fuerit exitus, habemus ex decreto in Rondenarienſibus comitiis an. MCCCXLIII. lato: *Domus de Cunio* (leg. *de Cuvio*) *uniatur cum domo majori* (ſcilicet veteri) *de Variſio, ipſis dantibus*

Ordini valorem tertiæ partis valoris dictæ domus de Cunio pro conſtructione alicujus novi Conventus; & ſi dicta Domus de Variſio noluerit, uniatur dicta Domus cum Domo de Canobio modo prædicto. Binæ aliæ domus 7. *de montebello*, vulgo *Mombello*, & 8. *de vedano*, in hoc tantum Catalogo numerantur.

XLVII. Applanum, vulgo *Appiano*, notum eſt in Seprii Comitatu oppidum, ubi duplex olim fuit Humiliatorum domus; ſcilicet 9. *Domus fratris guilelmi de applano*, ita forte a fundatoris nomine appellata, & 10. *Domus de ſelethi ibi*, cujus nominis originem ignoro. Anno MCCCXLIV. unica ſupererat, ac dicebatur *Domus de Cardano in Applano*. Superfuit porro illa uſque ad Humiliatorum extinctionem. Duplex pariter erat Humiliatorum domus Fenegroe, vulgo *Fenegrò*: 11. *Domus parva de ſenegroe*; 12. *Domus de Selini ibi*; ſed utriuſque, uti etiam alterius, quæ ſequitur 13. *Domus vetus de mozzate*, nulla amplius mentio occurrit. Ciſtelagi contra, vulgo *Cislago*, ubi duplicem an. MCCXCVIII. domum habebant Humiliati, quæ ſic indicantur 14. *Domus major de ciſtelago*; 15. *Domus minor ibi*, unam ad extrema uſque tempora illi tenuerunt. Ex charta an. MCCLV. XXII. Febr. quæ in Ambroſiani cœnobii tabulario exſtat, jam tum fuiſſe Ciſtelagi Humiliatos colligimus (*a*). Sed utra antiquior fuerit, non conſtat. An. MCCCXLIV. unica ſupererat. Sequuntur 16. *Domus de ſolbiate*, vulgo *Subbiate*, & 17. *Domus de fagnano*, quæ anno MCCCCIV. adhuc ſupererant. Anno MDLXV. erat Fagnani Humiliatarum domus, quas probabile eſt in Fratrum locum ſucceſſiſſe; ſed ea erat illius cœnobii conditio, ut tollendum illud omnino eſſe Ormanetus ad S. Carolum ſcriberet. Eaſdem vero Moniales has eſſe arbitror, ac illas quas Cl. Oltrocchius narrat (*b*) audito Caroli adventu in vicinos pagos dilapſas fuiſſe; quamvis

(*a*) Giul. Mem. T. VIII. pag. 111.

(*b*) Not. ad Lib. II. Cap. VII. Vit. S. Car. col. 105.

quamvis poſtea illius diſciplinæ ſe ipſas commiſerint.

XLVIII. Ad eumdem Seprii Comitatum pertinet Gallaratum oppidum. Duplex ibi erat Humiliatorum domus; 18. *Domus de capite vici de gallarate*; 19. *Domus ſancti michaelis ibi*. Utraque anno MCCCXLIV. ſupererat, ſed mulieribus tantum permiſſa. At in *Notitia Cleri Mediol.*, & in *Libro Decimarum antiquarum*, unica S. Michaelis domus indicatur. 20. *Domus de ſamarate*. Præter hanc Humiliatorum domum, alia ibidem Mulierum erat, ut mox videbimus. At in reliquis Catalogis unica Humiliatarum domus nominatur; extremis tamen temporibus Samaratenſes Præpoſitos iterum nanciſcimur; ſeu ad veteres ædes redierint illi, ſeu, quod probabilius arbitror, atque alias factum videbimus, Monialium non tam domos quam redditus illi occupaverint, ut nova Præpoſitura frui liceret. Subditur 21. *Domus de arconate*, anno MCCCCIV. adhuc ſuperſtes. 22. *Domus de ſigino* hoc unice loco apparet. At quæ ſequuntur 23. *Domus de Soma*, & 24. *Domus de Inverunio*, vulgo *Inveruno*, utraque an. MCCCXLIV. in mulierum cœnobium tranſierat. At domus quidem *de Soma* ultimum hoc eſt monumentum; poſteriorem domui Humiliatarum Buſti Garulfi conjunctam fuiſſe mox videbimus.

XLIX. Buſtum ſcilicet pagus eſt, qui ut a cognomine oppido diſtinguatur, *Buſtum Garulfi*, ſeu *Carulfi* dicitur, vulgo *Buſto piccolo*. Triplex anno MCCXCVIII. ibi erat Humiliatis domus, ſcilicet 25. *Domus de Cornaredi in buſti carulfi*; 26. *Domus fratris bonzii*, *ibi*: 27. *Domus de caſtignolo*, *ibi*. Omnes an. MCCCXLIV. adhuc ſupererant. Quin etiam alia mulierum addita fuerat, nempe *Domus de la mara*, ſeu *de marea in Buſti Garulfi*, quæ deinde Mediolanenſi domui de Blaſſono conjuncta eſt: ſic enim in *Notitia Cleri Mediol. Domus de Blaſſono cum Domo Dominarum de Marea de Buſti*. Anno autem MCCXCVIII. domus de Cornaredo Fr. Bonzii conjunctæ ſimul una cum Humiliatarum Inverunii domo

domo fuiſſe videntur; ita enim in *Notitia Cleri Mediol. Domus humiliatorum de Buſti carulſi, cum domo humiliatarum de Inverunio, & cum domo Fr. Bonzii ſuprascripti burgi*. Domus *de caſtignolo* nulla amplius fit mentio. Ex his vero domibus unica tandem conflata eſt, a S. Maria Eliſabeth appellata; cujus tamen nullum ante an. MDLII. monumentum vidi. Illo autem anno Humiliatorum Comitiis interfuit *Fr. Simplicianus del Bene S. Mariæ Eliſabeth Buſti Præpoſitus*. Duæ deinde recenſentur domus, quas exſtitiſſe ex hoc unice Catalogo noſcimus 28. *Domus de lazate*, vulgo *Lazzate*, & & 29. *Domus de rodelo*, forte *Rovello*. Duplex erat Seroni, vulgo *Saronno*, Humiliatorum domus 30. *Domus major de ſerono;* 31. *Domus minor ibi*. In Catalogo an. MCCCXLIV. unica mulierum domus profertur: quæ etiam in *Libro Decimarum antiquarum* nominatur.

L. Paullo fuſius de Humiliatorum domibus, quæ Buſti Arſitii, vulgo *Buſto grande*, fuerunt, loqui licebit; id vero omne P. D. Brunoni Borrono Mediolanenſis hujus Cartuſiæ ad Garegnanum Monacho debere me fateor, qui cum eſt Eccleſiaſticæ eruditionis amantiſſimus in primis, vetera aliquot monumenta, quæ apud Moniales S. Mariæ Magdalenæ Buſti ſervantur, nactus, mecum eadem humaniſſime communicavit. Itaque in hoc Catalogo noſtro recenſetur 32. *Domus de buſti arſitii;* quæ proinde Fratribus ſororibuſque communis cenſenda eſt. Attamen ſejunctum ante annum MCCXCVIII. mulierum Cœnobium ibi exſtitiſſe memoratis monumentis docemur; ac præſertim charta an. MCCXLIII. XIII. Decemb., qua *oto filius quondam petri de puteo, & piubella uxor ejus de loco buſti arſitio conſenſu & auctoritate bengherefco brozo de burgo buſti miſſus* (ita) *domini otonis imperatoris* quamdam agri partem donant *in domina roxa miniſtra & anziana domi humiliatarum de loco buſti arſitio*. Fieri itaque potuit, ut fratres non multo ante an. MCCXCVIII. mulieribus adderentur, domuſque illa communis evaderet. In Catalogo an. MCCCLIV. nulla

nulla fratrum, duplex ſororum domus indicatur: *Domus de la piſcina in Buſti Arſicii Magni ſorores tres; de Platea ibi ſupra ſorores ſex*. Arbitror tamen tenuem incolarum numerum effeciſſe, ut utraque ſimul hæc domus paullo poſt conjungeretur. Etenim in *Notitia Cleri Mediolan.* legimus unice: *Miniſtra domus humiliatarum de buſto arſitio*. At ecce tibi iterum aliam in eodem oppido Humiliatarum domum. Charta ſcilicet in eodem S. Mariæ Magdalenæ cœnobio exſtat, an. MCCCCLII. XXIII. Mart., in qua *Johanna de Criſpis habitans in monaſterio ſancti yeronimi ſito in burgo buſto arſitii . . . nondum profeſſa* legat *monaſterio dominarum humiliatarum ſancti yeronimi conſtituto in burgo de buſti arſitio florenos quinquaginta auri valloris ad computum ſoldorum vigintiduorum imperialium pro quolibet floreno* &c. & alia an. MCCCCLVII. XVI. Jul. *Actum in monaſterio dominarum humiliatarum Sancti auguſtini dicti burgi de buſti arſitio*. Eadem ſcilicet domus nunc *S. Hieronymi*, nunc *S. Auguſtini* appellabatur; ut conſtat ex charta MCCCCVI. XVII. Novemb., in qua fit mentio *domine Aluyſine de criſpis miniſtre domus ſive monaſterii domine ſancte marie dei matris & virginis & beatorum yeronimi & Auguſtini*. At Cœnobii hujus incolas Auguſtinianis legibus vixiſſe, pro certo reor. Enimvero ex aliis monumentis, quæ in S. Mariæ Magdalenæ monaſterio ſervantur, conſtat, Auguſtinianarum Virginum Cœnobium anno MDLXXXII. additum huic fuiſſe, ut proinde illas etiam latiore quodam ſenſu Humiliatas fuiſſe appellatas arbitrer. Porro quæ Humiliatarum erat domus a S. Maria Magdalena nomen deinde accepit. At deinde S. Benedicti leges, atque Ambroſianum ritum amplexæ illæ ſunt, quod tunc accidiſſe arbitror, cum S. Carolus S. Auguſtini Cœnobium, ut diximus, huic Cœnobio conjunxit.

LI. Octo adhuc ſuperſunt in Seprienſi *fagia* Humiliatorum domus Inſtrandæ, quarum prima 33. *Domus de broſano*. Incertus autem hæreo, an Broſſianum, vulgo *Borſano*, an Brutianum, vulgo *Bruzzano* indicetur. Poſtremo hoc in loco antiquum lapidem

dem vidit Cl. Comes Julinius, ediditque (a), qui ſic habet: *MCCCIV. decima die menſis Martii fecit primum lapidem poni ſive fundari hanc eccleſiam Frater Lanterius Piallus in preſentia Domini Prepoſiti de Bruzzano, & Fratris Carboni de Opreno, & Fratris Antonii de Corbetta ad honorem Beate Marie Virginis de capite vindemiarum, de qua Eccleſia dictus Dominus Frater Lanterius eſt patronus*. Equeſtris Ordinis alicujus Fratres hic memoratos fuiſſe arbitratur idem auctor. Nihil tamen obſtare arbitror, quominus Humiliatorum * domum Eccleſiamque fuiſſe illam ſuſpicemur. Quidquid ſit, in Catalogo an. MCCCXLIV. inter mulierum domos illa occurrit, quæ ultima eſt ejuſdem mentio. Sequitur 34. *Domus de Legnano*. * Quæ in hoc oppido erat Humiliatorum domus etiam in *Notitia Cleri Mediolan.* commemoratur. Duæ, quæ deinde proferuntur domus, nempe 35. *Domus de raude*, vulgo *Ro*, & 36. *Domus ſancti ſiri ad vepram*, qui locus parum Mediolano diſſitus extra Vercellenſem portam *S. Siro alla Vepra* vulgo appellatur, nuſquam alias occurrunt. Contra 37. *Domus vetus de Corbetta*; & 38. *Domus nova ibi ſupra* uſque ad annum MCCCCIV. indicantur; ſed in mulierum domus jam ab anno MCCCXLIV. converſæ. Denique 39. *Domus de novate*, & 40. *Domus ſancti viti ad beſtatium*, qui locus eſt prope Beſtatium, hoc ûnice loco nominantur.

LII. Jamvero poſt XL. has Humiliatorum domos, fratribus ſororibuſque communes, XVI. alia Humiliatarum Cœnobia recenſentur. 1. *Domus ſororum de bimio*; qui pagus eſt prope Variſium, vulgo *Binmo*. Ante an. MCCXCVIII. viris mulieribuſque illa incolebatur; ut ex Variſienſium Humiliatarum charta an. MCCLX. *ſeptimo die ante Cal. Febr.* colligimus: *Lanfrancus de vinago miniſter ſive prelatus domus & congregationis humiliatorum & humiliatarum de bimio inferiori, & domina marchiſia miniſtra ejuſdem congregationis &c.* Deinde vero mulieribus tantum conceſſa eſt, Supe-

(a) Memor. di Mil. T. VIII. pag. 554.

Supererat hæc adhuc an. MCCCXLIV. 2. *Domus de Vedano*; ubi fuiſſe etiam Humiliatorum domum vidimus. Refert porro P. Taegius Ord. Præd. in quodam Chronico MS. (*a*), Petræ de Vedano filiam quamdam, cum vetus Monaſterium *de Vinea* Mediolani circa an. MCCXLVII. ingreſſa eſſet, egreſſam deinde, novum Vedani Cœnobium condidiſſe. Sed utrum hoc ipſum in Catalogo noſtro deſignetur, affirmare non auſim. Illius porro nulla amplius mentio occurrit; uti etiam illius, quæ deinde nominatur 3. *Domus de la gazata*, vulgo *la Gaggiata*. At 4. *Domus de Caſtiliono* anno MDVI. adhuc exſtabat; etenim apud Variſienſes S. Martini Humiliatas exſtant literæ hoc anno VI. Decemb. datæ, quibus Primus de Criſpis Braidenſis Præpoſitus, ac Hieronymi Landriani Generalis Magiſtri Vicarius Benedictam de Caſtiliono *profeſſam domus S. Trinitatis loci de Caſtiliono* domus ejuſdem Miniſtram conſtituit. Cum autem animadvertam nonnulla hujus domus monumenta apud Humiliatas Variſienſes ſervari, arbitror Moniales ipſas, quo tempore incertum, illuc deductas fuiſſe. 5. *Domus de tradate*, nullo alio in Catalogo profertur. 6. *Domus de magnago*, an. MCCCXLIV. adhuc ſupererat. 7. *Domus de Caſſano magnago*. In Catal. an. MCCCXLIV. duplex ibi domus indicatur: *De Caſſano Magnago ſorores quatuor; Domus altera de Caſſano ſorores ſex*. At in *Libro decimarum antiquarum* an. MCCCCIV. unica ibi Humiliatarum domus indicatur. Sequitur 8. *Domus de Samarate*, de qua paullo ante diximus. Lonate oppidum, quod etiam Lonatum Puteolum, & in veteribus monumentis Lonate pozoldum dicitur, vulgo *Lonate Pozzuolo*, unicam anno MCCXCVIII. numerabat Humiliatarum domum; 9. *Domus de lonate*: Duplex vero an. MCCCXLIV. In *Notitia Cleri Mediolan.* hæc habemus: *Domus S. Marie de Lonate Pozoldo*: tum: *Miniſtra Domine Alegrantine ſive fratris Aycardi*. Primam Humiliatarum fuiſſe, affirmare certo

Ccc

(*a*) V. Giulin. Memor. T. VIII. pag. 551.

certo non poſſum; fuiſſe alteram colligo ex charta an. MDXII. 1. Decemb., quæ in S. Satyri tabulario aſſervatur: quamque mecum communicavit eruditiſſimus Mediolanenſis Sacerdos, ac Bibliothecæ Ambroſianæ Cuſtos Felix Montius, cui præſertim ob humaniſſime mihi præſtitam in ejuſdem Bibliothecæ Codicibus evolvendis opem plurimum me debere profiteor: *In burgo de Lonate pozoldo plebis gallarati in domo habitationis dominarum humiliatarum monaſterii nuncupati fratris aycardi*, *nunc S. Auguſtini ſita in contrata de capite vico*. Ac probabile eſt uſque ad S. Caroli ætatem ſuperfuiſſe illam, qui ex novem, quæ Lonati invenerat, Monialium cœnobiis, tria conflavit, Humiliataſque, quæ ibi erant, Moniales ad urbanum S. Mariæ Magdalenæ ad Circulum deduxit (*a*). Caſtani etiam, ubi an. MCCXCVIII. unica erat Humiliatarum domus, quæ hic nominatur 10. *Domus de caſtano*, duplex erat an. MCCCXLIV. Utraque autem indicari videtur in *Notitia Cleri Mediolan.* Quin etiam additur: *Miniſter hoſpitalis Humiliatorum S. Mariæ de Caſteno;* ex quo novam hanc hoſpitalem Humiliatorum tertii, ut arbitror, Ordinis domum cognoſcimus. Tres quæ deinde ſuccedunt 11. *Domus de gula ſicha* [parvus eſt prope Sextum Calendarum vicus]; 12. *Domus de cuzono*, vulgo *Cugionno;* 13. *Domus de uboldo* hoc tantum in Catalogo indicantur. 14. *Domus de Parabiago;* & 15. *Domus de Ponzano* [qui pagus eſt in Maſſaliæ plebe, alias etiam Podenzanum, vulgo *Poenzano*] anno MCCCXLVIII. adhuc ſupererant; altera etiam an. MCCCCIV. Denique 16. *Domus de Roxate*, vulgo *Roſate* in Burgaria in hoc tantum & in altero an. MCCCXLIV. catalogo occurrit.

LIII. Seprienſem *fagiam* excipit *fagia de Marteſana de medio*. In hac *erant*, inquit Braidenſis Chronici auctor, *domus fratrum cum ſuis Humiliatabus triginta; Cœnobia religioſarum per ſe erant tredecim*. Singulas ex antiquiore Catalogo breviter luſtremus. *In fagia*

(*a*) Oltrocch. Not. ad Vit. S. Car. Lib. II. Cap. VII. col. 105, & Cap. XIII. col. 139.

fagia de Marteſana de medio 1. *Domus fratrum de puteo de liſſono;* 2. *Domus de eccleſia ibi ſupra;* 3. *Domus de ſubtus ibi*. Mirum ſane, in parvo, cujuſmodi Liſſonum eſt, pago parum Modoetia diſſito tres Humiliatorum domos fuiſſe. Unica tamen anno MCCCXLIV. ſupererat; quæ etiam ante annum MCCCXCVIII. Modoetienſi S. Michaelis domui conjuncta eſt. Quæ vero deinde ſequitur 4. *Domus de Deſio*, quod frequens eſt oppidum decimo ab urbe lapide, anno MCCCCIV. Vicoboldonenſi domui conjuncta erat. Tres deinde enumerantur Humiliatorum domus, quæ Marliani erant: 5. *Domus ſancti ſtefani de marliano;* 6. *Domus de gaudentio ibi;* 7. *Domus de garbagnate rupta ibi*. Marlianum ſeu Marianum oppidum alterius Ordinis Humiliatos jam ab anno MCCI. exceperat, ut ex ſæpius memoratis Innocentii III. literis conſtat. Quod ad domum S. Stephani pertinet, arbitror illam hoc nomine appellatam, quod præcipuæ illius Oppidi Eccleſiæ S. Stephano ſacræ proxima eſſet; atque eadem forte eſt, quæ in alias memorata charta an. MCCXCVIII. 11. Maji indicatur his verbis: *frater axo domus humiliatorum de prato de marliano;* quamque in antiquiore adhuc monumento, charta ſcilicet an. MCCXXXIX., quæ in Marlianenſis Eccleſiæ tabulario ſervatur, appellatam vidit Cl. Julinius (*a*) *de Prato de Andamo*. Enimvero Recluſas quaſdam in eadem charta nominari ille addit, quæ non longe a S. Stephani Eccleſia degerent; quæ nempe ejuſdem domus Humiliatæ videntur fuiſſe, quæ S. Stephani appellabatur. Binas alias Humiliatorum domos charta eadem deſignat; *domum Gaudentium*, quam in Catalogo noſtro appellari vidimus *de gaudentio;* & domum *Humiliatarum de burgo novo*, quibus verbis ſi Virginum a fratribus ſejunctarum domus indicatur, neceſſe eſt an. MCCXCVIII. deſertam jam illam fuiſſe; nulla enim in Catalogo noſtro Humiliatarum domus Marliani recenſetur. Sed forte eadem eſt, quam appellari

 vidi-

(*a*) Memor. T. VII. pag. 532.

Digitized by Google

vidimus *de Garbagnate rupta*, fratribus ſororibuſque communis. At anno MCCCXLIV. nulla amplius Marliani erat Humiliatorum domus.

LIV. Tres pariter Canturii erant Humiliatorum domus, ſcilicet; 8. *Domus de camporotundo de Canturio*; 9. *Domus de pianella ibi ſupra de foris*; 10. *Domus de pianella ibi de intus*. Duas habemus, quæ ad Canturienſes Humiliatos pertinent, chartas ab erudito ac Nobili viro Canturienſi Canonico Carolo Barnaba Carcano ad nos tranſmiſſas, ac ſuo loco edendas, quibus tres hæ domus indicantur. Alteram XV. April. MCCLIII., alteram XXIII. Jul. MCCLVI. ex ejuſdem Capituli tabulario eductas. Anno MCCCXLIV. binæ tantum ſupererant, *Domus de Camporotundo*, & *Domus de Planella*, ſed exteriorne an interior, ignoro. Ex quibus deinde unica conflata eſt *Domus S. Georgii*, eodem forte loco ubi erat *Domus de Camporotundo*. Hujus domus nomen jam ab an. MCCCCXXVII. in monumentis occurrere, laudatus Canonicus ad me ſcripſit. Earum redditus Humiliatis extinctis per Pontificias literas Canturienſi Capitulo attributi ſunt. Ipſa S. Georgii Eccleſia adhuc ſupereſt, ac diem illi ſacrum Canonici ibidem celebrant. Quæ deinde ſequuntur domus, videlicet 11. *Domus de Vedano*, & 12. *Domus de blaſſono*, vulgo *Biaſſonno* hoc loco tantummodo memorantur. Subditur 13. *Domus de la caſſina de carate*, quo nomine Caratenſis Humiliatorum domus deſignatur. Ad extrema uſque tempora apud Humiliatos hæc fuit; atque in Catal. an. MDLXX. Cardinali Morono commendata dicitur. Altera erat Carati Humiliatorum domus, quæ in hoc tantum Catalogo indicatur: 14. *domus de caſtegnedo ibi*. Omnium vero, quotquot recenſendæ in hac *pagia* ſuperſunt domus, unice nomen proferre cogimur. Eæ porro ſunt 15. *Domus major de verano*; 16. *Domus minor ibi ſupra*. 17. *Domus de brioſcho*; 18. *Domus de Garbagnate monaſterio*; 19. *Domus de biolzago*, vulgo *Bulciago*; 20. *Domus de Crimella*; 21. *Domus de biſleto*, vulgo *Beſletto*; 22. *Domus de meda*;

23. *Domus*

23. *Domus de eixano*, vulgo *Ceſano Maderno*; 24. *Domus de bianzago*; 25. *Domus de ſegnano*; 26. *Domus de ſenago*; 27. *Domus de grognotorto*; 28. *Domus de Cuxano*, vulgo *Cuſano*; 29. *Domus de dugnano*; 30. *Domus de cinixello*, vulgo *Cinifello*. Ex his vero Domus *de Brioſcho*, & Domus *de Senago* in mulierum domos converſæ illa anno MCCCXLIV., hæc anno MCCCCIV. adhuc ſupererant. Hoc pariter anno ſupererat *Domus de biſleto*. Ceteræ omnes ante annum MCCCXLIV. ab Humiliatis derelictæ fuerant.

LV. Sequuntur deinde, quæ in eadem regione erant Humiliatarum domus; ac primo Liſſoni, ubi tres erant, ut vidimus, Fratrum, duæ præterea erant Monialium domus. 1. *Domus ſororum de foſſato de liſſono*; 2. *Domus de marliano ibi ſupra*. Anno MCCCXLIV. in unam coaluerant, quæ anno MCCCCIV. adhuc exſtabat. Tres deinde Humiliatarum domus Serenii nominantur; 3. *Domus fratris ferrandi de ſeregno*; 4. *Domus fratris alberti ibi*; 5. *Domus fratris martini ibi*. Anno MCCCXLIV. duæ ſupererant: *De Seregno ſorores quatuor*; *Domus nova ibi ſupra ſorores quinque*. Prima illa eſſe videtur, quæ olim Fr. Martini appellabatur. Sic enim habemus in *Libro Decimarum antiquarum*. *Domus fr. Martini ſeregnii unita cum domo Circuli*; tum ibidem ſubditur *Domus Nova*, ut adhuc Seregnii exſtans. Hæc vero an. MCCCCVI. Modoetienſi S. Mariæ Magdalenæ cœnobio conjuncta fuit, ut conſtabit, cum de Humiliatarum domibus, quæ Vicomercati erant, agemus. 6. *Domus de beſana*, quæ an. MCCCXLIV. adhuc ſupererat. Canturii autem præter tres memoratas Humiliatorum domos, alia Monialium erat. 7. *Domus de la nuce de canturio*. Ædem porro, ut fertur, S. Mariæ Magdalenæ ſacram, ſæculo proxime elapſo everſam, illæ habebant; ſed quamdiu eamdem incoluerint, ignoro. Fuit etiam Canturii Hoſpitalis domus S. Ambroſio dicata; cui Virgines nonnullæ, Humiliatarum nomine deſignatæ, inſerviebant. At has etiam latiore quodam ſenſu Humiliatas dictas fuiſſe, ex alio Canturienſi documento an.

MCCCCLXXVI.

MCCCCLXXVI. XXX. April. colligimus, in quo illæ *Ordinis S. Auguſtini* appellantur. In eadem denique *fagia* erant 8. *Domus de lurago*; 9. *Domus de caſirago*; 10. *Domus de monte*; 11. *Domus de valle*; 12. *Domus de Migloe*, vulgo *Muggiò*; & 13. *Domus de Sexto*, ſcilicet, ut arbitror, *Sexto Joannis*. Ex his domus *de Caſirago*, & *de Sexto* in Catalogo an. MCCCXLIV. recenſentur: ceteræ ante illum annum incolis deſtitutæ fuerant.

LVI. Altera nunc Marteſanæ pars occurrit, quæ in Catalogo noſtro dicitur *de ripa adhuc infra*. In hac, ait prioris Chronici auctor, *erant domus fratrum cum ſuis monachabus viginti ſex: Cœnobia religioſarum per ſe erant undecim*. Verum, quod mirere, ex XXVI. illis domibus binæ tantum anno MCCCXLIV. ſupererant; quin etiam ex his ipſis altera erat, ut ait Catalogi poſterioris auctor, *fratribus viduata*. Nonnullæ tamen in mulierum domos converſæ erant. Sed ſingulas recenſere aggrediamur. 1. *Domus de pozolo intus*; 2. *Domus de pozolo de foris*; 3. *Domus de meltio*; 4. *Domus de liſcate*; 5. *Domus de limidi*; 6. *Domus de orſanigo de murſcugia*; 7. *Domus de Pratocentenario de murſcugia*, vulgo *Precentenario*. Undenam hoc *Murſcugiæ* nomen duabus his domibus additum, ignoro. Nulla porro ex his ſeptem anno MCCCXLIV. ſupererat. Sed domus *de pratocentenario* antiquius monumentum habemus in charta an. MCCLXIII. XXVI. Octobr., quæ in noſtri hujus Collegii tabulario aſſervatur: *frater Albertus filius quondam bonacurſi de corneno humiliatus domus humiliatorum de prato centenario*. Quæ deinde ſequuntur 8. *Domus de cugnolo de vicomercato*, & 9. *Domus de la valle ibi ſupra*, anno MCCCXLIV. mulierum cœnobia evaſerant; de illis proinde ſimul ac de altera, quæ ibidem fuit, Humiliatarum domo mox ſermo erit. 10. *Domus major de arcbori*; 11. *Domus de trenzanenſe*, vulgo *trenzaneſe*, hoc ſolum in Catalogo recenſentur. At 12. *Domus de ciſnuſculo lombardone* (vulgo *Cernuſchio* in Brianteis collibus) an. MCCCXLIV. adhuc exſtabat, ſed, ut dixi, *fratribus viduata*. 13. *Domus de merate*,

Super-

Supererat illa an. MCCCXLIV. in mulierum domum converſa. Andreæ Vicecomitis Generalis Humiliatorum Magiſtri literas XX. Jul. MCCCCVI. datas ſuo loco edemus, quibus Meratenſis hujus domus cum cœnobio S. Catharinæ de Blaſſono conjunctionem jam ab an. MCCCXCIV. peractam confirmat. Adduntur deinde 14. *Domus de roncho*, 15. *Domus de bernardigio*, vulgo *Bernareggio*, 16. *Domus de licurti*, vulgo *Alcurzio*, vel *Curzio*, 17. *Domus de colnago*, 18. *Domus de mezago*. Hæ omnes, ſi domum *de Bernardigio* excipias, quæ in mulierum cœnobium converſa anno MCCCCIV. adhuc exſtabat, reliquæ omnes, inquam, nullo amplius loco memorantur. 19. *Domus de la coſta de tritio*. Quæ Tritii ad Abduam erat Humiliatorum domus, in *Libro Decimarum antiquarum* ſic indicatur: *Domus de Trezio unita cum domo de Vicoboldono*. Sacra ad Abduæ ripam ædicula adhuc viſitur quingentis circiter ac mille paſſibus Tritio diſtans, medio inter hoc oppidum, & Paradiſianum, ut ajunt, rus noſtrum itinere; ac ruſticas domos proximas habet. Suſpicor hoc loco fuiſſe Tritienſem Humiliatorum domum, quæ ideo *de la coſta* appellaretur, quod ad Abduæ litus ſita eſſet. Septem, quæ ſequuntur, Humiliatorum domus ex hoc tantum Catalogo innoteſcunt. 20. *Domus de carubio de glaxiate*, vulgo *Geſſate*, 21. *Domus de glaxiate de inzago*, Inzaghi ſcilicet poſita, ac *de Glaxiate* appellata; 22. *Domus de cambiago*, 23. *Domus de cavanago*, 24. *Domus de maxate*, vulgo *Mazzate*, 25. *Domus de caponago*, 26. *Domus de carugate*.

LVII. Sororum Domus deinde hoc Ordine ſubduntur. 1. *Domus ſororum de caſſano*. Caſſani ad Abduam Humiliatarum domum in compluribus monumentis legimus uſque ad an. MCCCCL., quo Catharina de Bellis illius Miniſtra renunciata eſt. At paullo poſt Præpoſitum eidem domui datum videmus Joannem de Orſanigo, ut ex Blancæ Mariæ Vicecomitis literis an. MCCCCLIII. VIII. Martii, & Philippi Cribelli Generalis Humiliatorum Magiſtri

giſtri eodem anno XVIII. Maji datis, ſuo loco edendis, colligimus. Paullo poſt tamen Caſſanenſis domus Braidenſi S. Catharinæ cœnobio conjuncta eſt, ut ex monumento an. MCCCCXCI. XIX. April. conſtabit. 2. *Domus de inzagho:* hæc an. MCCCXLIV. adhuc exſtabat. Chartam in S. Catharinæ ad Cluſam tabulario vidit Cl. P. Allegrantia, an. MCCCLXXI. VII. Mart., quæ Sanctimoniales *Domus Novæ de Inzago* cœnobio illi additas indicat; ſed hanc ab Humiliatarum domo diſtinguendam eſſe illud evincit, quod ipſa Humiliatarum domus in *Libro Decimarum antiquarum an. MCCCCIV.* adhuc occurrit. Pioltelli tres olim erant Humiliatarum domus; 3. *Domus de pioltello de ſupra;* 4. *Domus de la ſperanza ibi;* 5. *Domus de ſubtus ibi*. Binæ an. MCCCXLIV ſupererant. At anno MCCCCIV. Vicoboldonenſi domui utraque conjuncta fuerat. 6. *Domus de grogonzola*, ſeu *de Gorgonzola*. Hæc adhuc ſupererat anno MCCCCIV. 7. *Domus de Vicomercato*, vulgo *Vimercate*. Duæ,ut vidimus,Humiliatorum domus an. MCCXCVIII. in hoc oppido erant; altera *de la valle*, altera *de cugnolo* appellatæ; tertia mulierum hic additur. In Catalogo an. MCCCXLIV. omnes inter mulierum domos adnumerantur. Exſtant in S. Mariæ Magdalenæ Modoetienſi cœnobio Andreæ Vicecomitis Generalis Humiliatorum Magiſtri literæ, quas ſe vidiſſe teſtatur P. Allegrantia, an. MCCCCVI. XIV. Septemb. datæ, quibus cœnobio illi conjungit *Monaſterium Humiliatarum de la valle de Vicomercato*, & *Monaſterium de la Cagnola* (legendum videtur *de la Canova*, ut domus nova exprimatur, quam Serenii fuiſſe oſtendimus) *de Serenio*. Reliquarum exitus, quis fuerit, ignoro. Sequuntur deinde 8. *Domus de opreno;* 9. *Domus de oſnago*, quæ hic tantum occurrunt. Oprenum, vulgo *Opreno* pagus eſt trans Abduam; ſed forte legendum *de Oreno;* 10. *Domus de archori;* 11. *Domus de buſnago*. In Libro *Decimarum antiquarum* nominantur *Monaſterium S. Martini de Archori*, & *Domine de Buzinago;* ſed his nominibus ipſas

Humi-

Humiliatarum domos indicari affirmare non audeo. Certe S. Martini Monaſterium jam ab an. MCXCII. exſtabat (*a*), eratque Romanæ ſedi immediate obnoxium; quo ſane jure Humiliatorum domus per ea tempora non fruebantur.

LVIII. Supereſt denique *fagia Inſule Folcherie ultra abduam*, in qua octo tantum erant Humiliatis communes domus, propria mulierum an. MCCXCVIII. nulla. 1. *Domus fratrum de bregnano*, vulgo *Brignano*. Hæc anno MCCCXLIV. adhuc ſupererat. 2. *Domus de Fornovo de Caravazio*; 3. *Domus de Caravazio*. Fornovum pagus eſt Caravagio celebri oppido proximus; ideoque Fornovi etiam domus, Caravagienſis appellatur. Utraque uſque ad Humiliatorum extinctionem ſuperfuit. Utriuſque redditus anno MDLXXXII. a Gregorio XIII. Mediolanenſi Seminario conceſſi ſunt. Caravagienſes ædes an. MDCIII. PP. Ciſtercienſibus conceſſæ, 4. *Domus de vailate*, de qua in *Notitia Cleri Mediol.* hæc habemus: *Domus Fr. Humiliatorum de Fornovo, cum domo de Vailate unita ſecum*. 5. *Domus de Calvinzano*. Fuiſſe ibi jam ab an. MCCXXVII. Humiliatorum tertii Ordinis cœtum ex Gregorii IX. literis eo anno III. Id. Jun. datis colligimus; in quibus inter eorum Miniſtros appellat *Joannem Bellum de Calvenzano*. Clauſtralium vero Humiliatorum domus ſic in *Notitia Cleri Mediol.* deſignatur: *Domus Fratrum Humiliatorum de Caravazio, cum domo de Calvinzano unita ſecum*. 6. *Domus de trivillio*. Hanc an. MCCXXIX. conſtructam fuiſſe docet Emmanuel Laudius in Trivillienſi hiſtoria (*b*) an. MDCXLVII. Mediolani edita, confirmatque in fuſiore ejuſdem oppidi hiſtoria MS., quæ ibidem ſervatur, additque S. Jacobo Apoſtolo ſacram illam fuiſſe; ſedemque illam Humiliatos tenuiſſe ad annum uſque MDIX., quo tempore bellorum furore eorum ædes dirutæ omnino ac vaſtatæ fuerunt. Denique 7. *Domus major de ripalta*, vulgo

(*a*) V. Giulin. Mem. T. VII pag. 91.

(*b*) P. I. Cap. XI

vulgo *Rivolta*; 8. *Domus minor ibi ſupra*; utraque in Catalogo an. MCCCXLIV. profertur, ſed altera fratrum, ſororum altera. Fratrum autem domus videtur ad extremum uſque ſuperfuiſſe. Nonnullæ adhuc Humiliatorum domus recenſendæ ſunt, quæ quamvis in noſtro hoc Catalogo omittantur, Humiliatorum tamen fuiſſe conſtat. Ac primo habemus Innocentii III. literas II. Kal. Jan. Pontificatus anno XI. datas ad Humiliatos *Orlianenſes*. Duplex porro eſt Orlianum, alterum in Maſſaliæ, in Angleriæ alterum plebe, quod etiam Orianum dicitur. Utrum indicetur ignoro. Alexandri IV. pariter literas edemus IV. Id. Decemb. Pontificatus an. VI. datas, in quibus memoratur *Domus Humiliatorum de Ugligniate*, vulgo *Olginate*. Vidimus etiam cum de Mediolanenſi SS. Trinitatis domo ageremus, *Eccleſiam S. Mariæ in Campo Mediol. Dioc.* fuiſſe Humiliatis conceſſam. Aliam ſe vidiſſe in charta anni MCCLXXVI. Ugloni poſitam, vulgo *Oggiono*, commemorat Comes Julinius; aliamque Ciſnuſculi Aſinarii fuiſſe colligit (*a*) ex Ambroſiani tabularii charta an. MCCLXXX. Denique in *Bullario Minorum Conventualium* (*b*) Alexandri IV. literas habemus IV. Non. Mart. Pontif. an. II. datas, quibus *Monaſterium Monialium de Rubono Mediol. Dioc. tunc Ordinis S. Benedicti*. a Mediolanenſi Archiepiſcopo Humiliatis conceſſum, iiſdem confirmat. At Rubonum fruſtra in Mediol. Diœceſi requirimus. Forte *Robianum* ſcribendum erat, qui pagus eſt in Alliati plebe. Hunc in modum habemus ex Catalogo noſtro CCXVIII. in Mediolanenſi urbe & agro domos, quibus ſi alias nonnullas, quas ex diverſis monumentis protulimus, addas, habebis fere CCXXX. in ſola Mediolanenſi urbe & agro Humiliatorum domos. Quam profecto in unica provincia domorum multitudinem arbitror a nullo umquam Religioſo cœtu numerari potuiſſe.

ORNA-

(*a*) Mem. di Mil. T. VIII. pag. 191. & 337.
(*b*) T. II. pag. 121.

ORNATISSIMO VIRO

P. HIERONYMO TIRABOSCHIO S. J.

GEORGIUS DE JULINO S. P. D.

LEgi ſumma cum voluptate, ut ſoleo tua ſcripta omnia, Diſſertationem, quam nuper a Te recepi, Vir Cl., De domibus Humiliatorum. Quanta, bone Juppiter, eruditionis copia; quanta criticæ vis; quæ eloquentia; quæ perſpicuitas! Semper certum, nunc autem certiſſimum judico Horatianum illud axioma:

Cui digeſta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.

Plura adderem, ſi laudes a me expectares; verum quia animadverſiones meas, qualeſcumque ſint, expoſcis, obſequi deſiderio tuo hac in re arbitror forſitan æquum minus, tamen amicum magis. Verum antequam manum operi admoveam, ſcire te volo, qua de cauſſa, cum alias iiſdem de rebus Italice ad te ſcripſerim, nunc Latine mihi ſcribendum eſſe cenſuerim. Ea nempe cauſſa eſt, quia experientiâ didici, commodius de Latinis Diſſertationibus agi poſſe Latine, quam Italice. Habe igitur obſervatiunculas aliquas, quas prout legenti occurrebant in adverſaria conjeci. Hoc unum rogo, ne has ſub oculos Ferrarii noſtri optimi venire permittas. Quo enim ſupercilio Vir ille Ciceronianus totus, & a talis ad capillum aureum ſeculum ſpirans excipiet Scriptorem, qui viginti ferme continuis annis nil niſi barbariem puram putamque præ manibus, præ auribus, præ oculis, præ animo habuit? Te vero literas haſce meas ſi non ob venuſtatem, & elegantiam, ſaltem ob utilitatem aliquam probaturum ſpero.

NUM. V. *Ea ſunt rationum momenta, quibus Eccleſiam tuam Braidenſem, illam nempe quæ adhuc ſupereſt, multo recentiorem oſtendis quam ego credideram, ut nihil amplius ſuppetat, quod reponi poſſit.*

Volens ergo, ac lubens, manibus, pedibuſque abeo in tuam ſententiam.

NUM. X. *Apud Humiliatos Domus Sancti Spiritus moram traxiſſe Henricum Septimum Romanorum Regem anno* 1311. *narrat Joannes de Cermenate Auctor Synchronus.*

NUM. XI. *Sorores de Monteforti, quas memorat Gothofredus de Buſſero, ſi eæ ſunt, quæ ad Humiliatorum domum pertinebant, certe Eccleſiam habebant, ab Eccleſia Fratrum diſtinctam. Gothofredus enim altare Sancti Andreæ indicat* In Eccleſia Sororum de Monteforti.

NUM. XII. *Domui Humiliatorum Portæ Orientalis, ubi Pater ſuus jacebat, Petrum Sancti Marci Presbyterum Cardinalem Peregroſſum anno* 1295., *teſtamento legaviſſe domum quandam cum furno novi ex ejus codicillis. Verba ipſa Legati hic juvat exſcribere.* Item Domui Humiliatorum Porte Horientalis Mediolani, ubi Pater meus jacet, lego, & relinquo domum, & priſtinum, que habeo in Parochia S. Martini In Computo; hac tamen conditione adjecta, ut iidem Fratres ejuſdem Domus teneantur ad annuum Anniverſarium decem, pro anima ipſius Patris mei, & mea, & elemoſinas, & alia pietatis opera facere pro anima ipſius, & mea.

NUM. XXV. *Humiliatos quondam incoluiſſe Domum apud Sanctam Euphemiam, quam nunc ſub Titulo Crucifixi Mulieres Pœnitentes habent, credidi, poſtquam picturam, quæ ibidem portam exornat, attente perſpexi. Virginis Deiparæ imago apparet, ante quam a dextro latere plures Fratres, & a ſiniſtro plures Sorores flexis genibus adſtant. Veſtes tum Fratrum, tum Sororum eæ ſunt, quas Humiliatis tribui alibi videmus. Digna plane pictura, quam ſi adhuc non vidiſti, videas; & examines, an Domus Sanctæ Euphemiæ cum hac apte convenire poſſit.*

NUM. XXVI. *Si locus eſt conjecturis; quid ni dicamus Domum de Bagiera, ſeu de Baynera extitiſſe, ubi vicus eſt, qui adhuc hodie vocatur* Stretta Bagnera?

NUM. XXXIII. *Haud difficile adducor, ut credam chartam, quam in Archivio Ambroſiano vidi ad Domum Humiliatorum de Udrugio pertinentem, nobis Domum Mediolanenſem de Udrugio appellatam indicare.*

NUM. XXXVII.

NUM. XXXVII. *Quoddam Regiſtrum (liceat vulgari hoc vocabulo nominare ordinatam collectionem Chartarum Familiæ de Capris) mihi exhibuit venditionem factam anno* 1320., *ubi memoratur* Miniſtra, *&* Sorores Domus Sancti Bernardi, *ſive* de Vegiantino. *Nunc ad Portam, quæ de Vigentino dicitur, habemus Monaſterium Monialium Sancti Bernardi Ordinis Sancti Dominici. Moniales illæ, ut probat Latuada, quondam ſecundum Sancti Benedicti Regulam vitam ducebant. Aſt ſeculo decimotertio ibi non Monaſterium, ſed Hoſpitalis domus habebatur, de qua Gothoſredus de Buſſero agens inquit:* Eccleſia Sancti Bernardi extra Portam Romanam cum Hoſpitali. *Miniſtra ergo & Sorores Domus Sancti Bernardi anno* 1320. *huic Hoſpitali inſerviebant, nihilque cum Humiliatis habebant commune.*

NUM. XXXVIII. *Domum Humiliatorum Sanctæ Agathæ, & Domum Sanctæ Mariæ de Carrobiolo ejuſdem Ordinis duo fuiſſe diſtincta Monaſteria Modoetiæ, ego quidem non inficior, imo & mordicus teneo. Verum Eccleſiam, quam permittente Archipresbytero Modoetienſi, circa annum* 1233., *Humiliati Sanctæ Agathæ ædificaverunt, fuiſſe Eccleſiam Sanctæ Mariæ, quæ de Carrobiolo dicitur, me aſſeruiſſe nunc quoque, ſi veniam das, minime pœnitet. Nam Archipresbyter ſuis literis concedit facultatem Humiliatis Sanctæ Agathæ erigendi Oratorium* ad honorem Omnipotentis Dei, & ſemper Virginis Mariæ; *non autem ad honorem Sanctæ Agathæ; & licet addat:* In Curia veſtra, *ſeu* in ſedimine veſtro: *quid prohibet credere Domus Sanctæ Agathæ* Curiam, & ſedimen *Carrobiolum ipſum haud longe diſſitum attigiſſe, vel ſi magis placet aliam* Curiam, & ſedimen *proprium eo loci habuiſſe memoratos Fratres? Conjicere ergo juvat Domum Sanctæ Agathæ a proxima Sanctæ Agathæ Eccleſia, quæ antiquiſſima eſt, nomen traxiſſe, quæ tamen non erat hujus Domus propria, ſed communis Viciniæ univerſæ. Hic mos fuit antiquioribus Humiliatis. Cum vero eos inceſſiſſet cupido propriæ Eccleſiæ, & Cæmeterii habendi, nec locus proximior iis extruendis eſſet apud Sanctæ Agathæ Domum, Carrobiolum ſelectum eſt, ibique ea ædificia ſurrexerunt. His ſuperadditum fuit novum*

Mona-

Digitized by Google

Monaſterium , quod aliquandiu diſtinctum , demum utpote commodius etiam Fratres Sanctæ Agathæ recepit . Quæ dicta ſint non propriæ opinionis tuendæ , ſed veritatis eruendæ gratia .

NUM. LI. , *Locum, quem nunc* Borſano *nominamus , Broſſianum, &* *Broſſanum etiam antiquitus dictum reperio . Nomine vero Broſani Brutianum ægre intelligerem . Argumentum , quo adductus ſum , ut Fratres in Bruti:manſi Inſcriptione memoratos alicui Equeſtri Ordini , & non Regulari adſcriptos cenſerem , hoc eſt . Fundator Eccleſiæ Jus patronatus , ut ajunt , ſibi reſervaverat , prout colligimus ex iis verbis :* De qua Eccleſia dictus Dominus Frater Lanterius eſt Patronus : *& hoc idem jus ad Poſteros ſuos pervenit . An hæc Ordinem Regularem , an ſeculum ſapiant, tui ; judicium eſto .*

Ibidem. *Quidam Præpoſitus , ni fallor , Ambroſius De Puteo dictus , vivente adhuc Divo Carolo de rebus Legnanenſibus vulgari ſermone ſcripſit . Oblatus eſt mihi codex manuſcriptus , cum eam regionem inviſerem ; ibique pag. 58. inter cætera legi hæc ferme verba : Eccleſia Sanctæ Catharinæ inter Legnanum , & Legnarellum olim Ordinis Humiliatorum , nunc membrum Abbatiæ Cardinalis Peretti poſt abdicationem Cardinalis Montalti ejus Avunculi . Et paulo poſt: Humiliatæ Legnani degentes albis veſtibus utebantur , habebantque Eccleſiam Chriſto Transfigurato dicatam . Ordine Humiliatorum deleto Moniales Domibus Mediolanenſibus S. Catharinæ In Braida , & Sanctæ Mariæ Ad Circulum addictæ fuerunt ; aliquæ vero ob corruptos mores Sanctæ Valeriæ Pœnitentibus Fœminis Sociatæ . Eccleſia , & Monaſterium venditum , & in uſus ſeculares traductum , nunc* Monaſterium ruptum *appellatur . Hæc ille Præpoſitus , qui res ſe vivo actas Poſteris narrabat .*

NUM LIV. *Podenzanum in Maſſaliæ Plebe dubio procul Marteſanæ Comitatui erat ſubjectum . Propterea ibi non quærerem Domum de Ponzano , quam ſub* Fagia de Seprio *Catalogus tuus notat . Ni fallor , Domus hæc ad Pienzanum Plebis Bollati pagum referenda eſt ; quam Plebem alibi etiam Catalogus idem indicat ſub Fagia Seprienſi .*

NUM. LX.

NUM. LVII. *Non quidem Monaſterium Sancti Martini* de Archori, *ſed Monaſterium* de Buginago, *ſeu Bucinago*, *fuiſſe Sanctæ Sedi obnoxium anno* 1192. *ego affirmavi citato loco*. *De Monaſteriis vero Arcborienſibus habeo hic quæ addam*. *Duo ibi fuiſſe Monialium Monaſteria ſcio, unum Divo Martino, alterum Divo Apollinari ſacrum*. *Secundum hoc Divo Apollinari dicatum Sancti Benedicti Regulam profitebatur, & Abbatiſſa illi præerat*. *Anno* 1438. *ab Eugenio Quarto Pont. Max. conjunctum fuit Monaſterio Mediolanenſi Sancti Apollinaris eo diplomate, quod refert P. Bonavilla pag.* 166. *& ſeq. Ædicula Sancti Apollinaris cum antiqui Monaſterii parte, quæ nunc uſibus Villicorum inſervit, adhuc ſupereſt, & cum proximis fundis Monaſterio Mediolanenſi Sancti Apollinaris paret*. *Nil minus alterum Sancti Martini Monaſterium mihi notum eſt*. *Fuit hoc pari modo alteri Monaſterio conjunctum, ſcilicet Sanctæ Mariæ De Ingino Burgi Modoetienſis, quod poſtea Sancti Martini titulum recepit, & nunc quoque ſervat*. *In hujus Monaſterii tabulario Charta exſtat hujus rei teſtis, quam & ego habeo; & hinc diſcimus anno* 1459. *die primo Decembris Abbatiſſam & Moniales Sanctæ Mariæ de Ingino Ordinis Sancti Benedicti dediſſe, emphiteuſis nomine, Andreæ Simonettæ Arcis Modoetienſis Præfecto bona, quæ erant Monaſterii Sancti Martini de Archori ejuſdem Ordinis, ipſi Monaſterio Sanctæ Mariæ legitime coniuncti*. *Monaſterium antiquum, & Eccleſia Sancti Martini apud Archorem cum parte prædiorum tranſiit poſtea a Familiâ Simonettarum in meam Familiam*. *Domus antiquior pars, quæ Eccleſiæ adhæret, adhuc quamdam Monaſterii ſpeciem ſervat*. *Turris campanaria eadem eſt, quæ Monialibus inſerviebat, & Eccleſia eadem, licet recentibus aliquot ornamentis aucta*. *Ex his aliqua jam attigeram in mea Diſſertatione De Julia Druſilla Germanici Cæſaris Filia, cujus egregiam Memoriam, ibi repertam, Mediolanum tranſtuli*.

NUM. LVIII. *Rubonum Vicus eſt Bernato adjunctus, in Corbettæ Plebe, utpote parum diſtans*. *Ibi fuiſſe Monialium Monaſterium adhuc fama eſt*. *Hoc illud idem Monaſterium exiſtimo, quod*

Bernati

Digitized by Google

Bernati memorat Urbanus Tertius in eo diplomate , quo Canonicam Regularem anno 1187. *ibidem ſundavit .*

Hæc ſunt Cl. Tiraboſchi , quæ mihi attente perlegenti Diſſertationem tuam adnotanda occurrerunt , cum ea partim non inutilia , partim non injucunda tibi futura eſſe judicarem . Nunc jam locus in charta amplius non ſupereſt : propterea ne tibi videatur

Scriptus & in tergo nec dum finitus Oreſtes

calamum pono . Vale , & audaciam meam æqui bonique conſule .

MO-

Digitized by Google

MONITUM.

ADdenda hic eſſet Diſſertationis hujuſce pars altera de reliquis Humiliatorum domibus , quam prælo jam fere commiſſam habebamus ; ſed re accuratius expenſa commodius viſum eſt , illam in alterum Volumen rejicere . Novi hujuſce conſilii ineundi ratio hæc potiſſimum fuit , quod dum primum hoc Volumen imprimeretur , multa ab Eruditis Viris nonnullis parari , quibus Humiliatorum in diverſis Italiæ urbibus domus , non ſatis adhuc cognitæ , egregie illuſtrarentur , eaque ad nos quamprimum mittenda nunciabantur . Verendum itaque erat , ne quæ hoc loco protuliſſemus , iterum altero Volumine explicanda , aut etiam emendanda eſſent ; multa etiam de novo addenda . Quæ res Eruditis Lectoribus gravis plerumque atque incommoda accidit , qui quæcumque eodem pertinent , uno ſibi intuitu exhiberi optant . Hæc præſertim in cauſſa fuerunt , cur hujuſmodi conſilium amplecteremur ; quod Clariſſimis iis Viris , quibus memoratos Commentarios debemus , hinc etiam probatum iri confidimus , quod ſi illis in hoc Volumine uſi eſſemus , ſumma tantummodo rerum capita delibare nos oportuiſſet , ne Voluminis moles in immenſum excreſceret . Contra iiſ-

 dem

dem in Volumen alterum rejectis , liberius quodammodo exſpatiari licebit , atque uberiores ex præclaris eorumdem laboribus fructus percipere . Interim ſingulos , quicumque in primum hocce Volumen inciderint , obteſtamur , ut ſi quid illi de Humiliatorum rebus noverint , quæ ad rem noſtram faciant , humaniter ad nos tranſmittant ; quas preces iis præſertim adhibitas volumus , qui de nonnullis in Italia Humiliatorum domibus Commentarios ſperare nos juſſerunt . Nos certe ſic iis uſuri ſumus , ut memorem beneficii gratumque animum Viris Clariſſimis quacumque ratione liceat teſtemur .

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VIII.

DE HUMILIATORUM EXTINCTIONE.

I. QUA ratione ſeverioris diſciplinæ ſtudium apud Humiliatos langueſcere, corumque res collabi paullatim cœperint, ex iis, quæ Differt. IV. de Generalibus Magiſtris differentes diximus, intelligi ſatis potuit. Ac ſane illud XXXVII. annorum tempus, quo externis, ut ita dicam, hominibus rerum adminiſtratio apud Humiliatos commiſſa eſt, iis ſcilicet, qui aut non ante Humiliatorum leges amplexi ſunt, quam Generales eorumdem Magiſtri juberentur, cujuſmodi Petrus Botta ab an. MCCCXCVIII. ad an. MCCCCI., ac deinde ad an. MCCCCXXXII. Andreas Vicecomes fuerunt, aut ne tum quidem illas amplexi ſunt, ut Joannes Vicecomes ab an. MCCCCXXXII. ad an. MCCCCXXXV., illud, inquam, XXXVII. annorum ſpatium non parum ad res Humiliatorum evertendas contulit. Hinc ipſa rerum adminiſtratione Humiliatis reddita, Stephanum de Arzago, ac præſertim Philippum Cribellum ſtrenue elaboraſſe vidimus, ut ad priſtinum vivendi genus Humiliatos ſuos revocarent. Sed ea fere eſt humanarum rerum conditio, ut ſtatim ac corruere, atque in præceps agi cœperunt, vix poſſit ruentium impetus ſuſtineri; aut ſi quoquomodo retardetur, inceptum deinde curſum vehementius perſequantur. Itaque quamvis ſtudiis illi laboribuſque aſſiduis aliquid profeciſſe videantur, cito tamen relabi iterum omnia, atque in pejora adhuc ruere Humiliati cœperunt. Nihil vero funeſtius poterat per ea tempora Humiliatis accidere, quam ut tribus illis Generalibus Magiſtris diu uterentur, in quorum vitia Marium Picium tam vehementer invehi audivimus, Hieronymo de Landriano, Carolo

de Advocatis, ac Hieronymo Torchio. Homines enim, qui dignitate illa non ad aliorum vitia evellenda, ſed ad impotentes animi cupiditates fovendas abuterentur, potiſſimum in cauſſa fuere, ut peſſima apud omnes eſſet Humiliatorum fama, altaſque adeo radices vitia quæcumque inter illos agerent, ut inutilem iis eradicandis operam viri ſanctiſſimi adhibuerint, atque oportuerit proinde pravum hunc perditorum plerumque hominum cœtum de medio tolli.

II. Hæc ſcilicet ſunt, quæ poſtrema hac Diſſertatione evolvere aggredimur, cujus tamen alia omnino erit ac ceterarum ratio. Hactenus enim in tenebris quodammodo digladiandum nobis fuit, obſcuraque paſſim omnia & incerta monumentis hinc inde erutis illuſtranda. Nunc vero pleniſſima in luce verſamur. Etenim, neſcio quo fato, antiqua Humiliatorum decora priſtinamque ſanctiſſimi olim cœtus ſamam nemo fere ex hiſtoricis attigit. Contra funeſtam extremæ ætatis eorumque excidii memoriam nemo fere tacitus prætermiſit. Nec vero id nobis ſumimus, ut Auctores omnes ſimul conferamus, qui hæc attigerunt, eorumque dicta expendamus: quis enim eſſet diſſerendi finis? Paucos ſeligimus, eoſque ut plurimum, qui ſuſius hæc diligentiuſque illuſtrarunt. Ac primo ex iis, qui S. Caroli Borromei res geſtas literis tradiderunt, duobus fere utemur, quorum maxima eſt auctoritas, Carolo a Baſilica Petri, ac Joanne Petro Gluſſiano. Plurima etiam huic Diſſertationi lux affulgebit ab eruditiſſimis Balthaſſaris Oltrocchii adnotationibus ad S. Caroli vitam a Gluſſiano digeſtam; ſimulque ex aliis monumentis, quæ tum ab Oltrocchio ipſo, tum a Cl. P. D. Paullo Onuphrio Branda Clerico Regul. Congr. S. Paulli controverſiæ cujuſdam mox memorandæ occaſione, prolata ſunt. Helvottum ipſum appellabimus interdum. Nonnulla etiam ex ſæpius indicatis Puricellii ſchedis hauſimus. Conjurationis autem in S. Carolum initæ peculiares narra-

narrationes duas habemus, alteram MS. Jacobi Philippi Beſtæ (*a*), cujus eo major eſt auctoritas, quod & æqualis eſt Scriptor, & ſe ipſum uni ex Humiliatis reis patronum datum fuiſſe teſtatur; alteram ſub idem tempus, ut videtur, typis editam, ac paſſim vulgatam, quæ quamvis circumforanea videri forte poſſit, quales interdum circumferri videmus ab otioſis hominibus ſcriptas, atque ab otioſioribus legendas, ſincerum tamen peritumque Scriptorem illa ſapit, ac Beſtæ fere ceteriſque Scriptoribus conſentit; ideoque Puricellius ipſe magni illam a ſe fieri teſtatur.

III. Peſſimo itaque loco medio circiter XVI. ſæculo Humiliatorum res erant. Ex eorumdem domorum cenſu anno MDLXX. inſtituto, quem præ manibus habemus, XCVII. illæ erant. Ex his XXXIX. commendatæ erant, earumque redditus XXXII. fere aureorum millibus continebantur: in his LX. Fratres a Commendatariis alebantur, plurimæ autem incolis carebant. Domus LVIII. reliquæ Præpoſitos ex Humiliatis habebant. Omnium ſimul redditus XXVI. circiter aureorum millia. Ex his etiam pleræque incolis vacuæ: Fratres omnino CII. Itaque CLXII. fratribus, tironibus ipſis Laiciſque, ut ajunt, ſupputatis totus Ordo conſtabat; Redditus univerſi LX. fere aureorum millia. Hæc ſcilicet fuerat Præpoſitorum induſtria, ſeu potius fraus, ut pauciſſimi numero Fratres reciperentur, iique inutiles ferme contemptique homines, plerique etiam ex Religioſis aliis Cœtibus aut transfugæ aut ejecti. Hinc enim fiebat, ut & ſuperbius Fratribus imperitarent, eoſque peſſime haberent, & ipſi interea amplis redditibus fruerentur impune. Hinc denſæ illis famulorum, atque etiam ſicariorum catervæ; illis equorum, curruum, venaticorum canum copia; lauta domi ſupellex; ludi, convivia, ea denique vivendi ratio, quæ non modo Divino cultui addictos, ſed prophanos etiam homines dedeceret. Hic etiam mos ſenſim invalucrat,

(*a*) Origine e Maraviglie di Milano MS. Lib. VI. Cap. VIII.

luerat, ut Præpoſituras ſuas in amicos, aut conſanguineos Præpoſiti teſtamento conferrent. Quod vitæ genus cum Præpoſiti ut plurimum ducerent, nemo non intelligit, quam diſſolutos eſſe oporteret ſubditorum mores, utque diſciplinæ prorſus immemores in omne vitiorum genus impudenter proruerent. At multo gravius eorumdem crimina Ripamontius (a) exaggerat, qui Præpoſitos ipſos in turpiſſimum quodque libidinum ſcelerumque genus effuſos deſcribit, eaque narrat, quæ referre horret animus. Qui quamvis oratorio more, quo plerumque gaudet, [quale illud eſt, quod ait, XCIV. tunc fuiſſe Humiliatorum domos, *quarum familiarum ſive domiciliorum unumquodque centenis hominibus alimenta non neceſſaria modo ſed etiam lauta ſuppeditare poſſet*], hæc fortaſſe amplificarit, quæ tamen ab iis ipſis audiſſe ſe affirmat, qui rerum teſtes fuerant, vix revocari in dubium poſſe videntur.

IV. Ac certe ſi ea audiamus, quæ Marius Picius de Humiliatis ipſe ſuis teſtatur, facile Hiſtoricis fidem adhibebimus. Nonnulla proferre juvat, ut certius, quæ hactenus diximus, confirmentur. Sic itaque queſtus ſuos Marius aggreditur:

Dei buon coſtumi perſa è la ſemenza;
Gola, luſſuria, invidia gli abbonda;
Che non gli è più timor, più erubeſcenza.
Troppo è il dolor, Iddio, che mi circonda;
Veder tanta inſolenzia! e perchè tardi?
Che 'l ſcellerato toſto non profonda?

. . . .

Cominciò l' ordin noſtro andar in bando,
Quando miſchio fra noi fu il bigio e nero,
Le veſte e no' i coſtumi tramutando

. . . .

Un ſol abito oneſto anche ſ' uſava;

Non

(a) De Orig. & Pontif. D. Car. Lib. II.

Non gli erano laſcive foggie ſtrane,
Ma como l' un, ſimile et l' altro andava.
Or portan veſte ſeculare et vane;
La pazienzia aſcoſta a corta e ſtretta,
Le anelle in dito, e al collo le collane.
Chi a un modo ha il capuccin, chi la beretta,
Chi ha il ſaglio, chi ha il borico, chi ha il tabarro,
Chi ha integra, e chi ha frappata la ſcarpetta.
Più aſſai van differenti, ch' io non narro.
Chi ha barba lunga, chi ha corte le crine,
Chi giuoca, chi biaſtema, et chi é bizarro.
Per queſto vengon laſſo le ruine:
Sallo pur queſto il Maſtro Generale
Né a chi merita dà le diſcipline

. . . .

Non ſcernon li Prelati il loro errore;
Anzi per dimoſtrar la lor ſciocchezza
Laſciano il meglio e attaccanſi al peggiore;
Et la ſcuma d' altri Ordini e la fezza
Van raccogliendo come coſa eletta,
Tenendo caro, o Dio, quel ch' altri ſprezza.
Como eſſer può Religion perfetta
Dove ſon Frati triſti e fuggitivi,
Ch' amorban gli altri, como coſa infetta?
D' amor e de timor tutti ſon privi,
Non prezzan Dio, né temono l' Inferno
Como s' aveſſer ſempre a reſtar quivi.

. . . .

Son d' ogni vizio pieni et de difetti,
Leccardi, ebbri, bugiardi, invidioſi,
Sacrileghi, ſpergiuri, et diſcorretti.
A tutti i buon voler ſeno retroſi,

Fan

Fan danni aſſai con la malizia loro,
Che quaſi al mondo tutto ſon odioſi.

V. Hæc aliaque his ſimilia Marius. Atque eadem ferme repetit alterius Carminis auctor, quod Octaviano Picio Marii fratris filio ab Argelato tribuitur, ut alias monuimus, atque inſcribitur: *Pronoſtico della rovina de' FF. Humiliati*. Hic ſcilicet erat per ea tempora Humiliatorum ſtatus. Hieronymo Torchio Generali Magiſtro, Jacobus Gadius, ac Galeatius Brippius ſucceſſerunt, ut IV. Diſſertat. diximus, qui nihil de Humiliatis ad ſanctiorem vitam revocandis ſolliciti fuiſſe videntur. Per eadem tempora Joannes Card. Moronus, celeberrimi nominis vir, Protector, ut ajunt, Humiliatis datus fuerat; qui cum ſe hoc munere abdicaſſet, Pius IV. literis ſuis an. MDLX. Idib. Februar. datis Carolum Cardin. Borromeum ſororis filium, Humiliatorum Protectorem dixit. Erat tunc Carolus, quamvis juvenili admodum ætate [vix enim ſecundum ſupra vigeſimum annum attigerat] tamen & morum ſanctitate, & in maximis difficillimiſque rebus gerendis prudentia, dexteritate, fortitudine maximus. Itaque cum de perditis Humiliatorum moribus audiſſet, in id ſtatim animum intendit, ut opportunum graviſſimo atque inveterato morbo remedium adhiberet. Qua tunc ratione id aggreſſus fuerit Carolus, non ſatis conſtat; ac ne aggreſſum quidem fuiſſe conſtaret, niſi Galeatii Brippii Generalis Magiſtri literas 1. April. MDLXII. ad eumdem datas in Bibliotheca Ambroſiana rei teſtes haberemus, ex quibus placet nonnulla decerpere, quamvis rudi omnino incultoque ſtilo conſcripta. Poſtulat primo, ut ad Veronenſia Comitia novo Generali Magiſtro renunciando indicta liceat ſibi proficiſci; tum ſubdit: *Il Capitolo con la gratia del Signor Onnipotente Idio ſi ſara con quella debita obſervanza et religioſita che ſi debi far; et non ſi mancar dove ſara deſordini de provederli, et de reformar, tanto che V. S. Illma et Revma conoſcera che ſiami Gentilomini religioſi, et non di mala vita, come forſa gli he detto. Mi rencreſce bene,* che

che per adjutar la mia religione habia molte volte importunata V. S. Illm̃a et Revm̃a, la quale prego perdonarmi; et che oltra le fatiche debbia ſtar con danno de più de L. 3000. Imp. per la ſcorta che ho fatto per adjutarla, etc.

VI. Sed nihil in Veronenſibus Comitiis ad diſciplinam reſtituendam actum fuiſſe, exitus oſtendit. Marius Averoldus Veronenſis S. Mariæ a Glareà Domus Præpoſitus, Generalis Humiliatorum Magiſter juſſus eſt. At dum ille Ordini præerat, quamquam Pius IV. per literas an. MDLXIV. X. Aug. datas illum monuerat, ut quæ a Tridentina Synodo ad Regularium cœtuum ſtatum pertinentia decreta fuerant, a ſuis ſervanda curaret, eadem tamen omnino atque antea fuit apud Humiliatos vivendi ratio. Hinc Carolus, quem graviſſima negotiorum moles Romæ adhuc detinebat, Nicolao Ormaneto Vicario ſuo præcepit, ut Humiliatorum Comitiis anno MDLXV. ad novi Magiſtri electionem agendis intereſſet; eaſque leges ſanciendas curaret, quæ Humiliatis ad meliorem frugem revocandis opportunæ eſſent. Caroli voluntati Ormanetum obtemperaſſe teſtatur Octavianus Picius in Appendice: *Vigeſimus ſextus* (Generalis Magiſter) *Fr. Alexander Colleonus Præpoſitus Manſionis Bergomi in Capitulo Generali celebrato Caravagii eſt in Generalem electus de anno* 1565. *In quo Capitulo reformatio Ordinis eſt tranſmiſſa, & in capitulo ſtabilita præſidente Nicolao Ormaneto Vicario Cardinalis Borromei Protectoris Ordinis.* Errat itaque Gluſſianus (*a*), eumque ſequutus Helyottus, cum Mediolani comitia hæc celebrata dicit. Sed Ormaneti auctoritatem non ſatis ad evellenda Humiliatorum vitia valuiſſe res ipſa comprobavit. *Fecit* (ait Carolus a Baſilica Petri (*b*)) *ille quidem* (Ormanetus), *ut de corruptelis quibuſdam tollendis aliquid in congregatione decerneretur; verum ad rem perficiendam, maxime autem ad*

(*a*) Vita di S. Carlo Ediz. Rom. 1610. Lib. II. Cap. XIV.
(*b*) Vit. S. Carol. Lib. II. Cap. IV.

ad alia, quæ graviora & difficiliora erant conſtituenda efficiendaque, jam tum vir ſapiens multo majorem auctoritatem poteſtatemque neceſſariam eſſe prædixerat. Inter illa autem, quæ in Caravagienſibus Comitiis ſancita fuerunt, illud potiſſimum fuit, ut domus Humiliatorum aliqua adoleſcentibus ac tironibus ad pietatem atque ad literas efformandis deſtinaretur. Rem teſtatur Octavianus Picius Domus Novæ Præpoſitus, quæ huic ſcilicet uſui addicta eſt: *Electa eſt Cànova mea Præpoſitura pro Seminario Ordinis, & de dicto anno præparavi loca, quantum in me erat, ut aptarentur a Religione communibus expenſis*. Pius IV. P. M., his acceptis, V. Sept. ejuſdem anni, tum ad Carolum, qui paullo ante Roma Mediolanum profecturus diſceſſerat, tum ad Generalem Humiliatorum Magiſtrum literas dedit, quibus Caravagienſia decreta rata eſſe juſſit. At ſuſcepto Seminarii ſtatuendi conſilio non modici ſumptus requirebantur. Itaque ſingulis Humiliatorum domibus decima impoſita; quod pariter Pii V. literis (is enim interea Pio IV. ſucceſſerat) XXII. Auguſt. MDLXVI. comprobatum eſt. Indicatæ Pii utriuſque literæ, ac cetera fere monumenta hac Diſſertatione commemorata, inter Puricellianas ſchedas in Ambroſiana Bibliotheca ſervantur (*a*). Sed parum omnia adhuc valuere; & Seminarii præſertim initia numquam poſita ſunt.

VII. At anno MDLXVII. cum Alexander Colleonus obiiſſet (ut narrat Picius, qui hujus morte Appendicem ſuam claudit), cumque ad Generalem Magiſtrum eligendum Cremonæ indicta eſſent Comitia, occaſione hac ſibi utendum Carolus ratus eſt, ut validius Humiliatorum emendationem urgeret, adfuitque, re antea cum Pontifice communicata, ad Comitia, quibus dies V. Junii ejuſdem anni MDLXVII. (non MDXCVIII., ut per typorum, arbitror, errorem apud Helyottum legimus) initium fecit. Binas Pii V. literas initio protulit Carolus, alteras Cal. Maji

(*a*) Cod. MS. ſign. C. 71 in fol.

Digitized by Google

Maji datas, quibus plura impoſterum ab Humiliatis ſervanda ſtatuebat, alteras X. Maji, quibus Borromeum pleniſſima cum poteſtate his Comitiis adeſſe jubebat. Alias etiam paullo poſt literas Pius ad Humiliatos dedit X. Cal. Jun., a P. Lagomarſinio editas (*a*), quibus illos, ut ſe ad meliora reciperent, hortabatur. Plures in iis Comitiis leges Carolus tulit, quibus Humiliatorum emendationi ſapientiſſime conſulebat. *Summa emendationis* (ait Carolus a Baſilica Petri) *hæc fuit*, *ut Præpoſiti dignitatem quam quiſque haberet*, *& ejus item inſigne retineret*, *ſed ſuum quiſque locum ſacerdotiumque mutaret*; *tertio quoque anno in poſterum per ſuffragia tum Præpoſitus Ordinis univerſi*, *tum locorum omnium Præpoſiti deligerentur*; *redditus Eccleſiæ*, *non ipſi*, *ut antea*, *civili quodam ſplendore*, *ſed alii ad id proprie electi religioſe adminiſtrarent*; *iis uti communibus omnes æqualiter uterentur*; *omnino cœnobitica religioſaque vita inter eos ageretur*. *Hæc literis Pontificiis continentur*, *tum fuſius explicatiuſque conſtitutionibus*. Tum literæ porro ipſæ, tum Conſtitutiones Mediolani eodem anno typis editæ ſunt. Statutum præterea, ut Humiliatis adoleſcentibus efformandis Seminarium in Braidenſibus ædibus locaretur; utque XII. ſaltem fratres Domibus ſingulis attribuerentur. Ut vero Ordini univerſo is præeſſet, qui inceptum opus conſtanter urgeret, Aloyſium a Baſilica Petri Cremonenſis S. Jacobi Domus Præpoſitum [quem Helyottus *Baſilicatam* perperam vocat, ac Cremonenſis S. Catharinæ domus Præpoſitum facit], Generalem Humiliatorum Magiſtrum, ſimulque Braidenſem Præpoſitum jubet. Liberiorem ille etiam, ut ceteri plerumque Præpoſiti, vitam olim duxerat; ſed aliquot ante menſes meliora ſequutus, pium vitæ genus aggreſſus fuerat, ac duobus præſertim Clericis Regularibus S. Paulli ducibus utebatur. De quo Carolus X. Jun. ad Ormanetum ſcribens hæc habet (*b*):

Fff 2 *Eſſendo*

(*a*) Pogiani Epiſt. T. IV. pag. 211.

(*b*) Branda Confutaz. de' Ragionam. Apolog. pag. 151.

Digitized by Google

Eſſendo certificato delle buone qualità ſue, e della vita ſpirituale, che tiene, così per teſtimonio di molta autorità e ſede, come di due Padri di San Barnaba, ch' egli da ſei o ſette meſi in qua mantiene in caſa ſua, con notabil ſervizio del culto di Dio in queſta Città, e con molta ſatiſfazione di Monſign. Veſcovo ec. At Aloyſius impoſitum onus, cui ſe imparem omnino diceret, diu detrectavit, vitam liberius antea actam, nullam ſtudiis operam datam, ætatem venatione otioque conſumptam accuſans. Sed quo ſe ille indigniorem clamabat, eo Carolus collata illum dignitate digniorem arbitratus, Aloyſium Humiliatis præeſſe omnino voluit.

VIII. Hæc quo animo acceperint Humiliati Præpoſiti, facile quiſque intelligat. Homines ſcilicet prophanum vitæ genus eatenus ſequuti, opibuſque collectis potentes, quique cogitatam jamdiu emendationem intentari quidem poſſe, at numquam ad exitum deductum iri confiderent, poſtquam rem ſerio agi viderunt, ſe Præpoſituris ſuis amoveri, opibus redditibuſque ſpoliari, atque ad Monaſticam vivendi rationem revocari, fremere palam, multa moliri, conſanguineorum, amicorum, Principum etiam virorum ac Dynaſtarum opem implorare, ut Pii V. ac Borromei conatus omnes irriti eſſent, liceretque illis inſtitutum vitæ genus impoſterum perſequi. Nec tamen id palam dictitare audebant; ſed ſe Pontificiis juſſis obtemperaturos ſimulantes, id ſolum orare ac velle videbantur, ut mitius ſecum ageretur. Qua ratione binas ad Pium V. literas, alteras a Senatu, alteras a Proceribus Populoque Mediolanenſi VI. Non. Jul. eodem anno datas impetrarunt, quibus Humiliatorum cauſſam Pontifici commendabant. Poſteriorum exemplar in Bibliotheca Ambroſiana ſervatur, quarum hoc eſt initium: *SS. Pii quinti Pontificis Optimi Maximi Proceres & Decuriones atque Populus Mediolanenſis Beatiſſimos pedes venerantur, & deoſculantur. Superioribus diebus Reverendiſſimus Borromeus amantiſſimus idemque vigilantiſſimus Præſul noſter, & Sanctitatis veſtræ hac in parte delegatus, Reſcriptum ejuſdem ad Humiliatorum Ordinem pertinens*

tinens publicavit, atque executus eſt; cui ne ipſi quidem illius Ordinis Præpoſiti, uti obſequentes & humillimi S.V. ſervi, aliquo modo repugnarunt, ſed audientes dicto fuerunt, eo tamen conſilio, ut ad clementiam ejus confugerent, omnemque ei cauſæ ſuæ ſtatum exponerent. Cum autem acceperimus perventuros brevi ad Urbem eorum Procuratores, qui Sanctitatis veſtræ pedibus accidant, eorumque nomine benignitatem ejus implorent, gratiſſimumque eis fore, ſi cauſſam hanc ſuppliciter S. V. commendaremus, facere non poſſumus [cum plerique eorum concives noſtri ſint, nobilique genere orti], quin humillime petamus, ut ipſos Procuratores clementer excipiat &c. Michaelis Bonelli Cardinalis Alexandrini reſponſorias Pii V. nomine ad utroſque epiſtolas XVII. Cal. Aug. datas edidit paullo ante laudatus P. Hieronymus Lagomarſinius Soc. Jeſu (*a*), quibus omnem quidem æquitatis clementiæque rationem habiturum eſſe Pontificem ſcribit; certum tamen fixumque illi eſſe Humiliatos ad ſanctiora conſilia revocare. Senſit interea Carolus multum ſibi cum pervicacibus diſſolutisque hominibus contentionis fore. *Cremona* enim *Mediolanum reverſus* [ait (*b*) Cl. Oltrocchius] *Braidenſes ædes armatorum manu obſeſſas invenit, atque eorum viribus occupatas, qui nova inſtituta averſabantur. Citius tamen tantam proterviam adjuvante etiam religioſiſſimo Albuquercio compeſcuit.* Hinc ut rebellium conſilia præverteret, ab Italiæ Dynaſtis literas impetravit, quibus Humiliati impoſitas leges amplecti jubebantur. Id cum Sabaudiæ Duce ac cum Venetis præſertim factum narrat Cl. Oltrocchius: ac revera Nicaſtrenſis Epiſcopi Pontificii apud Venetos Legati literas XXII. Maji MDLXX. ad Carolum datas in S. Sepulchri Bibliotheca ſe vidiſſe Puricellius teſtatur, quibus Venetorum ad Bergomenſis Civitatis Rectores epiſtolæ exemplar mittit, qua illos ad Humiliatorum mores emendandos incumbere jubent. Pius V. inte-

(*a*) Pogian. Epiſt. T. IV. pag. 159. &c.

(*b*) Not. ad Lib. II. Cap. XIV. Vit. S. Car. col. 146.

Digitized by Google

interim, ut Humiliatis Sanctimonialibus conſuleret, literis XXIII. Jul. an. MDLXVIII. datis, quæ in Cherubini *Bullario* edit. an. MDLXXXVI. editæ ſunt, eaſdem Humiliatorum juri ſubduxit, atque Epiſcopis impoſterum parere juſſit. Novas aliquot eodem anno leges Carolus Humiliatis tulit, quibus illi in ſuis domibus uterentur interea, dum ſuprema emendationi manus imponeretur, quæ exſtant in Biblioth. Ambroſ. Aloyſius autem Generalis Magiſter omnia molitus eſt, ut Pii ac Caroli voluntati morem gereret; ac P. D. Paullum Malettam Cl. Reg. S. Paulli pietatis prudentiæque maximæ hominem ſuum in Domorum luſtratione ſocium adhibere conſueverat (*a*). Cumque Braidenſe Seminarium ſtudiis fortaſſe non ſatis opportunum videretur, Collegium in Papienſi S. Ulderici domo ſtatuendum decrevit, utque iis redditibus dotaretur, quibus adoleſcentes ſtudiis dediti alerentur, Papienſem Omnium SS. domum, Dertonenſem S. Marci, atque Alexandrinam S. Syri conjunxit, ut ex ejuſdem literis XI. Aug. MDLXVII. datis colligimus, quæ in Ambroſiana Bibliotheca ſervantur (*b*). Videbatur itaque ſpes emendationis aliqua affulgere. Pontifex ipſe in hanc ſpem erectus, ut Humiliatos ad rem perficiendam alliceret, novam iiſdem S. Agathæ domum in urbe conceſſit, ut ex Diſſertat. VII. P. II. conſtabit.

IX. Nihilominus ex Præpoſitis plerique contumaces ſe adhuc pervicaceſque præbebant. Graviſſime præſertim ferebant, a Præpoſituris, quas hactenus obtinuerant, decedere, atque earumdem redditibus carere. Hinc Pius V. in Præpoſitos illos, qui veteres Præpoſituras obſtinato animo occuparent, anathematis ſententiam tulit; ut ex S. Caroli Epiſtola diſcimus, qua Cremonenſem S. Jacobi Præpoſituram Clericis Regul. S. Paulli a Pontifice conceſſam gratulatur; cui conceſſioni Aloyſii a Baſilica Petri Generalis Magiſtri,

(*a*) Confutazione pag. 152.
(*b*) Cod. MS. ſign. D. 99. in fol.

giſtri, ejuſdemque olim Præpoſiti conſenſum acceſſiſſe dicit, *come Generale, & non come titolare già di quella Prevoſtura, per non incorrere nelle Cenſure della Bolla di Sua Santità, che proibiſce che nell' avvenire nimo di queſti Prevoſti s'ingeriſchino più nelle vecchie loro Prevoſture* (a). Carolus vero ipſe an. MDLXVII. XXVIII. Jun. decretum tulit, quo *Maſſariis*, *Colonis*, *Partiariis* aliiſque, quicumque fructus aut redditus Præpoſiturarum Præpoſitis ipſis ſolvere conſueverant, interdicebat, ne quid impoſterum ad Humiliatos deferrent; ſed omnia apud ſe ipſos Caroli ipſius nomine ſervarent. Optime tamen animadvertebat Carolus, fieri vix poſſe, ut hæc Humiliatorum renovatio votis reſponderet. Itaque novas quotidie rei perficiendæ rationes excogitans, *VI. ſcilicet Octobris die* (ait (b) Cl. Oltrocchius) *Pontificium illis* (Humiliatis) *diploma indixit, quo ſanciebatur, ut alterius cujuſpiam Religioſæ familiæ probatos viros illis contubernales adjungeret, retenta quidem nominis & inſtituti varietate, ſed facta dumtaxat quadam virtutis communione. Hinc præcipue optavit, ut S. Pauli Clerici Regulares illis darentur veluti Sanctitatis Magiſtri, quam in rem aliquot etiam jam elegerat; aliquot etiam ex Societate Jeſu jam animo deſtinaverat; quemadmodum Capuccinos etiam & Ordinis Prædicatorum in Etruria nonnullos; ne autem in illis eligendis erraret, Sanctum Philippum Nerium per literas conſuluerat. Ab hoc tamen propoſito dimotus fuit, pluribus interpoſitis impedimentis*. Quin etiam de Humiliatis ac Clericis Regul. S. Paulli ſimul conjungendis actum eſt non ſemel, ut ſanctiſſimis horum exemplis diſſoluti illorum mores emendarentur: at res effectu caruit. Qua in cauſſa quæ potiſſimum contigerint, videre eſt in libris, quos non multis abhinc annis doctiſſimi viri Balthaſſar Oltrocchius, ac P. D. Paullus Onuphrius Branda, contro-

(a) Oltrocchi Lettera al Card. Querini pag. 24.

(b) Not. ad Vit. S. Carol. loco cit.

troverſiis nonnullis inter illos hac ſuper re excitatis, in lucem ediderunt (*a*).

X. Verum interea ex Humiliatis nonnulli alia omnia cogitabant, quam ut ſeſe ad meliorem frugem reciperent. Atrociſſimum ſcilicet ſcelus, quam unicam eſſe impediendæ emendationis rationem arbitrabantur, moliri jamdiu cœperant. Præcipui facinoris auctores Hieronymus Donatus, cognomento Farina, non quidem Sacerdos, ut plerique exiſtimant, ſed Diaconus, ut ex ſententia in eumdem lata conſtat (*b*), Clemens Mirifius, non Veronenſis, ut Carolus a Baſilica Petri, ac Ripamontius arbitrantur, ſed Caravagienſis ſeu Fornovenſis S. Mariæ domus olim Præpoſitus, ut præſertim ex Comitiis an. MDLII. colligimus; Laurentius Campagna, non Caravagienſis, ut iidem ſcribunt, ſed Veronenſis S. Bartholomæi de Levata domus olim Præpoſitus, ut ex ſententia in eumdem lata conſtat, in qua ejus nomen ſic deſignatum videmus: *Laurentium Campainam alias Levatam;* quique in Comitiis an. MDLXVII. ad Brixienſem SS. Jacobi & Philippi Præpoſituram translatus fuerat; ac Hieronymus Legnana olim Vercellenſis S. Chriſtophori domus Præpoſitus. Cum omnes anno MDLXVIII. in Braidenſi domo habitarent, (quæ enim apud Vercellenſes nonnullos traditio obtinuit, in Vercellenſi Humiliatorum S. Chriſtophori domo conjurationem initam fuiſſe, ubi etiam impii conventus locum deſignant, nullo omnino fundamento innititur: hujuſmodi etiam traditionem apud Caravagienſes eſſe audivimus, ibique etiam iniquiſſimi fœderis jacti locum indicari), accidit ut Farina ac Mirifius de iis, quæ tunc paſſim agitabantur, ſermonem haberent, quererenturque ambo graviſſimas ſibi leges a Carolo imponi. Cumque animo paul-

(*a*) Oltrocchi Ragionam. Apologet. pag. 59 ec. Lettera al Card. Querini ec. Branda Confutazione de' Ragionam. Apologetici pag. 141. ec.

(*b*) Oltrocchi Not. ad Vit. S. Carol. Lib. II. Cap. XXIII. col. 183. Not. *a*.

paullatim ad iram furoremque inflammato eo deveniſſent, ut non alia ratione poſſe hæc prohiberi, quam Carolo interfecto, dicerent, adfuit Campagna. Quem cum in colloquii conſiliique partem vocaſſent, rem ille vehementer probavit. Itaque ſecretiore cubiculo incluſi de rei executione deliberare aggreſſi ſunt, Farina paratum ſe ad facinus expeditumque ultro præbet. Opportunum porro viſum eſt, ſi domum ille haud longe a S. Barnabæ templo conduceret, quo cum Borromeus frequens accederet, facilis foret illius interficiendi occaſio. At pecunia opus erat, quam ſibi Farina facinoris mercedem, ſimulque ad conducendam domum, fugamque poſtea capeſſendam expoſcebat. Lignanam itaque adeunt, nobili genere hominem, ac multorum affinitate amicitiiſque potentem, eique facile perſuadent, ut & ſe in criminis ſocietatem det, & pecuniam ab amicis exquirat. Cum enim, ut vidimus, redditus domorum omnes certis hominibus adminiſtrandos Carolus commiſiſſet, Præpoſiti ipſi opibus ſpoliati communibus jam ſumptibus alebantur. Sed multis apud amicos atque affines precibus adhibitis nihil umquam Lignana impetravit. Alia itaque excogitanda erat comparandæ pecuniæ ratio. Florebat tunc maxime inter Humiliatos Joannes Tonſius, de quo VI. Diſſertatione P. III. ſermo fuit, a Braidenſi Præpoſitura ad Cremonenſem S. Abundii translatus. Hic cum opibus valere diceretur, ad illum Lignana acceſſit, ac XL. aureos mutuos petiit. Tonſius cum de deſtinato pecuniæ uſu interrogaſſet, audiſſetque illam in Borromei necem parari, impium ſcelus exhorruit, ac Lignanam graviter increpans, Carolum initæ conjurationis a ſe monitum iri dixit; at dicto non ſtetit.

XI. Conjurati hac etiam ſpe dejecti, animo nihilominus ad ſcelus obdurato, nova conſilia moliuntur. Fabianus, ſeu, ut alii ſcribunt, Fabius Simonetta Braidenſis Prioris, ut ajunt, dignitatem obtinebat, ac quatuor aureorum millia apud illum ſervati, quod communis pecuniæ cuſtos a Carolo ſtatutus eſſet, com-

 pertum

pertum erat. His illi inhiabant. Ac primo optime id perfici poſſe viſum eſt, ſi tectum Simonettæ cubiculo impoſitum conſcenderent, ac per caminum, illo abſente, delapſi integram pecuniæ ſummam exportarent. Sed dum de re exequenda deliberant, ac Miriſium hortantur, ut facinus aggrediatur, hic vero ſe aggreſſurum negat, bellicas hujuſmodi expeditiones infelici exitu ſe alias tentaſſe aſſerens, diſſenſione exorta, re infecta diſcedunt. Interea prope aderat dies Chriſto cœlum aſcendenti ſacra, qua argentea omnis Braidenſis Eccleſiæ ſupellex palam de more proponenda erat. Hanc ſcilicet opportunam eſſe conflandæ pecuniæ occaſionem Campagna oſtendit; Eccleſiæ enim parietem, qua infirmior eſſet, perfodi facile poſſe, argentumque omne expilari. At Farina, qui de conjurationis exitu diffidere jam inciperet, rebuſque ſuis per ſe ipſe conſulere decreviſſet, conſilium improbare, exaggerare criminis gravitatem, ſocios a ſuſcepto conſilio deterrere. Ille ipſe interea ſtatuta nocte, Eccleſiam, qua facilem aditum Campagna oſtenderat, ingreſſus, argenteam ſupellectilem omnem diripuit, atque abditiſſimo loco occultavit. Quod cum mane innotuiſſet, Farina in primis graviter indignatur, furumque audaciam ac ſcelus accuſat, tum ſocios admonet, aliam meditati facinoris exequendi rationem excogitari oportere. Itaque falſo narrat Helyottus, furtum hoc a conjuratis communi conſenſu patratum, ut hinc XL. aurei Farinæ compararentur. Campagna Tonſium iterum adit, nummos expoſcit, conſilium omne aperit; at Tonſius iterum impium hominem indignatus repellit, omnia ſe Carolo delaturum minatur. Sed ne tunc quoque verbum ullum fecit. De pecunia, quæ apud Simonettam ſervabatur diripienda, denuo actum; ac res perfici ſic poſſe viſa eſt. Legnanæ cura datur, ut Simonettam oblata occaſione in proximum domui hortum, quo longius ab ejuſdem cubiculo fieri poſſit, deducat; alii interim vecte ferreo in Simonettæ cubiculi januam impetum faciant, adituque perrupto pecuniam auferant.

Pro-

Digitized by Google

Probatur conſilium. Jamque Lignana Simonettam in hortum abduxerat; cum repente ingens ſtrepitus ad hujus aures perfertur. Ille ejuſdem cauſſam a Lignana ſciſcitatur, qui diverſa cauſſatus, ac nihilominus anxium ac ſollicitum Simonettam videns, ad ſocios convolat, monetque, ut opus intermittant. Sed quo infelicior erat impiorum hujuſmodi conſiliorum exitus, eo efferatius furere conjurati, ac majora ſcelera cogitare. Certum omnino erat pecuniam Simonettæ ſurripere; ſed jam non alia rei perficiendæ ratio occurrebat, quam ſi Simonettam ipſum occiderent. Itaque rem aggrediuntur; quæ cum ſic peragenda eſſet, ut ſuſpicione careret, ſic ſtatuunt. Conſueverat Simonetta egregiæ pietatis vir in Braidenſis Eccleſiæ Odæo ſtatis horis precibus vacare. Ibi (quod forte locus ille deſertus plerumque eſſet, atque a Fratrum cellis remotus) Mirifius ac Farina in hominem irruere decernunt, ac faſcia collo injecta inopinantem præfocare, ut ſubita morte correptus videretur. Jamque patrandi ſceleris tempus advenerat. Simonetta conſuetas in Odæo preces nihil tale cogitans fundebat; impii homines ad januam, qua in Odæum aditus patet, jam ſtabant. Sed dum alter alterum hortatur, ut primus irrumpat, ac neuter rem primus tentare audet, metu perculſi diſcedunt.

XII. Tunc vero Farina conſilia omnia irrita videns, argenteam, quam memoravimus, ſupellectilem ſecreto ſurripiens, Humiliatorum veſte poſita, Mantuam conceſſit; hic argento divendito centum fere aureos ſibi comparavit, quibus inſtructus Venetias primum, tum Corcyram navigavit. Religioſo alteri cœtui nomen ibi dare decreverat; ſed aut repulſus, aut, ut alii narrant, ab amico diſſuaſus, Venetias rediit. Inde, aureis jam deficientibus, Brixiam veniens, mulam per furtum abripuit, qua vendita ferreos tubos duos, alterum longiorem, breviorem alterum, emit. Mediolanum reverſus, fratrem, quem Mediolani habebat, inviſit, ſe ad Humiliatos ſuos reditum parare ſimulat. Aſt interea

Legnanam de reditu ſuo commonet, ac locum quemdam prope PP. Capuccinorum ad Vercellenſem portam cœnobium colloquio indicit, quod infrequens locus eſſet, atque ab hominum ſtrepitu remotus. Adfuit ſtata die Lignana, ſecumque Bartholomæum Naſſinum adduxit, qui in conjurationis ſocietatem venerat. Ibi poſtquam de præſenti rerum conditione Farinam admonent, ac Borromeum nihilo ſegnius emendationem urgere docent, tandem Farina, ſuſceptum jam Caroli occidendi conſilium velle ſe omnino perficere affirmat. Hunc in modum digreſſi, opportunam rei exequendæ rationem cœpit Farina excogitare. Ac primo anfractum viarum aliquem occupare decreverat, quo ex inſidiis Carolum adoriretur, dum Diœceſim luſtraret; ſed mutata mente, opportunius viſum eſt, quod excogitatum antea fuerat, ut ſcilicet lethalis in Carolum ictus exploderetur, dum ille in S. Barnabæ æde, quod interdum conſueverat, Sacra faceret. Itaque diem nactus, poſt ſepem, quæ pro Eccleſiæ foribus ſtabat, latens, opportunum patrando ſceleri momentum opperiebatur. Sed cum templi valvæ verterentur ſæpe, ac multi Caroli latera ſtiparent, infelicem rei exitum timuit. Facilius poſſe rem ſuccedere arbitratus eſt, ſi nocturnis horis in ſacello domeſtico Carolum aggrederetur, quo ille cum familiaribus aliiſque veſpere oraturus ſe conferebat. *Ea precatio habebatur*, ait Carolus a Baſilica Petri (*a*), *quia ſacellum ædificatione impeditum erat*, *in amplo loco*, *qui hoſpitum commodo contra januam eſt ædium ipſarum* (Archiepiſcopalium); *pars loci, quæ pro ſacello erat, ligneo ſepimento ad tempus erat a reliquis diſtincta*. Huc accedit Farina VIII. Cal. Nov. MDLXIX., ac poſt tabulas latens opportunum tubi explodendi tempus exſpectat; ſed cum Alexandrum Cardin. Cribellum ad Caroli latus, Antonium Scarampum Laudenſem Epiſcopum a tergo videret, metueretque, ne alterutrum ictus offenderet, rem in ſequentem noctem diſtulit,

(*a*) Lib. II. Cap. X.

lit, qua tandem atrociſſimum ſcelus jamdiu excogitatum perfectum fuiſſet, niſi ſanctiſſimi Viri mortem miro prodigio Deus prohibuiſſet.

XIII. Placet rei ſeriem ex Carolo ipſo, alioque oculato teſte proferre, iiſdem verbis, quibus illam Cl. Oltrocchius Latine reddidit (*a*). Ac primo Ambroſius Mornicus vici cujuſdam in Valle Saxina Parochus hæc habet: *Anno MDLXIX.* [non *MDLXXIX.* ut per typorum errorem in S. Caroli Vitam irrepſit] *VII. Cal. Novembris Mediolanum veni Eccleſiæ meæ res curaturus. Ocreatus ut eram, & ab equo deſcendens audii veſpertinæ Orationis ſignum; quare ſtatim ad ſuperius Sacellum aſcendi cum ceteris oraturus, quandoquidem paratum mihi in Archiepiſcopi ædibus erat hoſpitium. Cum Sacello appropinquarem, occurrit mihi ad limen quidam, qui ſæpe alternis genibus nitens, nunc dexteram, nunc lævam manum attollens, & ſeſe varie componens, obſeptum tamen pallio circumvoluto vultum celabat. A valvis palmum circiter aberat, nec valvæ a Cardinali quatuor pedes diſtabant. Viſus eſt mihi cum ceteris orationi publicæ intereſſe, ſed nullum pietatis ſtudium in eo tacitus accuſavi. Eo itaque ibi relicto introgreſſus in Sacellum, & vix poſitis genibus audivi ingens veluti tonitru interius inſonare. Fragore repente exanimatus vidi tamen Cardinalem veluti pavimento affigi; ſed mox reſumptis viribus iterum rediiſſe in genua. Deinde ſublatis ad cælum oculis ſurgentem vidi, & ad circumſtantes converſum audivi imperantem, ut cæptas preces abſolverent. Cum deinde in ſuſpicionem veniſſem ſicarium fortaſſe aliquem ad oſtium latuiſſe, cumque vidiſſem Julium Petrutium* [Borromei familiarem] *ſtatim ab oſtio exilientem, ſurgens jam exire meditabar. Me tamen Carolus imperio ſuo continuit. Poſtmodum perfectis omnibus cubile ſuum iniit Borromeus, quo clauſo ocius audivi ſalva eſſe omnia. Tum ego cum reliquis ad Sacellum regreſſi globulum unum plumbeum invenimus profundius in ea tabula merſum, cui orans Cardinalis cubitis ſuis incubue-*

(*a*) Not. ad Vit. S. Car. Lib. II. Cap. XXIII. col. 185. 186. Not. *b*.

cubuerat . Infixis ſæpe cultris tandem illum exſculpſimus &c. Carolus vero ad Ormanetum ſcribens ſic rem narrat: *Cum eo veſpere precibus de more vacarem in privato meo ſacello* [ac tum forte verba a muſicis canebantur: *Tempus eſt ut revertar ad eum, qui me miſit: non turbetur cor veſtrum, neque ſormidet*] *repente valido ictu medias ſcapulas urgeri ſenſi, eodemque temporis momento oculos ignis fulgur perſtrinxit, & aures tonitru occupavit. Poſtmodum ex domeſticis quidam ſurgens, arreptoque lychno ad me propius accedens, intento lumine ſcrutatus me totum, ac pannum, quem genibus comprimebam, plumbeam glandem, globulumque minorem ibidem jacentem reperit. Tum ſubiit animum opinio vulneris mihi intentati; verum cum expers doloris ſenſus nullam mihi vulneris fidem faceret, & manus etiam comprimens nullum in humeris ſanguinis indicium teſtaretur, pependi adhuc aliquantulum animi, cum meminiſſem, quod ſæpe audieram, nullum recenti vulneri doloris ſenſum ineſſe. Quare omnibus rite perfectis, cum in conclave me recepiſſem, atque aliquod in diſrupta linea exteriori veſte exſtare ſignum vulneris adſtantes affirmarent, juſſere veſtes detrahi, dorſumque ipſum ſcrutantes, Medico etiam præſente, quem acciri domeſtici voluerant, dixere rubere aliquantulum cutim & leviter intumuiſſe. Tum alacriores facti perforatam alibi mihi veſtem oſtendere, alibi ſolum fuligine tinctam, ubi nimirum glans major incubuerat, quæ etiam mox mihi a domeſtico fuit oblata.* Hunc in modum in certiſſimo vitæ diſcrimine ſervatus Carolus. Miram numinis providentiam ſenſere omnes, atque admirati ſunt. Globus major in illum exploſus adhuc apud Oblatos S. Sepulchri ſervatur; purpurea, ac linea exterior veſtis, qua tunc Carolus utebatur, illa apud Lanfrancum Reinam Mediolanenſis S. Ambroſii Baſilicæ Præpoſitum olim Gluſſiani ætate exſtabat; hæc a Paullo Cardin. Sfondrato, cujus ad manus devenerat, Franciſco Cardin. de Sourdis Burdigalenſi Archiepiſcopo dono data eſt, digniſſimum ſcilicet tanto viro munus, quem Galli Borromeum ſuum vocare conſueverant. Re per urbem didita, maximus Civium concurſus ad Archie-

Archiepiſcopi ædes factus. Sed Albuquercius in primis Provinciæ Præfectus magnam illius noctis partem remotis arbitris cum Carolo traduxit. Nihil a religioſiſſimo viro non actum, tum ut Caroli ſaluti impoſterum proſpiceret, tum ut atrociſſimi ſceleris auctorem detegeret. Itaque excubias circa Archiepiſcopales ædes diſponere parabat; quod ne fieret; vix Carolus impetravit. Voluit ille tamen ſaltem veſpertinarum precum tempore aditus omnes milite cuſtodiri; ſed hoc etiam poſt quatriduum Carolo deprecante omiſſum eſt. Eodem tempore excubitores ad urbis portas provinciæque fines ſtatuti, ne qua evadendi ſpes ignoto ſicario ſupereſſet: urbs octiduo clauſa, nec Civium ulli, niſi ex Albuquerci facultate ſcripto tradita, exitus patuit; præmia minæque ad conjurationis indicia detegenda propoſitæ; plures levibus etiam de cauſſis in vincula conjecti. Hæc ab Albuquercio acta, qui ſequentibus etiam diebus ſæpe ad Carolum venire, multa cum eo colloqui, ejuſque menſæ remotis arbitris aſſidere perrexit. Poſtridie ejus diei, quo Carolus e tanto vitæ diſcrimine ereptus fuerat, Senatorius Ordo, Civium Conſilium, præcipua Civitatis Collegia, magnuſque procerum numerus ad Caroli ædes gratulabundus confluxit; ſuumque ſibi Paſtorem Patremque amantiſſimum miro prodigio ſervatum omnes gaudebant. Quin etiam tantæ rei fama per Italiam Europamque omnem pervagata, ducentas & amplius Principum virorum gratulatorias ad Carolum literas miſſas fuiſſe teſtatur Cl. Oltrocchius, qui præſertim S. Franciſci Borgiæ Præpoſiti Generalis Soc. Jeſu epiſtolam commendat. Caroli ad Franciſcum reſponſum protulit P. Lagomarſinius (*a*).

XIV. Sed jam ad impium Sicarium redeamus. Farina de ictus exitu incertus, noctis tenebris ædiumque obſcuritate protectus, ex Archiepiſcopi ædibus celeri occultaque fuga ſe eripiens ad fraternam domum contendit. Farinæ frater ſummo mane domo egreſ-

(*a*) Pogian. Epiſt. Vol. IV. pag. 214.

egreſſus, de heſterno caſu audit, qui urbe jam tota innotuerat; redux omnia Hieronymo fratri narrat. Hic rem mirari, deteſtari hominis ſcelus, Dei providentiam ſuſpicere: addit tamen, mirum non eſſe, ſi quis in Carolum conjuraſſet, qui plurimorum offenſionem ſeveritate ſua incurriſſet. Allatæ interim Legnanæ ad Farinam literæ arcanis notis conſcriptæ, quibus illum monebat, ut ſuæ ſaluti proſpiciens Vercellas contenderet; ibi aliquam trahendæ vitæ rationem oblatum iri. Sed diſpoſitæ undique excubiæ egreſſum vetabant. Itaque ad XV. dies in fratris ædibus latuit; poſtea vero cum jam ſegniores, ut fit, vigiliæ agerentur, occulte Mediolano digreſſus, Clavaſium ſe contulit, ac Sabaudi Ducis militiæ nomen dedit. Sed tantum ſcelus impune abire Deus non tulit. Pius V. ex Caroli aliorumque literis de facti atrocitate commonitus Antonium Scarampum Laudenſem Epiſcopum Mediolanum legavit, qui cauſſam omnem ſumma cum poteſtate cognoſceret. Hic Mediolanum veniens anathematis pœnam in eos tulit, quicumque aliquid hac in re cognoſcerent, ac tamen diſſimularent. Sed jam aliquid de conjurationis auctore Carolo innotuerat. Rem narrat Carolus a Baſilica Petri (*a*), qui hanc hiſtoriæ partem multo fuſius quam Gluſſianus digeſſit; eaque narrat, quæ cum iis, quæ Cl. Oltrocchius in ſuis ad Gluſſianum annotationibus protulit, egregie conſentiunt. *Paucis diebus*, ait, *poſt nefarium facinus venit ad Carolum Bartholomæus* [Naſſinus] *ex Præpoſitis Ordinis Humiliati: genibus nixus, incerto vultu, quædam ſe habere ait, cum eo ſecreto communicanda. Surgere dicereque juſſus, quæ haberet, plura loquitur de alio quodam negotio; tum addit, gravius reſtare: ſcelus illud, ut ipſe putabat, commiſſum fuiſſe a ſui Ordinis fugitivo, qui etiam Braidenſe argentum furatus erat, nomine Hieronymo. Eum enim ſe præſente ſæpius ea de re cum Præpoſito Vercellenſi egiſſe, petiiſſeque etiam ad id pecuniam, quam Vercellenſis tamen negaverat;*

(*a*) Vit. S. Car. Lib. II. Cap. XII.

gaverat; immo reprehenderat ejus conſilium, hominemque, ut ad Ordinem ſuum rediret, hortatus erat. Id cum audiſſet Carolus, minime ſibi fieri veriſimile reſpondit, quoniam Hieronymum illum proprie nulla in re umquam offendiſſet. Poſt multa ita Bartholomæus diſceſſit, ut ſe certo rem ſcire negaret, ſed ita conjicere ex iis, quæ audierat, Vercellenſis & Hieronymi colloquiis; addidit ſperare ſe, Hieronymum ipſum poſt menſem affuturum, & ad Ordinem reverſurum; tum facile eum comprehendi & de re tota inquiri poſſe: ſe autem de illius adventu Carolo nunciaturum. Quæ a Bartholomæo acceperat, eorum quidquam ſe noſſe Carolus nemini umquam ſignificavit. Subdit Auctor Scarampo Mediolanum adveniente, dubium hæſiſſe Carolum; nam & pietate commovebatur, ut, quæ audierat, diſſimularet; metuebatque ne propoſitis pœnis ſuo ſe ſilentio involveret. Bartholomæo itaque ad ſe advocato, illum monuiſſe, ut ſi ſui ipſius ac Vercellenſis Præpoſiti rebus conſulere vellet, omnia ſibi palam faceret, quamvis enim ſceleris non conſcii modo, ſed participes eſſent, ſperare ſe Pontificem precibus ſuis commotum iri. *At Bartholomæus*, pergit auctor, *enixe affirmare neque ſe neque alium quemquam Ordinis ſui ſceleris eſſe affinem; ea tantummodo noſſe de Hieronymo, quæ dixerat. Vercellenſis quoque ipſe Bartholomæi hortatu Carolum adit, & mira religionis ſimulatione, ſecreto eodem, quæ Bartholomæus narrat; alia ſcire ſe obſirmate negat; immo velle Epiſcopum adire, remque indicare ambo affirmant, & ut Carolus idem facere poſſet, ſi vellet, eum nexu rei ſecretæ habendæ, ſi quis eſſet, ſponte liberant. Carolus etiam atque etiam amantiſſime monet, videant quid agant; dum tempus eſſet, recte conſulant; Deum pie teſtatur, cupere ſe factum minime in judicium vocari, eoſque alia via omni periculo liberari. Illi in ſententia manent, rogantque, ut ſi ſontibus opitulari vellet, multo magis tueretur inſontes. Commendaturum ſe eos Epiſcopo Carolus pollicetur, rogaturumque etiam, ne eos teneret &c.* Hæc cum ad Scarampum Carolus detuliſſet, cumque Naſſinus ipſe & Lignana ad eumdem acceſſiſſent, eademque teſtati eſſent, quæ Carolo antea narrarant,

 dum

dum Farinam accuſant, ſuis ipſi verbis impliciti gravem in ſe ipſos criminis ſuſpicionem excitarunt. Itaque carcere primum incluſi, mox etiam quæſtioni ſubjecti, ſceleris auctores ſeriemque omnem prodiderunt. Septem potiſſimum Humiliati conjurationis accuſati; Hieronymus Donatus ſeu Farina, Hieronymus Lignana, Laurentius Campagna, Clemens Miriſius, Bartholomæus Naſſinus, quos jam commemoravimus, Joannes Tonſius, qui acceptam, ut diximus, initæ conjurationis notitiam celaverat, ac Blancianus quidam: omnes in vincula conjecti. Farina ipſe, Philiberti Sabaudiæ Ducis juſſu, Clavaſii comprehenſus, ac Mediolanum deductus. Plures ad Ormanetum Romæ degentem epiſtolas Carolus dedit, ut Pontificis animum flecteret, extremumque ſupplicium a miſeris deprecaretur. Sed facti atrocitas magis quam Caroli preces apud Pontificem potuerunt. Itaque V. Cal. Aug. an. MDLXX. Farina, Lignana, Campagna, ac Mirifius ſacræ dignitatis gradu ſolemni ritu dejecti, religioſis veſtibus exuti, ac ſæculari poteſtati relicti, capitali ſententia damnati ſunt. Platea, quæ ante S. Stephani in Brolio patet, ſupplicio locus delectus; die 11. Aug. Graviſſimum ſcelus ſincero animo deteſtari viſi ſunt omnes, ac Farina præſertim, veniamque a Deo O. M., atque ab hominibus expoſcere. Lignana ac Campagna, quod nobili genere eſſent, capite mulctati. Mirifius ac Farina laqueo ſuſpenſi; huic præterea, dum ad ſupplicium traheretur, ante Archiepiſcopales ædes dextera amputata eſt. Ex his unus antequam carnifici traderetur, neptem ſuam, quæ omni ope deſtituta ſupereſſet, Borromeo commendavit; qui illius patrocinium amantiſſime ſuſcipiens, nihil ad ducendam vitam mulieri defuturum, dum ipſe viveret, ſpopondit. Naſſinus, qui & levius peccaverat, & conjurationis indicia primus detulerat triremibus ad quinquennium damnatus. Sed vix ad eaſdem deductus fuerat, iteratis apud Pontificem precibus Carolus impetravit, ut hac etiam pœna liberaretur. Blanciano ad ſemeſtre ſpatium ſacris interdictum eſt, ac Cremonenſis

uenſis S. Abundii domus carceris loco interea attributa. De Tonſio quid ſtatutum fuerit, VI. Diſſertatione vidimus, cum de Humiliatis Scriptoribus ſermo eſſet.

XV. At Pius V., qui jam de Humiliatorum cœtu extinguendo cogitabat, poſtquam ex eodem tanti ſceleris auctores prodiiſſe intellexit, rem omnino perficere decrevit. Quod ubi vulgari cœpit, non Humiliati ſolum, ſed Mediolanenſis civitas ipſa (erant enim ex præcipua illa nobilitate inter Humiliatos non pauci) commoveri viſa eſt. Cum autem intelligerent, nihil ad calamitatem hanc avertendam efficacius excogitari poſſe, quam ſi Carolus ipſe ſuas apud Pontificem preces in hac cauſſa adhiberet, ab illo impetrarunt, ut Humiliatis veniam literis ſuis ad Pontificem datis expoſceret. Id porro Carolus, qua erat clementia atque animi moderatione, ſtudioſiſſime præſtitit. Itaque Aloyſius Generalis Humiliatorum Magiſter cum Borromei ac Mediolanenſis Civitatis commendatitiis ad Pontificem literis Romam profectus eſt. Atque ille quidem ante XXIII. Septembris an. MDLXX. Urbem ingreſſus fuerat, ut ex Aloyſii ipſius & ex Cæſaris Speciani epiſtolis cognoſcimus (a), atque ad Pontificis pedes projectus delicti veniam expoſcerat, illius clementiam obteſtatus, ne Ordini univerſo exitium inferret. His tamen non moveri Pontifex videbatur. Unica apparebat illius placandi ſpes, ſi cogitata Clericorum Regularium S. Paulli atque Humiliatorum conjunctio perficeretur; ſed cum illi hoc detrectarent, horum extinctio decreta eſt. Rei nuncio Mediolanum delato, Annonæ Præfectus ac XII. Viri aliis ad Pontificem literis XIV. Januarii an. MDLXXI. datis illius animum flectere conati ſunt. Quarum ut major vis eſſet, eaſdem per Alexandrum Cardin. Cribellum Pontifici exhibendas curarunt, qui ſuas illorum precibus conjungeret. At Cribellus literis ſuis ad Præfectum & XII. Viros IX. Id. Febr.

(a) Oltrocchi Lett. al Card. Querini ec. pag. 19. ec.

Febr. datis nihil ad Pii animum immutandum illas valuiſſe ſcripſit. Enimvero VII. Id. Febr. literas Cardinalium ſubſcriptione munitas jam emiſerat Pontifex, quibus Humiliatorum cœtum diſſolvebat, Præpoſitis omnibus dignitate exutis, Tironibus recipi impoſterum vetitis, quique recepti jam eſſent dimitti juſſis, Fratribus omnibus, qui ſolemnia vota emiſiſſent, ad certas domos amandatis, atque Epiſcoporum juri ſubjectis. Literarum hujuſmodi annus ac dies ſic deſignantur: *Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ* 1570. *7. Id. Febr. Pontificatus noſtri anno ſexto*. Quod in cauſſa fuit, cur multi an. MDLXX. Humiliatorum cœtum extinctum dicerent. Neque enim animadverterunt, frequentem hunc eſſe in ſolemnioribus Romanorum Pontificum literis, ut annus a die XXV. Martii exordium ducat, ac tunc ſolum annus ille numerari incipiat, qui apud pleroſque jam a Kalendis Januariis numerari incepit; qua de re erudite diſputat Papebrochius (*a*), qui has ipſas Pii literas exemplo profert. Ac ſane evidens eſt, ſexto Pii V. anno diem VII. Id. Febr. in an. MDLXXI. incidiſſe; ille enim XVI. Cal. Febr. an. MDLXVI. Pontifex juſſus fuerat. Sequenti die literas alias Pius edidit, quæ cum minus ſolemnes eſſent, nec Cardinalium ſubſcriptione munirentur, conſueta numerandi ratione notantur: *Anno Incarnationis Dominicæ* 1571. *6. Id. Febr. Pontificatus noſtri anno ſexto*. Iis vero, quid de Humiliatorum Præpoſituris earumque redditibus agendum eſſet, ſimulque quænam impoſterum cœnobia ab illis incolenda eſſent, ſtatuebat. Mittimus hic earum compendium referre, cum in omnium oculis ſint (*b*). De Monialium etiam Humiliatarum cœtu extinguendo actum eſt; eamque in rem pendebat maxime Pontifex; ſed Speciani præſertim opera factum, ut ex communi naufragio incolumes illæ evaderent. Illius ad Borro-

(*a*) Propil. Antiqu.

(*b*) Bullar. Rom. Edit. Luxemb. ſeu Genev. T. II. pag 349. &c.

Digitized by Google

Borromeum literas XXIV. Febr. an. MDLXXI. datas habemus in Puricellianis ſchedis, quibus hæc ſcribit: *Ho aggiutato le povere Monache Humiliate, le quali erano anch' eſſe ſoppreſſe inſieme con l'Ordine Humiliato; & Noſtro Signore ha ordinato, che ſi acconcino le coſe talmente, che queſte non ſiano compreſe*. Quin etiam tum ad illarum, tum ad ceterarum etiam Monialium cœnobia, pioſque reliquos conventus ex Mediolanenſium & Humiliatorum opibus juvandis, maxima fuere Mediolanenſium ſtudia. Hac de cauſſa Sfortiam Brippium Romam ad Pontificem legarunt; exſtantque in Puricellianis ſchedis tum Albuquercii, tum Annonæ Præfecti ac XII. Virum ad Cardinales Prælatoſque plurimos literæ VII. & X. Martii hoc anno hac de re datæ; aliæque ſimul Præfecti ac XVI. Virum eorumdem XII. Maji, quibus Pio Pontifici, quod mille ex Humiliatorum redditibus aureos in hos uſus conceſſerit, gratias agunt. De ſingulis Humiliatorum domibus quid factum fuerit, ſuperiore Diſſertatione vidimus.

XVI. At ex Humiliatis nonnulli, quamvis hac calamitate frangenda aliquando eorum audacia videretur, interrito tamen animo Pontificias adhuc leges detrectare auſi ſunt. Habemus ex publico Bergomenſis Civitatis tabulario eductum monumentum VII. April. MDLXXI., quod in noſtra monumentorum collectione ultimum erit, quo Petrus ex Comitibus Calepii, Joannes Baptiſta Priolus, & Baptiſta de Gozis, qui ſe *Ordinis Humiliatorum* adhuc appellant, liberioribus verbis ſui cœtus extinctionem, atque a Pontifice hac in re acta conqueruntur, ac ſe prorſus invitos Pii imperia faceſſere profitentur. Nonnulli etiam ex Præpoſitis ſuæ dignitatis inſignia retinere, ac jus in ſuarum olim Domorum redditus exercere non dubitabant. Quapropter Pius V. literis XVI. Cal. Jul. hoc eodem anno datis, ne id deinceps fieret, vetuit. At vero cum inſequente anno Pio V. e vivis erepto Gregorius XIII. ſucceſſiſſet, XII. Viri Mediolanenſes, veterum Humiliatorum, ut arbitror, precibus permoti, literas VIII. Jul.

ad

ad illum dederunt, quibus Pontificem obſecrabant, ut extinctum Humiliatorum cœtum reſtitueret. Ac præterea XV. poſt eorumdem extinctionem annis, qui adhuc ex illis ſupererant, iterum apud Sixtum V. ſupplici libello inſtiterunt, ut liceret veterem eorumdem cœtum renovare. Monumentum utrumque in Puricellianis ſchedis ſervatur. At cum omnia irrito ſucceſſu tentarentur, diu in ſtatutis ædibus vivere coacti ſunt. Verum anno MDLXXX. literas a Gregorio XIII. Cal. Aug. datas Carolus impetravit, ut liceret illis Humiliatorum veſtes deponere, eamque vivendi rationem, quam Clerici, ut ajunt, ſæculares ſolent, amplecti. Nonnulli tamen veterem veſtiendi modum ad obitum uſque ſervarunt. Hinc Puricellius narrat, nonnullos ſe ex veteribus Humiliatis vidiſſe, alios Humiliatorum, alios ſæcularium Presbiterorum veſtem gerentes, ac duobus ante annis (ſcribebat porro circa an. MDCXXXI.) pium quemdam ſenem Sacerdotem, olim Humiliatum, Zibidi in Mediolanenſi agro obiiſſe. Aloyſius vero a Baſilica Petri Generalis Humiliatorum Magiſter, qui omnia fruſtra aggreſſus fuerat, ut Humiliatos ſuos ad ſaniora conſilia revocaret, jam ab anno MDLXX. Januario menſe, cum parum ſe proficere videret, in S. Barnabæ ædibus apud Clericos Regul. S. Paulli recipi optaverat, cujus rei monumentum doctiſſimus P. Branda protulit (a). At Humiliatorum cœtu diſſoluto voti ſui compos effectus eſt. Ac placet ultimam hanc Diſſertationem piiſſimi hujus viri Elogio claudere, quod nobis Carolus a Baſilica Petri reliquit (b). *Is deinde poſt ea perpeſſa, quæ Antiſtitem præcipue, tum bonos Monachos omnes tali rerum conditione pati oportebat, extincto demum Ordine, veſtitu ſuo, in eorumdem Clericorum Collegium S. Barnabæ Mediolani receptus, ſingulari modeſtiæ patientiæque documento vitæ ſuæ curſum confecit. Nam neque quod amplis fructibus*

(a) Confutaz. de' Ragion. Apolog. pag. 155.

(b) Vit. S. Car. Lib. II. Cap. IV.

fructibus ablatis, *quadraginta aurei annui*, *quemadmodum ceteris reliqui eſſent* (deinde tamen ad S. Caroli preces inſigni Romana S. Agathæ Præfectura ornatum illum fuiſſe teſtatur (*a*) Cl. Oltrocchius) , *neque ob deletum Ordinem aliud umquam dixit*, *quam omnia recte juſteque eveniſſe*. *Ita quæ invito ac repugnanti caſtigatio afflictioque exitio facile fuiſſet*, *pie ac ſapienter accipienti ſaluti fuit quemadmodum aliis quoque fuiſſe putamus*.

F I N I S.

JOAN.

(*a*) Not. in Lib. II. Cap. XXVII. Vit. S. Car. col. 107. Not. c.

Digitized by Google

JOANNES CAROLUS PINCETI

SOCIETATIS JESU

In Provincia Mediolanenſi Præpoſitus Provincialis.

CUM Librum, cui titulus eſt: *Vetera Humiliatorum monumenta adnotationibus, ac diſſertationibus illuſtrata, quibus multa ad ſacram, civilem, ac literariam medii ævi hiſtoriam pertinentia explicantur. Vol. I. Diſſertationes continens de Humiliatorum origine, vicibus, exitu*: a P. Hieronymo Tiraboſchio Societatis noſtræ Sacerdote compoſitum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi, quibus commiſſum fuit, recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint: Facultate nobis a R. P. Laurentio Riccio Præpoſito Generali communicatâ, concedimus, ut typis mandetur, ſi ita iis ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo Societatis noſtræ munitas dedimus. Genuæ die 19. Aprilis 1766.

Loco ✠ Sigilli.

Digitized by Google

005265143

Digitized by Google

Digitized by Google